
GRATIOSI VBERTI
I. C. CAESENATIS,
ET
IN ROMANA CVRIA ADVOCATI
TRACTATVS
DE CITATIONIBVS
Cuilibet Vtilis, & nemini non Necessarius.
TOMVS SECVNDVS.
Cum Indice locupletissimo.

AD EMINENTISSIMVM PRINCIPEM
BENEDICTVM VBALDVM
S.R.E. CARDINALEM AMPLISSIMVM
ET EPISC. PERVSINVM.



ROMÆ, Typis Ludouici Grignani. MDCXLI.
SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISS.MO ET REVERENDISS.MO

PRINCIPI

BENEDICTO VBALDO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.MO

EPISCOPO PERVSINO.

GRATIOSVS VBERTVS F.

ALTERAM, Eminentissime; & Reuerendissime Princeps, partem, non dico reliquam, Tractatus de Citationibus, quam Bononiæ promisi, eodem tui Nominis fulgore insignitam Romæ exhibeo. Quod studiosis pollicitus sum, non absolui. Capiant quod possunt. Quæ tuæ humanitati debeo, non persolui. Confessi, obsecro, debitoris fidem sequere. Vale.

Auctor ad Lectorem.

PVtaueram quattuor Capitibus, vnoque Volumine reliquam Tractatus de Citationibus partem posse complecti: accidit vt hoc secundo Volumine, vix, ac ne vix quidem perstringere potuerim ea, quæ sub nono Capite dicenda proposueram: non audeo vlterius tertium Tomum polliceri; cùm deficiat ætas, & non parum auertant curæ domus, & fori. Quod offero, hilari vultu excipe. Si quid sperare liceat, faxit Deus vt præstem.

Epi-

Epitome contentorum in tribus Capitibus huius ſecundi Tomi.

Cap. IX.

Cap. X.

Cap. XI.

Decre-

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. Magist. Sac. Pal. Apostol.
Io. Bapt. Episc. Cam. Vicesg.

V Ertatem ipsi gratiæ coniunctam, quæ non minus frequentem, quàm omnibus vtilem gratiosè Citationum materiam cuiusque iudicij vnicum, ac solidum fundamentum hoc in Libello perstrinxit egregius, ac eximius D. Gratiosus Libertus I.V.D. ac in Alma Vrbe Aduocatus eximius; admirandam potiùs, quàm laudandam existimo (laudi enim fines, non admirationi perscribuntur) cùm iussu Reuerendiss. P. Sac. Pal. Apost. Magistri attentè illum perlegi, diligenterque considerarui. In quo nil contra Fidem catholicam reperi, bonisque moribus aduersari; sed magis plura ad ipsarum animarum profectum spectantia, velut ad ipsius vltimi iudicij necessaria præparatoria: Cuius memoria, dum à peccandi libidine arcet, negandum non est salutem ipsam eisdem operari vltima, peremptoria, diffinitiuaque illius extremi iudicij sententia, in vniuersum genus humanum à prepotenti Deo ferenda in æternum, personali præuia citatione, stabiliendam. Romæ xi. Kal. Iulij MDCXL.

Ita censeo Ego Hieronymus Lampugnanus Mediolanensis I.V.D. & in Sacra Theologia, ac Philosophia Magister, nec nō Subdiaconus Apostolicus.

Imprimatur

F. Io. Vincentius Morenus Magister Socius Reuerendissimi Patris Fr. Vincentij à Florentiola Magistri Sac. & Apostol. Palatij.

GRATIOSI VBERTI I. C. CAESENATIS.

TRACTATVS

DE CITATIONIBVS.

CAPVT IX.

Quæ sint exprimenda in citatione.

SVMMARIVM.

1 *In citatione debent exprimi tria nomina, videlicet Iudicis, partis citandæ, & partis instantis pro citatione.*

2 *Personæ designantur nomine, cognomine, prænomine, & agnomine.*

DE NOMINE IVDICIS exprimendo.

3 *Iudicis nomen proprium est exprimendum.*

4 *Nomēq. dignitatis, seù officij.*

5 *Item qualitas, an sit Ordinarius, vel Delegatus, maior, vel minor, competens, vel incompetens.*

6 *Ordinarius Iudex si citat, debet citatus comparere, & Ordinarius nō tenetur docere de sua iurisdictione, tanquam notoria.*

7 *Ordinariam potestatem dat Princeps, lex, vniuersitas, vel consuetudo, & datur per litteras patentes, post quarum præsentationem iurisdictio notoria censetur.*

8 *Delegatus si citat, non tenetur citatus credere, nisi facta fide de delegatione, cum tenore inserto suæ delegationis. Et hoc quando citatur absēs, secus si præsens, vel existens in loco parum distanti.*

9 *Vicarius Episcopi si citat sine insertione mandati, an, & quando valeant acta. Et quando dicatur idem Cōsistorium Episcopi, & Vicarij, & ad Episcopum possit appellari.*

10 *Vicarij potestas pēdet à Iure. Et quando à parte negetur, debet probari. Et sufficit cōmunis reputatio.*

11 *Ordinarius sufficit, quod siue per litteras, siue viua voce mandet aliquem citari.*
Et pro iurisdictione ordinaria præsumitur.
Secus pro delegata.

12 *Iudex habens vtranque iurisdictionem ordinariam, & delegatam debet exprimere in citatione, qua velit vti.*
Contra Ordinarium non possunt exceptiones opponi.
Secus contra Delegatum.

13 *In dubio Iudex censetur processisse ea potestate, qua possit actus valere; nisi expressè se restrinxisset ad eam, qua actus non valeret.*

14 *Auditor Cameræ quando ei dirigitur Breue, debet in monitorio inserere tenorem breuis, vt citatus habeat notam iurisdictionem citantis.*

15 *Citatus per vnum ex duobus, vel tribus, non tenetur comparere, si Delegatus est insimul cum alijs.*
Sed si insolidum non tenetur comparere coram Collega, qui non citauit.

16 *Delegatus ab alio, quàm à Principe delegare non potest.*

17 *Iudex ordinarius non potest causam delegare, nisi reseruata sibi sententia.*

18 *Auditor Cameræ non habet facultatem committẽdi causas extra Curiam.*
Et Subdelegatus facit actum nullum excedens iurisdictionem, quæ non poterat subdelegari.

19 *Auditor Cameræ habet solã iurisdictionẽ inter Curiales, nisi maiorem Papa illi det.*
Et potest deputare Iudices in Curia.
Sed si non constat de deputatione, processus est nullus.

20 *Citatus ad maius Tribunal non tenetur cõparere coram minore.*
Et citatus coram Papa non fit contumax, si coram inferiore non compareat.

21 *Citatus ab inferiore non excusaretur, si affectasset citari coram maiore.*

22 *Iudices plures æquales, quãdo citant in vna eademque causa, an valeant omnium processus.*
Et si ferãtur duæ sententiæ, quæ valeat.

23 *Præuentione probata, causa est remittenda ad eum, qui præuenit in citando.*

24 *In dubio, quando non constat de præuentione, Superior debet causam ad vnum remittere, triplici ratione, videlicet connexitatis, reconuentio-*

tionis, & ne contingat ferri diuersas sententias.

25 *Citatio emanare debet à Iudice competente.*

Et citatus debet comparere, quando certũ est iurisdictionem esse competentem, vel communiter reputatur pro competenti.

26 *Citatus si ope exceptionis potest se subtrahere à iurisdictione citantis debet comparere, & excipere.*

Exemplum est in Pupillis, & Viduis.

In Scholaribus.

Et in legatis, & alijs habentibus ius reuocandi domum.

Ius reuocandi domum, qui habeant.

27 *Citatus non tenetur comparere, quando Iudex est notoriè incõpetens, vtpotè quãdo citat extra territorium.*

Quando scit appellatũ fuisse ad Papam.

Quando per secundum rescriptum fuit reuocatus.

Quando Delegatus citat vltra duas dietas.

Quando Delegatus citat absentem absque insertione delegationis.

Quando Laicus citat nominatim Clericum.

Quando Ordinarius citat exemptũ nõ expressa causa.

Quando duo citant non facta mentione de tertio.

Quando Delegatus citat ad personaliter comparendum, & illud non habet in mandatis.

28 *Citatus comparere debet, quando dubium est, an Iudex citans sit competens, vel non.*

Et idem Iudex cognoscit, & pronunciat se competentem, vel incompetentem.

Nec dicitur in causa propria sententiam ferre.

Et huiusmodi sententia firmat iurisdictionem, si non sit appellatum.

29 *Competentia, vel incompetentia Iudicis consideratur ratione Territorij, Fori Priuilegij, seu Exemptionis.*

Et de incompetenti aliquando Iudex fit competens, & è conuerso.

30 *Territorij ratione, quando Iudex sit competens, latè.*

31 *Extra territoriũ Iudex potest exercere actus voluntariæ iurisdictionis, non autem contentiosæ.*

32 *Extra territorium Iudex nõ potest exequi suã sententiã. Sed Iudex loci illam exequitur ad requisitionem.*

33 *Delegati iurisdictio nulli cohæret territorio, sed se extendit ad omnia loca iurisdictionis delegantis.*

34 *Ordinariam iurisdictionem aliqui Iudices habent sine territorio.*

35 *Iudex Ordinarius dicitur cõpetens quoad eos, qui litigant in suo tribunali, licet sint alterius territorij.*
Secus quoad eos, qui non sunt de suo Foro.

36 *Delegatus non dicitur competens, vel incompetens ratione fori, sed ratione suæ delegationis.*
Et est incompetens, si est delegatus ab eo, qui delegare non potest.
Si datus ad rem certam, in alijs pronunciauit.
Et Delegatus ad causam proprietatis, non potest cognoscere de causa possessionis.
Si Delegatus inter certas personas, cognoscit inter alias.
Si pronunciat elapso tẽpore.
Et si viuente delegante nullam citationem decreuit.

37 *Iudex incompetens respectu causæ principalis potest se intromittere quoad accessoria.*

38 *Fori ratione Iudex sæcularis est incompetens quoad eos, qui sunt fori Ecclesiastici, & è cõuerso, nisi in defectum iustitiæ, vel ratione consuetudinis.*

39 *Auditor Cameræ ratione fori an, & quando fiat Iudex competens inter forenses in prima instantia. distingue.*

40 *Fori priuilegiũ superueniens pendente iudicio non eximit à iurisdictione.*

41 *Citatus à Iudice laico si fiat Clericus, an euitet processum remissiuè.*

42 *Pupillus qui elegit forum, si post litem cœptam factus sit adultus, non propterea amittit benef. l. vn. C. quando Imper. inter pup. & vid.*

43 *Forum sortiri potest quis in pluribus locis, videlicet,*
In loco originis.
In loco habitationis, seu domicilij.
In loco rei sitæ.
In loco administrationis gestæ.
In loco delicti.
In loco contractus, vel quasi.
Et in loco destinatæ solutionis.

44 *Filius sortitur forum in loco originis patris, & etiam in loco propriæ originis, si in diuerso loco natus sit.*

45 *Domicilium patris, seu matris filius non sequitur, sed proprium.*

Vul-

46 *Vulgo quæsitus sequitur maternam originem.*

47 *Originis locus nõ potest mutari, & potest stare sine habitatione.*

Domicilium autem in alium locum potest transferri, & non potest stare sine habitatione.

48 *Incolatus requirit factum habitationis, & animum perpetuo habitandi.*

49 *Quid autem ad effectum Statuti loquentis de incolis?*

50 *In loco paternæ, siue propriæ originis, non potest quis conueniri; nisi ibi inueniatur.*

51 *Incola potest conueniri in loco incolatus.*

Quis dicatur Incola.

52 *Vbi, & quomodo contrahatur Incolatus.*

53 *Ex eo quod quis se appellat incolam, & habitatorem vnius loci, non probatur domicilium, seu incolatus.*

54 *Romanam Curiam sequens non acquirit ciuilitatem, nec incolatum in Vrbe, non concurrente translatione bonorum, vel emptione aliorum.*

55 *Aliud est, quod quis sit Curialis, & Domiciliarius Vrbis.*

56 *Aliud est, quod quis sit domiciliarius in Vrbe, & aliud quod ibi quis sortiatur forum.*

57 *Roma communis est patria, & quilibet Romæ inuentus potest ibi conueniri; nisi habeat speciale priuilegium, seu ius reuocandi domum.*

58 *Ex habitatione decennali, an præsumatur contractum domicilium?*

59 *Animus Episcopi non residendi quando colligatur.*

60 *Ad acquirendum incolatum animus permanendi, & non recedendi debet esse firmus, & non vagus.*

Quis tamen ex habitatione decennali præsumitur incola.

Et etiam minoris temporis spacio arbitrio Iudicis.

61 *Maritus qui promisit habitare in patria vxoris, & postea eo se contulit, ibi censetur incolatum contraxisse.*

62 *Qui à patria recedit, & ibi reliquit maiorem partem bonorum, ac etiam Beneficium non censetur contraxisse in Vrbe domicilium, etiãsi ibi domum cõduxisset.*

63 *Recedens ab vno loco, & habitans decennio in alio loco, si postea ad primum locum re-*

redeat, non censetur mutasse domicilium in secundo loco contractum.

64 *Sequens curiam Principis, & habitans extra Patriam etiã per 30. annos, non censetur mutasse domicilium loci originis.*

65 *Destinatus ad publicum Officium extra locum sui domicilij, non potest illud mutare; nisi finito Officio.*

66 *Forum sortitur quis in loco rei sitæ.*
Et pupillo datur Tutor, vbi res pupilli existunt.

67 *Turbator possessionis debet cõueniri, vel in loco vbi est possessio, vel vbi vis illata est.*

68 *Agens actione reali potest reum conuenire, vel in loco sui domicilij, vel vbi res sita est.*

69 *Hæres agens remed. l. fin. C. de Edict. Diu. Adr. toll. debet agere, vel vbi res est, vel in foro rei.*

70 *Fideicommissum debet peti, vbi hæreditas existit, & infra num. 81.*

71 *Agens rei vendicatione debet conuenire possessorem, nec alio trahi potest per venditorem auctorem laudatum.*

72 *Sed possidens nomine alieno debet denunciare Domino, vt in loco rei sitæ se defendat.*

73 *In loco rei sitæ onera realia quisque sustinere debet.*

74 *Forum sortitur quis in loco administrationis gestæ, vt ibi conueniri debeat pro redditione rationis, etiamsi alibi domicilium haberet.*

75 *Forum sortitur quis in loco delicti.*
Et delinquens in tribus locis potest conueniri, vbi deliquit, vel vbi crimen incohauit, vel vbi habet domicilium.

76 *Delinquens quomodo, & quando in diuersis locis possit per diuersos Iudices puniri, remissiuè.*

77 *Forum sortitur quis in loco contractus, nisi contraxisset vti aduena, quia tunc conueniendus esset in foro suo; nisi ibidem inueniretur.*

78 *Clerici contrahentes in diœcesibus Suffraganeorum non possunt coram Archiepiscopo conueniri; nisi ibi inueniantur.*

79 *In loco contractus quis sortitur forum, siue per se, siue per alium contraxerit.*

80 *In loco quasi contractus potest quis conueniri; nisi sit quasi*

quasi contractum tanquam cum aduena.
Hæres quasi contrahens cum creditoribus hæreditarijs sequitur forum defuncti; nec potest se tueri proprio priuilegio, si cum defuncto fuit lis contestata, siue ibi inueniatur, siue non.
Ante verò litem cõtestatam cum defuncto debet hæres cõueniri vbi inuenitur.
81 *Fideicommissum peti debet vbi hæres habet domicilium; sed præstatio fit vbi res est, vel vbi voluit Testator, vel vbi hæres habet domicilium.*
Differentia tamen est si petatur species, quia præstari debet vbi est, sed quantitas præstanda est, vbi petitur, nisi aliud Testator iusserit.
Et quid de legato, vbi sit soluendum. distingue.
82 *Ratione quasi contractus, qui litem agit in aliquo loco fit subditus Domino loci ratione illius causæ, extra illam autem non.*
83 *In loco destinatæ solutionis quis etiam sortitur forum, ita tamen, vt si debitor non soluat, possit nedum ibi, sed etiam alibi vbi inuẽtus fuerit conueniri, vel vbi habet domicilium.*
84 *Locus contractus an sit ille in quo contrahitur, an verò ille in quo solutio destinatur.*
85 *Facta destinatione solutionis in aliquo loco non potest conueniri in loco, vbi contraxit, nisi ibi haberet domicilium.*
86 *In loco vel contractus, vel destinatæ solutionis quis debet se defendere; nisi ratio nundinarum aliud suadeat.*
87 *Debitor qui cœpit vagari, nec alicubi habet certum domicilium potest conueniri vbicunque inueniatur, qui aut respondebit, aut satisdabit.*
88 *Forum quis sortitur pluribus modis.*
89 *Iudex ratione originis est competens si ibi inueniatur.*
90 *Ratione autem domicilij semper est competens, etiamsi quis alibi contraxerit, vel deliquerit.*
91 *Iudex loci contractus est cõpetens quando ibi inuenitur.*
In contractibus enim non habet locum remissio.
Fallit quando solutio est alibi destinata.
92 *Citatus eodem tempore corã Iudice domicilij, & coram Iu-*

Iudice originis debet comparere coram Iudice domicilij.

93 *Exemptus quando est locus, tunc personæ eiusdem loci nõ possunt conueniri coram Ordinario pro gestis in eo loco; secus autem pro contractu innito, vel delicto patrato extra locum exemptum.*

94 *Exempta quando est vniuersitas Monacorum, seu Religiosorum, tunc Monaci, vel Religiosi sunt exempti, si degunt in Monasterio, seu Conuentu; secus si extra.*

95 *Exempta quando est persona priuata ratione officij, tunc finito, dimissione officio expirat exemptio.*

96 *Et quis ratione officij efficitur exemptus, etiam ante acceptationem, & administrationem, quando ad illud officiũ posset etiã inuitus cogi.*

97 *Ratione personæ non conceditur exẽptio, nisi ex causa. Et Clericus eximitur à iurisdictione Ordinarij, vel propter litem, vel propter sæuitiam.*

98 *Familia tota contemplatione Domini gaudet exemptione.*

99 *Citatus coram Ordinario, si postea impetret exẽptionẽ, an, & quãdo ea se iuuare possit.*

100 *Ordinarij possunt compellere exemptos, vt ostendant priuilegia exemptionis.*

101 *Exemptionis priuilegium quando est clarum, Ordinarius nõ potest se intromittere.*

102 *Exemptionis priuilegium quando est dubium, & allegatur præscriptio, tunc lite pendente possessor debet manuteneri.*

Sed quid si resistat ius cõe.

103 *Exemptus citatus ab Ordinario non fit cõtumax, quando re vera est exemptus.*

Secus si exemptio erat dubia.

104 *Exemptio quæ ab initio erat dubia, si postea fiat clara per exhibitionem priuilegij, vel alio modo, tunc neque processus valet, neque sententia.*

105 *Iurisdictio, vt possit prorogari tria debent concurrere, quod Iudex habeat iurisdictionem, quod partes possint consentire, & quod consentiant.*

106 *Iurisdictionem nullus dare potest nisi Princeps, Vniuersitas, vel Consuetudo.*

Non autem priuati.

107 *Iurisdictionem possũt priuati prorogare, eius scilicet Iudicis, qui habet Tribunal.*

108 *Litigantes coram Prælato tãquam ab A.C. deputato, non censentur prorogasse iurisdictio.*

ctionem illius si de deputatione non constet.

109 *Iudex delegatus licet habeat iurisdictionem, non tamen aliæ personæ in rescripto non nominatæ possunt eius iurisdictionem prorogare.*

110 *Prorogari potest iurisdictio delegata de tempore ad tempus, inter nominatos tamen in rescripto.*

111 *Prorogari potest de re ad rem iurisdictio delegata, vel cum cõsensu principalis, vel habentis mandatum non restrictum ad certam rem.*

112 *De quantitate ad quantitatem potest prorogari iurisdictio Iudicis, siue Ordinarij, siue Delegati.*

113 *De loco ad locum potest prorogari iurisdictio delegata, & ordinaria etiam, intra fines tamen sui territorij.*

114 *Sententia alibi lata, quam in loco ad quem pars fuit citata, non valet.*

115 *Prorogatio extra fines territorij, vt fieri possit, requiritur vltra consensum partiũ, cõsensus etiam Iudicis illius territorij.*

116 *De causa ad causam non potest prorogari iurisdictio.*

117 *Clerici non possunt prorogare iurisdictionẽ Iudicis laici.*

118 *Vassallus in causa feudali nõ potest prorogare iurisdictionem alterius Iudicis, sine consensu Domini.*

119 *Iudex proprius, an possit inhibere subdito ne litiget coram alio.*

120 *Procurator sine speciali mandato non potest iurisdictionem prorogare, si exinde resultaret tacita renũciatio appellationis, vel litis pendentiæ, vel præuentionis.*

121 *Exempti, & immediatè subiecti Sedi Apostolicæ non possunt alterius iurisdictionem prorogare, sine consensu Romani Pontificis.*

122 *Exempti, & non immediatè subiecti Sedi Apostolicæ, non possunt in præiudicium sui Superioris prorogare iurisdictionem Ordinarij.*

123 *Exempti per particulare priuilegium, & non Romano Pontifici sed inferioribus subiecti, possunt iurisdictionem Iudicis Ordinarij prorogare, si non redundet in præiudicium alicuius, nisi prorogantis, alias secus.*

124 *Prorogatio iurisdictionis vt fiat necessè est, vt ambæ partes consentiant, & sciant illum non esse competentem. Non tamen vel errent.*

Vel

Vel metu cogantur.

125 *Prorogatio iurisdictionis, vt fiat, non requiritur Iudicis consensus expressus; sed sufficit tacitus, & quod non contradicat.*

Et quando Iudicis ignorantia vitiet prorogationem.

126 *Pactum de litigando coram Iudice non suo valet; sed si quis ei nolet stare, non cogetur.*

127 *Consentire in iurisdictionem quis dicitur, vel per litis contestationem, vel per oppositionem dilatoriarum, vel per productionem Iurium.*

128 *Consentire in iurisdictionem quis non dicitur per solam constitutionem procuratoris. Sicut nec qui petit copiam libelli, vel dationem cautionis de iudicio Sisti.*

129 *Consentire in iurisdictionem non dicitur procurator rei, qui præsentat mandatum, & protestatur nihil fieri, nisi ipso citato.*

Antequam enim ille, fuerit citatus, non potest quoad reum censeri lis introducta.

130 *Protestatio nihil fieri, nisi ipso citato, operatur, vt interim habeat tempus ad deliberandum.*

131 *Qui protestatur, neque agit, neque excipit.*

132 *Consentire in iurisdictionem non dicitur, qui citatus coram incompetente non comparet; & patitur se citari ad aliquē, vel ad omnes actus. Non enim sufficit sola patientia, aut tacitus cōsensus. Sed requiritur consensus expressus.*

Vel actus positiuus, videlicet productionis iurium.

Vel seruationis alicuius termini.

133 *Consentire in iurisdictionem non dicitur procurator, nisi quando exprefsè consentit, & habet mandatum speciale, vel cum libera.*

Secus si generale.

134 *Ex contumacia in non comparendo non censetur prorogata iurisdictio, quando citatio emanauit à Iudice notoriè incompetente.*

Secus si dubitetur an sit competens.

135 *Non censetur consentire in iurisdictionem, quando comparet præuia protestatione nullitatis actorum, & agendorum.*

136 *Nec consentire censetur in iurisdictionem, quando comparet cum protestatione, citrà consensum in iurisdictionem,*

nem, nisi si & quatenus.

137 *Item nec quando protestatur de defectu iurisdictionis, nisi tamen postea in contrarium faceret actus positiuos.*

138 *Per solam cõparitionẽ quis nõ desinit esse pacificus possessor, ad effectũ regulæ de triẽnali.*

139 *Exceptio declinatoria fori in Ordinarijs debet opponi ante litis cõtestationẽ. Et in Sũmarijs antequã fuerit cœptum tractari de negocio principali*

140 *Exceptione declinatoria fori opposita, non ideò censetur lis contestata.*

141 *Consentiens in non suum Iudicem potest cõsensum reuocare vsquequo lis cõtestetur.*

142 *Comparens coram Iudice non suo, si reconuenerit Aduersarium, per reconuentionem censetur in iurisdictionem consensisse.*

143 *Recusari debet Iudex suspectus*

144 *Recusari potest Delegatus tã de iure Ciuili, quàm de iure Canonico.*

145 *Ordinarius recusari nõ potest de iure Ciuili; sed ei datur adiũctus, secus de iure Canonico.*

146 *Recusatio opponenda est ante litis contestationẽ, secus post.*

147 *Iudex potest statuere terminum ad opponendum omnes dilatorias.*

148 *Superueniente noua causa potest recusari Iudex, siue post litem contestatam, siue post terminum statutum.*

149 *Recusatio in Summarijs debet opponi à principio, ante actum habentem vim litis contestationis.*

150 *Recusatione proposita processus postea factus remanet de iure nullus.*

151 *Recusatio Iudicis non est attendenda, quando causa suspicionis est friuola.*

152 *Recusatio Iudicis non operatur nullitatem sententiæ, vbi partes in illius iurisdictionem consensissent.*

153 *Executor merus non potest recusari suspectus.*

154 *Recusari suspectus, vt possit Iudex electus de partium cõsensu causa debet probari, cum citatione partis, & cognitione causæ.*

155 *Iudex impetratus ab vna parte potest ea sola ratione per alteram recusari, legitimo tamen tempore.*

156 *Iudex remissoriæ nominatus in Curia pro vna parte, nõ potest in partibus per eãdẽ partẽ recusari absq. noua causa.*

157 *Recusatio multorũ Iudicum ob leues causas præsumitur calumniosa.*

Re-

158 *Recusatio opposita non in tempore debito, non reddit sententiam nullam.*
Maximè quando non fuit facta coram Iudice.

159 *Quæ sint causæ recusădi Iudicem vti suspectū, remissiuè.*

160 *Recusatio est in scriptis proponenda.*

161 *Et exprimenda est iusta causa suspicionis.*

162 *Quæ sit iusta causa suspicionis in casibus à iure non expressis relinquitur arbitrio Iudicis, scilicet Arbitrorum eligendorum.*

163 *Recusatione facta ex causis deducendis, si opus erit, seu cum cōditione quatenus Iudex aliquid non faceret, non operatur.*

164 *Recusans Iudicem debet allegare causam talem, quæ si esset probata, deberet legitima reputari.*

165 *Recusatio proponi, seu scriptura recusationis debet legi coram eodem Iudice.*

166 *Recusatione reiecta per Iudicem, recusans debet appellare, iuxta opinionem Innocentij, quam Rota sequitur.*
Et quod post appellationem fieret, remaneret nullum.

167 *Quæ appellatio debet interponi in scriptis.*
Non est tamen necessè apponere clausulă in his scriptis.
Apostoli tamen sunt petĕdi.

168 *Recusatione proposita, & interposita appellatione Iudex debet quiescere.*
Et debēt eligi Arbitri p partes.
Vel per eundem Iudicem ob negligentiam partium.

169 *Arbitris negligentibus idem Iudex debet terminum assignare competentem.*

170 *Arbitri si infra terminum non cognouerint de causa suspicionis, idem Iudex potest procedere ad vlteriora.*

171 *Arbitri electi debent parti assignare terminum ad probădum causam propositam.*

172 *In tribus casibus causa suspicionis non est probanda coram Arbitris; sed vel coram altero coniudice, vel coram Episcopo, quando recusatur, vel Delegatus ab eo, vel Vicarius.*

173 *Vicarius licet quoad quadă faciat idem concistorium cum Episcopo, non tamen quoad omnia.*

174 *Ex duobus Iudicibus, qui non est recusatus, si procedat simul cum recusato, valet processus.*

175 *Si terminus datus partibus ad eligendum Arbitros, vel Ar-*

Arbitris ad finiendum negotium suspicionis, non fuerit competens, datur appellatio.

176 *Suspicionis causa si nō fuerit probata, Iudex potest in causa procedere.*

177 *Si verò probata fuerit legitima suspicionis causa, tunc Iudex caret iurisdictione. Et potest, vel consentientibus partibus, alteri non suspecto causam committere, vel eam ad Superiorem remittere.*

178 *A recusatione proposita censetur quis recedere, quando illam proposuit sine iuramento, nec illud vult praestare, debet enim suspicio allegari cum iuramento.*

179 *Suspicio non probatur per solum iuramentum, quando requiritur allegatio causae. Et suspectum iurare debitorem non sufficit absque allegatione causae, quia Forensis, vel Vagabundus, & non possidens immobilia.*

180 *In recusatione Iudicis de iure Ciuili non requiritur allegatio causae suspicionis; & ideò solo iuramēto probatur. De iure autem Canonico nō probatur suspicio solo iuramento, quia requiritur allegatio causae suspicionis.*

181 *Recusatio Iudicis non valet, quando non interuenit iuramentum.*

182 *Commissionem obtinens auocatoriam ratione suspicionis debet iuramentum praestare ab initio, quando in Commissione adest clausula, prout iurare paratus est.*

183 *Sed si adest clausula, prout iurare paratus est, si opus fuerit; tunc sufficit, vt praestetur ante sententiam. Vigore autem Innocētianae, quae seruatur in Rota sufficit, vt quādocunq. praestetur.*

184 *A recusatione recedere censetur is, qui postea comparet coram eodem recusato. Nisi in comparitione protestetur.*

185 *Quae protestatio debet repeti in quolibet actu, alias comparens censetur recedere.*

186 *Protestatio de non recedendo à recusatione, seu citrà consensum in iurisdictionem, nō iuuat quando comparens faceret aliquem actum; quia esset contraria facto. Vt si instaret subrogari Iudicem remissoriae in locum Defuncti. Vel si coram recusato dedisset fideiussores, vel interrogatoria.*

Vel

Vel obtinuisset iurare testes, & examinari.
Item quando comparuisset in loco suspecto, & recusato.

187 *A recusatione Iudicis, quando quis recessit, non potest de nouo recusare, nisi ex causa noua.*

188 *A recusatione censetur recedere, qui comparet cum protestatione; sed non appellat ab vlteriori processu, iuxta opinionem Rotæ.*

189 *A recusatione pariter censetur recedere Procurator, qui illam proposuit sine mandato, vel de mandato non docuit, nec de ratificatione.*

190 *Procurator, vt possit allegare Iudicem suspectum, debet habere speciale mandatum, & quæ sit ratio.*

191 *Mandatum sufficiens ad iurandum suspectum censetur, quando dicitur, vt possit præstare quodcunque iuramentum licitum in animam Constituentis.*

192 *Recusatio proposita per Procuratorem sine mandato valet, quando principalis ratificauit: vtpotè si coram alio Iudice causam prosecutus fuit.*

193 *Mandatum sufficiens ad recusandum suspectum censetur, si in eo adest solita clausula ad Iudices, & Notarios recusandum, & alios eligendum.*

194 *Citatus coram vno, an eo mortuo, vel remoto debeat comparere coram successore vsque ad num. 204.*
Citatus coram Papa, eo mortuo tenetur comparere coram successore.

195 *Citatus coram A.C. vel Ordinario, eo mortuo tenetur comparere coram successore, qui debet perficere, quod antecessor cœperat, vide plures illationes.*

196 *Citatus coram Delegato debet comparere coram successore in dignitate, si delegatio alicui fuit facta nomine dignitatis.*

197 *Si vero nomine proprio, non tenetur citatus comparere coram successore, nisi ille de nouo citet.*

198 *Iudex si perfecit omnia Edicta, eo mortuo successor dabit nouam citationem.*

199 *Sed si non perfecit omnia, eo mortuo terminus circumducitur; & successor debet de nouo citare.*

200 *Citatus mortuo Iudice non tenetur comparere coram successore, si citauit nomine pro-*

proprio; secus si nomine dignitatis.

201 *Papa si concedit indultum usque ad suæ voluntatis beneplacitum, eo mortuo expirat.*

Secus si ad Apostolicæ Sedis beneplacitum, quia Sedes ipsa non moritur, & gratia durat quousque à successore reuocetur.

202 *Ad Sedem Apostolicam, qui tenentur venire, adstricti sunt etiam Sede vacante.*

203 *Fideiussor de iudicatum soluendo quãdo receditur à primo Iudice, & itur ad alium Iudicem alterius Tribunalis, non tenetur.*

Secus si ad alium Iudicem eiusdem Tribunalis, quando fideiussor non se restrinxit ad Iudicem certum, exprimendo illius nomen.

204 *Error in nomine, vel Officio, seu dignitate Iudicis vitiat citationem, & præsumitur error affectatus, quando ipse Iudex concepisset citationem.*

205 *Sed quando citatio concepta fuisset vel per Notarium, vel per partem, error in nomine Iudicis non vitiaret, si ex alijs appareat coram quo citetur.*

DE EXPRIMENDO Nomine eius, qui citandus est.

206 *Nomina comparata sunt ad recognoscendum singulos.*

Nominis proprij expressio sufficit, quando illud est singulare.

Secus vbi essent plures eiusdem nominis.

Probatio aliquando deficit, licet non deficiat ius.

207 *Ex pluribus Titijs si vnus citatus est, & illum Nuncius cognouerit, & distinxerit ab alijs; valet citatio.*

Aliàs citatio esset temeraria, & pars teneretur reficere expensas.

208 *Personæ certitudo quando ex solo nomine proprio haberi nõ potest, cognomẽ debet apponi.*

209 *Cognomen quando etiam singulare non est, persona potest demonstrari per nomen appellatiuum quando conuenit vni tantum.*

210 *Et si nec sufficit nomen appellatiuum recurritur ad nomen patris, & loci, vel etiam matris.*

Item ad nomen dignitatis, vel officij.

Vel ad alias qualitates, seu circumstantias.

Et

Et error in vocabulo non noceat, quando de corpore constat.

211 *Persona citandæ nomen ita specificari debet, vt nulla sit ambiguitas.*

212 *Personæ citandæ certitudo requiritur respectu Nuncij, qui nisi notam haberet personam citandam citatio nõ valeret.*

213 *Personæ citandæ sola specificatio non sufficit; sed debet etiam exprimi quo nomine citetur.*

214 *Si indefinitè quis citaretur, non expresso quo nomine, citatio tanquam incerta, & obscura non valeret.*

215 *Obscuritas est, vbi est pluralitas.*

Et quod non intelligitur obscurum est.

Et obscura citatio non valet.

216 *Citatio obscura non est, quando citatur is, qui vno solo nomine potest conueniri: tunc non est necessaria alia expressio quo nomine citetur.*

Idem est, quando id colligitur, vel ex causa expressa in citatione, vel ex iuribus productis, vel ex actis.

217 *Citatus vti Petrus Martini, cum sit Petrus Ioannis, si non comparet, talis error vitiat; secus si comparet.*

218 *Citati si fuerint Administratores Hospitalis, non vti Administratores, sed vti Executores testamẽtarij N., cuius hæres extitit Hospitale, citatio non valet: cum diuersa sit causa Hospitalis à causa hæreditatis N.*

219 *Et vbi quis citatus est in vna causa, non potest contra eum procedi in alia.*

220 *Citatus vbi fuerit quis vti principalis, cùm debuisset citari vti Tutor, vel Procurator; talis citatio non valet.*

Secus si fuisset citatus solo proprio nomine, quia sustineretur actus ex capite, quo sustineri potest.

221 *Citatio dubia interpretari debet ad fauorem citantis.*

222 *Principalis debet nominatim citari, non autem generaliter pro suo interesse.*

223 *Citatio facta contra filios, & hæredes N. & sic sub solo nomine appellatiuo, quando valeat.*

224 *Nuncius referens indefinitè citasse filios, & hæredes N. non expressis proprijs nominibus, citatio remaneret ambigua.*

225 *Citatio facta ad domum sub nomine proprio, præsumitur deuenisse ad eius notitiam.*

Ci-

226 *Citans aliquem, vti hæredem debet probare eum esse talē.*

227 *Filius nunquam præsumitur hæres patris, vt eius persona possit condemnari; sed vt eo citato possit executio fieri contra bona hæreditaria; nisi probetur se immiscuisse in hæreditate.*

Expressio Citandorum per quem fieri debeat.

228 *Expressio nominum citandorum de iure fieri debet per Iudicem, siue Ordinarium, siue Delegatum in decreto citationis; nō autem per Nuncium in eius executione.*

229 *Expressio vel fit in specie, quando Iudex mandat citari Titium, aut Seium; vel in genere, quando mandat citari omnesque alios, &c.*

230 *Clausula omnesq. alios, &c. restringitur ad solos tres, vel quatuor.*

231 *Clausula omnesq. alios in executione citationis nominandos, & cognominandos, operatur, vt specifica nominatio fieri possit per Nuncium in actu executionis.*

232 *Clausula in rescriptis apposita, & quidam alij, &c. facit de iure, vt nomina debeant per impetrantem exprimi in prima citatione; sed Rota contentatur, quod exprimantur in partibus.*

233 *Clausula cum potestate citandi tam in Curia, quàm extra omnes sua interesse putantes, &c. quam vim habeat.*

234 *Vigore dictæ clausulæ omnesque alios, quia non possunt citari vltra quatuor; Ideò in Commissione consueuerunt addi, etiamsi essent vltra quatuor.*

235 *Vigore dictæ clausulæ omnesque alios, &c. etiam in executione citationis præsentiū vigore decernendæ nominandos, tam Auditor, quàm Notarius, vel Nuncius poterit citandos specificare.*

236 *Clausula omnesq. alios, &c. potest apponi etiam in citatione per Edictum, cum distinctione tamen.*

237 *Si in nomine, vel cognomine Aduersariorum sit erratum in Commissione, correctio illorum, & melior expressio potest fieri in citatione; dummodò constet ex alijs, quod sit eadem persona.*

238 *Commissione impetrata contra vnum vnius Diœcesis, nō potest citari alter alterius*

Diœcesis, etiam vigore clausulæ, & quidam alij, &c.

Item Commissione impetrata contra homines Diœcesis non possunt citari homines Ciuitatis, etiam vigore dictæ clausulæ, & quidam alij.

239 *Nomen Iudicis in rescripto, quando est dubiũ, quis censeri debeat Iudex.*

240 *Nuncius non potest in actu executionis citationis, vigore prædictæ clausulæ omnesque alios, exprimere nomina citandorum; sed vel debet instrui à principali, vel à Procuratore.*

241 *Principalis potest declarare quem velit citari, non autem eius Procurator; nisi habeat speciale mandatum, vel nisi Dominus ratificauerit.*

242 *Clausula omnesque alios, &c. non operatur, vt possint citari maiores expressis.*

Benè autem minores, & etiã pauperes, & miserabiles personæ; licet possint petere remissionem ex priuil. l. vnica, C. quando Imper.

243 *Clausula omnesque alios, si expressa sit persona vera, non operatur, vt possit citari persona ficta, vel repræsentata, prout est Vniuersitas, Capitulum, vel Collegium.*

244 *Vniuersitas potest citari vigore clausulæ omnesque alios; si adsit alia clausula, factores, & perturbatores cuiuscunque nominis.*

245 *Vniuersitas Monialium potest citari vigore Commissionis obtenta contra Monialem Abbatissam, omnesque alios, &c.*

246 *Vniuersitas Laicorum potest citari vigore clausulæ omnesque alios, &c. quando in Commissione esset specificata alia Vniuersitas Religiosorum.*

247 *Vigore clausulæ quam, & quas, &c. si agendum sit super re indiuidua, videlicet, iudicio familiæ herciscundæ, vel communi diuidendo, tũc omnes ius in re habentes debent citari, etiãsi essent plures quatuor.*

248 *Possessor citatus vigore clausulæ omnesque alios, non desinit esse pacificus ad effectum reg. de trien. quando dicta clausula non esset apposita in Commissione; sed in sola citatione.*

249 *Clausula apposita in Cõmissione omnesque alios, &c. si Iu-*

Iudex mandat citari dumtaxat vnum, non poterit Nuncius plures citare.

250 *Clausula omnesque alios, &c. apposita in Commissione, si Iudex suam facultatem restrinxisset ad vnum citandum, non posset posteà illam extendere ad alios.*

251 *Vigore dictæ clausulæ, qui certi sunt, & quorum persona scitur, vel sciri potest, nominatim citari debent.*

252 *Nominatim fieri dicitur citatio, quando exprimuntur nomina, & cognomina citandorum, vel per alias circumlocutiones certas.*

253 *Qui verò incerti sunt, citantur per affixionem, vel proclama in locis publicis.*

254 *Illi qui sunt certi, non possunt citari ante factam expressionem nominum citandorum vigore prædictæ clausulæ.*

255 *Nominatim sunt citandi interesse habentes, nedùm qui certi sunt, sed & qui de facili possunt certificari, etiãsi degant in loco distanti per 30. miliaria.*

256 *Vbi plures sunt citandi, non excusatur agens, ex eo solo, quod ignorasset alium adesse; nisi probaret inuestigasse, an alij existerent.*

257 *Ignorantia in facto alieno nõ excusat, vbi quis tenetur inuestigare, seù de facili certior fieri potest.*

258 *Tutor vbi sit citandus, non sufficit citare vnum, qui credatur esse Tutor, sed debet probari fama, & quomodo.*

259 *Possessor vbi citari debet; inuestigandum est, quis possideat.*

260 *Certi, & incerti, qui censeãtur ad effectum, vt citari debeant specialiter, vel generaliter.*

261 *Qui, stante clausula, omnesque alios, non potuerunt citari vltra quatuor; possunt nihilominus venire ad causam; alias scientes causam agi, sibi præiudicarent.*

262 *Tertius veniens ad causam vigore clausulæ omnesque alios, potest procedere contra Actorem absentem, etiam in gradu appellationis.*

263 *Tertius quando vigore dictæ clausulæ omnesque alios, &c. venit ad causam, non potest Actor quoad eum petere dilationem ad partes.*

264 *Tertius quãdo venit ad causam vigore Commissionis, cum clausula omnesque alios,*

 tunc

tunc dicitur lis legitimè introducta contra eum, & debet admitti in statu, & terminis.

265 *Interesse habens, si non vult admitti in statu, & terminis, potest impetrare nouam Commissionem ad eundem, vel ad alium Iudicem.*

266 *Delegatus vigore clausulæ omnesq. alios, &c. habet contra comprehensos in clausula iurisdictionem habitu, non actu; antequam eos citauerit.*

267 *Quod vigore clausulæ omnesque alios, &c. non possint citari, nisi quatuor, an habeat locum solum in litteris Papæ, an verò in litteris Episcoporum, & aliorum.*

268 *Clausula cum facultate citandi, & inhibendi quos, quibus, &c. æquiparatur clausulæ omnesque alios.*

269 *Clausula omnesq. alios apposita in litteris Ordinariorum operatur, vt possint citari, etiam plures vltra quatuor.*

DE EXPRIMENDO Nomine instantis.

270 *Instantis nomen, & cognomen exprimi debet in citatione.*

Et quando sunt plures, sufficit eos complecti nomine litis consortium.

271 *Sententia quando concernit fauorem plurium, sufficit quod vnus instet pro omnibus, quando est eadem causa defensionis; aliàs secus.*

272 *Identitas personæ probatur ex solo nomine, si non sit alius eiusdem nominis: aliàs requiritur expressio cognominis, vel etiam patriæ, & quando hæc non sufficiunt, additur nomen Patris, vel Aui.*

273 *Instantis nomine errato citatio vitiatur.*

274 *Error nominis non vitiat, quando sunt duæ demonstrationes speciales, secus si generales.*

275 *Nominis eiusdem vbi plures sunt, si ex circumstantijs non possit intelligi plus de vno, quàm de alio, citatio remanet nulla.*

276 *Instans in citatione debet exprimere, an citet nomine proprio, vel alieno.*

277 *Excommunicationis exceptio contra partem citantem potest opponi in qualibet parte iudicij.*

278 *Etiam coram mero Executore contra Agentem pro solutione pensionis.*

Ex-

279 *Excommunicatio ad effectũ denegationis audientiæ sufficit, vt probetur per leuiores probationes.*

280 *Excommunicatus, quãdo est Reus originarius, potest se defendere, nisi tamen contempsisset absolutionem.*

281 *Instans pro citatione si sit publicè excommunicatus, citatio non arctat ad comparendum.*

282 *Periurus non auditur, etiam citans pro sola manutentione in possessione.*

283 *Hæres, & defunctus eadem est persona, & in eum omnia iura transeunt, & adeundo quasi contrahit.*

284 *Hæres non potest agere, nisi docto, quod sit talis, parte scilicet opponente; & pro oppositione non sufficit protestari neminem audiri, nisi docto de legitimo mandato.*

285 *Hæres si possidet hæreditatem tanquam hæres, & agit pro iuribus hæreditarijs, alio prætendente hæreditatem, debet probare se esse talem, secus nemine contendente.*

286 *Hæres possidens potest cogi, vt declaret, an possideat pro hærede, vel pro possessore.*

287 *Qui prætendit se esse hæredem non tenetur probare se esse proximiorem; sed sat est probare esse de ijs, qui vocantur ab intestato, quando agit contra extraneum.*

288 *Cessionarius succedit in locum cedentis, & reputatur eadem persona cum illo.*

289 *Fori priuilegio cedentis, quando gaudeat Cessionarius.*

290 *Cessionario obstant omnes exceptiones, quæ obstant cedenti.*

291 *Compensationis exceptio, quæ posset opponi contra cedentem, potest opponi etiam contra Cessionarium.*

292 *Cessionarius non sufficit, quod doceat de cessione, nisi etiam iustificet creditum cedentis.*

293 *Tutor nihil agere potest ante confectionem Inuentarij, nisi id quod dilationem non patitur.*

294 *Tutor non conficiens Inuentarium tenetur de dolo, nisi causam iustam possit allegare.*

295 *Tutor publicè gerens se pro tali, præsumitur adimpleuisse omnia adimplenda, maximè in concernentibus commodum pupilli.*

296 *Tutori agenti pro pupillo non potest obijci, quod Inuentarium non confecerit.*

297 *Tutor quando conuenitur debet actor instare pro exhibitione tutelæ, & Inuentarij alias processus est nullus, in præiudicium scilicet alterius, non autem pupilli.*

298 *Tutor, quod publicè gesserit se pro tali, probari potest per testes deponentes de publica voce, & fama.*

299 *Tutela ex communi reputatione, seù fama non probatur nisi tutela exhibeatur, vel adducantur adminicula.*

300 *Tutor vnus ex pluribus datis non insolidũ, sed coniunctim, non potest agere.*
Sed vno mortuo expirat tutela quoad omnes.

301 *Tutore instante pro citatione, si exprimeretur instante N. Curatore, citatio valeret.*

302 *Tutor potest dici Curator; sed non è conuerso Curator potest dici Tutor.*
Plus potest trahi ad minus non è conuerso.

303 *Curator inuito potest dari ad certam causam.*

304 *Citatio ad instantiam Curatoris non valet sine decreto curæ.*

305 *Curator specialis datus habenti Curatorem generalem ex falsa causa, quod alium Curatorem non haberet, quando possit citari pro minore.*

306 *Tutoris, vel Curatoris datio, quando fuerit erratum in causa facti, an valeat.*

307 *Curator furiosi potest eius nomine citare, si sit datus causa cognita, requisitis Cognatis, Vicinis, & Amicis.*

308 *Furiosus necessario non probatur ex sola datione Curatoris ad inualidandum eius testamentum.*

309 *Curator datus furioso habenti dilucida interualla, semper remanet Curator etiam pro tempore, quo cessat furor.*

310 *Minor quod quis sit non probatur ex eo solo, quod habeat Curatorem, ad effectum scilicet restitutionis in integrum.*

311 *Curator datur etiam pupillis ad litem, quando vel Tutorem non habent, vel non idoneum.*

312 *Curator datur etiam filio habenti patrem bannitum, vel apud Hostes.*

313 *Curator cur detur hæreditati*

ti iacenti, & quas actiones possit intentare.

314 *Hæreditate iacente, donec detur Curator, non currunt tempora, nec potest esse iudicium.*

315 *Actor ad lites constituitur per Tutorem, vel Curatorem, non autem Procurator in rem pupilli, vel adolescentis.*
Actor ad lites in quo differat à Procuratore.

316 *Procurator potest constitui per pupillum, vel minorem.*

317 *Procurator potest constitui etiam per Tutorem, vel Curatorem, post litem tamen contestatam.*
Procurator potest substituere post litem contestatam.

318 *Vniuersitas habet res communes Arcam communem, & Actorem, siue Sindicum. Sindicus constituitur ab Vniuersitate.*
Oeconomus ab Episcopo in rebus Ecclesiasticis.
Actor etiam ab vno.

319 *Vniuersitas si constituit N. Procuratorem, cùm deberet dicere Sindicum, non vitiatur constitutio, licet erratum sit.*

320 *Episcopus constituens N. & N. Vicarios suos, & Procuratores, cum debuisset constituere Actores, & Sindicos, Constitutio nihilominus valet.*

321 *De Actoris, Sindiciuè constitutione quando dubitatur, debet Actor cauere de rato.*

322 *Coniunctus nomine coniuncti potest instare pro citatione.*

323 *Coniunctorum appellatione veniunt transuersales vsque ad quartum gradum ad effectum agendi.*

324 *Coniunctus licet agere possit pro coniuncto, non tamen ei solui potest.*

325 *Coniunctus non potest comparere pro coniuncto, qui habet alium Procuratorem constitutum.*

326 *Coniunctus id facere nequit, per quod coniunctus incideret in pœnam.*

327 *Coniunctus qui comparuit pro coniuncto, & litem fuit contestatus, potest alium Procuratorem constituere; sed non ante litem contestatam.*

328 *Maritus potest agere pro vxore sine mandato, si caueat; & non sit constitutus Procurator specialiter in alia causa; quia in alijs cen-*

censetur prohibitus.

329 *Coniunctus pro coniuncto non admittitur in beneficialibus, nec in prophanis, in quibus requiritur speciale mandatum.*

330 *Procuratoris vsus est necessarius pro his, qui rebus suis interesse nequeunt.*

331 *Procurator repræsentat personam Domini, & in causa non potest examinari pro teste, nisi causa finita.*

332 *Procuratori quinque exceptiones opponi possunt.*

333 *Mandatum non præsumitur.*

334 *Procurator non potest constitui, qui est excommunicatus.*
Nec minor.
Nec mulier.
Nec Monachus extra rem Monasterij.

335 *Procurator non potest constitui in criminalibus.*
Nec Procurator potest constitui in ciuilibus per Tutorem sine decreto Iudicis.
Nec potest constitui per mulierem sine solemnitatibus.

336 *Procurator non potest substituere, antequam constet illum acceptasse mandatum.*

337 *Procurator solo consensu datur, & solo consensu reuocatur; non obstante iuramento. licet reuocans incidat in periurium.*

338 *Procurator reuocatur, vel expressè per scripturam, vel tacitè per constitutionem alterius.*
Vel etiam ex eo, quod principalis comparuisset absque clausula, citra tamen reuocationem Procuratoris.

339 *Mandatum procuræ expirat morte mandantis.*
Si tamen quid fecisset Procurator, antequam sciret mortem principalis, sustineretur.

340 *Mandatum potest quandocunque produci, etiam post sententiam, parte non opponente.*
Et etiam in causa appellationis, si anteà fuisset factum, secus si post.
Et quando de eo non fuit oppositum, non potest post sententiam dari de eius defectu.
Et quandocunque opponi potest de defectu mandati, semper illud produci potest, etiam post tres conformes.

341 *De mandato quando opponitur, debet de eo doceri. Saltem ante sententiam latam, non autem post.*

Pro-

342 *Protestatio neminem exaduersò comparentem audiri, nisi docto de legitimo mandato, ita quod per subsequentem ratificationem acta validari non possint; nedùm fieri debet; sed etiam repeti, & appellari ab vlteriori processu.*

343 *Mandatū productum, stante protestatione, & repetitione, etiam de tempore sententiæ ferendæ, non conualidat acta, anteà post protestationem nulliter facta.*

344 *Procurator pupilli, vel minoris negligens producere mandatum, etiam parte opponente, non tamen sententia pro eo lata esset annullanda.*

345 *Procurator constituitur etiã per litteras missiuas.*

346 *Procuratoris constitutio, si sit facta per rogitum Notarij coram eo solo, dicitur esse apud acta, non de actis.*

Et eget testibus tanquam extraiudicialis.

Secus si coram Iudice; quia tunc non eget testibus, tanquam iudicialis.

Et si illam Notarius retinet in solo manuali, licet non ponat in actis, non præiudicat parti.

347 *Mandatum procuræ non probatur sufficienter allegando illud rogatum in alio Officio; nisi illud in actis exhibeatur.*

348 *Idem si in eisdem actis sit rogatum, sed in alia causa, & inter alios; quia debet repeti in eadem causa.*

349 *Procurator admissus cum promissione de rato, potest citare, dummodò ratificetur ante sententiam.*

350 *Procurator admittitur sine mandato pro defensione Ecclesiæ, negligente Capitulo.*

351 *Mandatum probatur per coniecturas.*

352 *Ex traditione iuriũ ad causam facietium, an & quando præsumatur mandatum.*

353 *Substitutio Procuratoris, ex consignatione sola scripturarum, facta alicui per habentem facultatem substituendi, non præsumitur facta, scilicet ante litem contestatam.*

354 *Ex impensa facta in lite, an & quando mandatum præsumatur.*

355 *Ex scientia, & patientia Domini, quando inducatur præsumptio mandati.*

Ex

356 *Ex assertione Notarij, an & quando præsumatur mandatum.*

357 *Ex assertione ipsius Procuratoris non præsumitur mandatum, nisi concurrentibus adminiculis.*

358 *Ex approbatione partis, an & quãdo præsumatur mandatum.*

359 *Ex solo cursu temporis, an & quãdo præsumatur mandatum.*

360 *Ex depositionibus testium nedùm præsumitur; sed etiam probatur mandatum.*
Etiam si testes sint singulares, singularitate tamen adminiculatiua.

361 *Mandatum procuræ extenditur ad aliam causam, etiã ad futuras; si constat de voluntate constituentis; & si aliæ non requirant speciale mandatum.*

362 *Procurator Capituli, an & quando censeatur Procurator etiam singulorum.*

363 *Procurator generalis alicuius Ordinis, an censeatur Procurator singulorum Monasteriorum.*

364 *Procurator simul cum alio constitutus non potest solus comparere; nisi adsit clausula insolidum.*

365 *Procurator in criminalibus non admittitur. fallit quando de crimine agitur ciuiliter.*

366 *Procurator à minore constitutus auditur, si fuit constitutus cũ auctoritate Tutoris, vel Curatoris.*

367 *Procurator substitutus non admittitur, nisi appareat de acceptatione mãdati per substituentem.*

368 *Procurator Vniuersitatis auditur, quando apparet interueniße sono Campanæ duas ex tribus partibus.*
Et opponens contra mandatum debet probare.

369 *Procurator ante litem contestatam potest reuocari, siuè tacitè, siuè expressè: secus post.*

370 *Procurator cõstitutus ad omnes causas, si reuocetur quoad vnam, non censetur reuocatus quoad alias; secus si reuocatio sit generalis, & eo tempore nulla alia causa ageretur.*

371 *Reuocatio mandati debet intimari Procuratori, & Aduersario.*

372 *Procurator cum facultate substituendi non potest substitutum reuocare, nec causam reassumere; nisi hoc habeat*

beat expressum in mandato.

373 *Procurator primus censetur reuocatus per Cōstitutionem secundi.*

374 *Procurator primus quando censeatur reuocatus per hæredem, qui secundum constituit.*

375 *Procurator primus quando non censeatur reuocatus per comparitionem principalis, etiam sine clausula citra.*

376 *Procurator constitutus ad solam instantiam; post litem contestatam efficitur Dominus instantiæ.*
Si verò est constitutus ad omnes instantias, tunc post contestationem remanet Dominus litis.

377 *Procurator Dominus, siuè instantiæ, siuè litis, quando possit reuocari.*

378 *Procurator debet se opponere reuocationi; sed interim abstinere, scripturas autem retinere non potest pro salario; sed solum pro expensis.*

379 *Procurator post litem contestatam non potest reuocari in præiudiciū partis aduersæ.*

380 *Procurator in iudicijs Summarijs quibus lis non contestatur, efficitur Dominus litis, quando incipit tractare merita causæ.*

381 *Procurator in Ordinarijs cōstitutus post litē contestatam, post actū quem cœpit exercere, fit Dominus irreuocabilis.*

382 *Procurator in rem propriam dicitur, quando fuit positus vel in locum constituentis, vel vt sibi satisfaceret de suo credito.*
Et non potest reuocari.

383 *Adiectus solutioni simpliciter non potest agere.*
Secus quādo est adiectus vti in rem propriā, vt sibi soluat.

384 *Mandatum non expirat per mortem constituentis, etiam ante litem cōtestatam, quando Procurator præstitit cautionem iudicatum solui.*

385 *Post litem contestatam per mortem mandantis non expirat mandatum.*
Declara quod si Procurator est constitutus ad solam instantiam, & post litem contestatam moritur mandans, tunc per mortē expirat mandatum; quia Procurator erat effectus Dominus instantiæ, non autem litis; potest nihilominus eandem instantiam prosequi.

386 *Procurator constitutus in vna causa, eo ipso quod est lata sententia, desinit esse Procurator.*

Pro-

387 *Procurator Dominus litis effectus, non obstante morte mandantis, potest prosequi litem in omnibus instantijs.*
Quando scilicet non constat ab aliquo fuisse aditam, vel repudiatam hæreditatem.
Vel quando dubium est, an decesserit cum hærede, vel sine.
Quia interim Procurator potest continuare.

388 *Mandatum Procuratoris effecti Domini litis non expirat morte mandantis, quando certum est eum decessisse cum hærede.*
Sed si certum sit decessisse sine hærede, expirat, cùm nulla remaneat defuncti imago, & bona vacantia non repræsentant hæredem.

389 *Morte mandantis in Beneficialibus expirat mandatum, quia in illis non datur hæres.*

390 *Mandatum procuræ datum per Beneficiatum expirat, quando Beneficiatus transfertur ad aliud beneficium, vel si illud resignauerit.*
Nisi fuisset datum nomine Ecclesiæ, seù dignitatis; quia tunc non expirat: nam Ecclesia non moritur, neque dignitas.

391 *Mandatū expirat per mortem ciuilem; at vbi quis fuit cōdemnatus ad triremes perpetuò, sed absque confiscatione bonorum, non expirat.*

392 *Pater vti legitimus administrator bonorum filij, si post constitutum à se Procuratorem fuerit bannitus, mandatum Procuratoris non expirat.*

393 *Mandatum substituti non expirat per mortem substituentis, quia habet facultatem à primo mandante, non à substituente.*

394 *Mandatum procuræ reuocatur per superuenientem inimicitiam.*

DE EXPRIMENDA causa propter quam quis citatur.

395 *Causa propter quam quis citatur non expressa, citatio remanet sub Nube.*

396 *Præceptum factum per Delegatum ad comparendum causa non expressa, nō valet. Secus per Ordinarium, quādo præceptum, seù citatio fit ad instantiam Actoris.*

397 *Citatus sine expressione causæ tenetur comparere, ad effectum ne propter Iudicis contemptum possit puniri.*

Secus

Secus autem ad effectum, vt possit cōtra eum procedi tanquam contra contumacem.

398 *Ambasciata quædam censetur citatio facta per Ordinarium sine expressione causæ: & si vocatus non obediat potest cogi, & adduci ad præsentiam.*

399 *Causæ expressionem debet citatio continere, vt arctet in quocunque iudicio, & debet esse clara, & plenam instructionem continere: siue in ciuilibus, siue in criminalibus, siue etiam in feudalibus.*

400 *Causæ expressio in genere, vt puta ad audiendam voluntatem, non valet propter incertitudinem.*

401 *Præuentionem nō inducit citatio, continens expressionem causæ in genere, tanquam incertæ.*

Secus si esset certificata per relationem ad acta.

Quod intellige ad effectum, vt possit ferri interlocutoria; secus vt possit ferri diffinitiua.

Certum etiam dicitur, quod per relationem certificari potest.

Citatio debet cōtinere etiam causam causæ.

402 *Causa expressa in citatione si sit erronea, citatio non arctat ad comparendum.*

403 *Causa expressa in citatione, si sit iniusta, arctat ad iudicium, nisi iniustitia sit euidens.*

404 *Solitum, & stylus. seù consuetudo seruari debet in concipiendis citationibus, alias non arctant.*

Stylus Curiæ est attēdendus.

Consuetudo quæ sit in ea prouincia, in qua quis iudicat, debet explorari.

405 *Citatio emanata à Principe non valet, quando est contra stylum Principis.*

406 *Falsitas præsumitur ex clausulis insolitis.*

407 *Citatio non valet non obseruata forma Statuti.*

408 *Citatio si contineat aliqua verba obscura, recipit interpretationem à consuetudine.*

Et ea cessante à cōmuni vsu loquendi.

Et in omnem euentum à declaratione eius, ad cuius instantiam emanauit.

409 *Citatio potest fieri, vel ad totam causam, vel ad singulos actus.*

Ad totam causam, quoad absentem de longinquo.

Ad singulos, contra præsentem, rationem vide.

Ci-

410 *Citatio habens insertum tenorem libelli, dicitur citatio libellata, sed ex consuetudine non inseritur.*

411 *Citatio potest post cœptum iudiciũ fieri ad plures actus insimul, vel ad vnum.*
Et expresso vno actu solet addi clausula, & aliud quodcunque decretum desuper necessarium, & oportunum fieri, & interponi; & quæ sit ratio.

412 *Citatio ad sententiam debet specificè fieri; aliàs non valet, & exempla ponuntur.*

De Pœna in Citatione exprimenda.

413 *Pœnam in primis citationibus solent Iudices comminari contumacibus.*

414 *Contumax vt quis reputetur, debet peremptoriè citari.*

415 *Peremptorius est quilibet terminus post litis ingressum.*

416 *Pœna 500. ducatorum in Monitorijs apponitur potius ad terrorem, quàm ad effectum exigendi.*

417 *Pœna, an & quando exigi possit in foro conscientiæ.*
Pœna cõuentionalis de æquitate Canonica exigi non potest; nisi quatenus concurrat cum interesse, & non vltra.
Idem de pœnis in citatione appositis.

418 *Censuras solent Iudices Ecclesiastici in primis citationibus comminari; sed debent potiùs comminari pecuniarias, quando magis timerentur, etiam ex dispositione Sac. Concil. Trident.*

419 *Citatus ad comparẽdum sub pœna excommunicationis, nõ fit excommunicatus, si non cõpareat ex iusto impedimẽto. Item si non sit de iurisdictione citantis.*

420 *Iudex si excõmunicat exemptum, quia citatus sub pœna excõmunicationis non venit, sententia est nulla, etiamsi ignorasset eum esse exemptũ.*

421 *Pœna confiscationis omnium bonorum in citationibus criminalibus non debet apponi.*

422 *Pœna publicationis bonorum feudalium in citatione etiam emanata à Principe contra feudatariũ, non debet apponi.*

423 *Baronem si Rex faciat citari, vt ostendat iura, quæ habet in Castris, quæ possidet; aliàs auferret ea sibi: talis citatio est nulla.*

424 *Titulum suæ possessionis nemo cogitur exhibere.*

425 *Citatio non valet, quando cõtinet pœnam insolitam, tam in*

in ciuilibus, quàm in criminalibus, vt in exemplis.
Comminatione in citatione facta, quando Iudex grauat, potest ab eo appellari.
Sed quando extraiudicialiter comminatur, potest vti suspectus recusari.

De Loco in Citatione exprimendo.

427 *Locus necessariò est exprimendus in citatione.*
Sed si Ordinarius citat sine expressione loci, intelligitur citare ad suum Tribunal, in quo ius reddi solet.
Et si faceret actum in alio loco, nulliter ageret.

428 *Præses Prouinciæ citans sine expressione loci, intelligitur de loco certo, vbi consueuit ius reddere.*
Et si in alio loco sententiam ferret, sententia non valeret.

429 *Delegans, si nõ exprimit certum locum, censetur mãdare, vt iudicet in loco consueto, & partibus non incommodo.*

430 *Delegatus, postquam elegit locum, quo velit iudicare, debet illum parti intimare, seù in citatione inserere; itaut locorum æquiuocatio non resultet; aliàs citatus non teneretur comparere.*

431 *Ordinarius si solitus fuisset in duobus locis ius reddere, citatio non valeret, facta vno loco non expresso, tanquam incerta.*

432 *Citatio Iudicis remissoriæ incerta, & vaga ratione locorum non valet.*

433 *Locus examinis nedùm exprimendus est, sed etiam locus loci; nisi ex circumstantÿs possit colligi.*

434 *Ad certum locum citatio facta, non potest ad alium locum extendi.*

435 *Citatione facta pro iuramẽto Testium ad certum locũ, si Testes iurent extra illũ parte absente, examen est nullum.*

436 *Contumax non reputatur citatus ad vnum locum, quando in alio actus gestus fuit.*

437 *Citatio ad vidẽndum iurare Testes facta alternatiuè, ad hunc, vel illum locum, tanquam incerta, non valet.*

438 *Alternatiua regulariter parit incertitudinem; & ambiguitatem.*

439 *Citatio facta copulatiuè ad vnum, & ad alium locum, non valet; quia resoluitur in disiunctiuam.*

440 *Citatio debet fieri ad locũ tutũ, aliàs citatus ad locum nõ tutum non tenetur cõparere.*

Lo-

441 *Locus non tutus dicitur ad quem non posset quis accedere iusto timore mortis, vel cruciatus corporis.*

442 *Vel quia sit rebellis Principis illius loci.*

443 *Vel ab eo loco sit bannitus.*

444 *Vel quia ibi timet potentiam citantis.*

445 *Vel quia citans est amicus inimicorum ipsius citati.*

446 *Vel quia in eo loco timet potentiam Aduersarij.*

447 *Vel quia in eo loco habet graues inimicitias, cum alijs ciuibus.*

448 *Vel quia in locis per qua necessariò deberet transire habet graues inimicitias.*

449 *Vel quando non est locus tutus propter guerras hostilitates, & hostium incursus.*

450 *Vel quando locus esset morbosus, seù mali aëris.*

451 *Aestiuus calor, an excuset citatum non comparentem.*

452 *Romam an sit tutum peruenire tempore Aestiuo, & ibidem, an sit sanum morari tempore Aestiuo.*

453 *Ad locum inhonestum citatus non tenetur comparere.*

454 *Exceptio loci non tuti non est proponenda, quando notorie locus non est tutus ex causa generali.* *Secus ex causa particulari.*

455 *Exceptio loci non tuti licet sit dilatoria, potest tamen quandocunque opponi, tanquam continens grauamen successiuum.*

456 *Excusator excipiens de loco non tuto, seù de impedimento, debet probare diligentiam adhibitam pro impedimento remouendo.*

457 *Impedimentum debet esse necessarium, & ineuitabile, vt praestet excusationem.*

458 *An exceptio loci non tuti, vel testibus, vel solo iuramento sit probanda, arbitrio Iudicis relinquendū videtur.*

459 *Excusator dicitur, qui non defensiones citati, sed solum factum, & impedimentum proponit.*
Quod proponi potest sine mandato, defensio autem non.

460 *Exceptio loci non tuti proposita si reijciatur, appellandum est, quando locus notoriè non est tutus, secus si notoriè.*

461 *Saluusconductus an tollat exceptionem loci non tuti.*

462 *Saluusconductus per Principes datus debet obseruari.*

463 *Saluusconductus fides fragilis censetur.*

Sal-

464 *Saluusconductus rebelli, bannitouè datus, an sit seruandus.*
Et adducuntur rationes pro, & contra.

465 *Principi, Iudiciuè, an liceat delinquenti confesso denegare promissam indemnitatem, si confiteatur.*
Vide rationes, & exempla.

466 *Iudici in foro conscientiæ non licet cauillosè, & dolosè inducere Reum ad confitendum.*
Nec ex confessione extorta Reum condemnare; nisi ea ratificata.

467 *Saluusconductus siue de iure esset concedendus, siue non; concessus tamen debet obseruari.*
Cum nemo decipi debeat sub fide publica.

468 *Citatus ad locum non tutum non tenetur comparere, si citatur à Principe, cuius est rebellis, seù à Iudice sibi inimico; vel ad Ciuitatem à qua fuit expulsus; vel vbi habet inimicos valdè potẽtes. Secùs si haberet inimicitiam, vel cum Principe, vel cum Iudice ratione soliùs delicti.*

469 *Saluusconductus non potest denegari; aliàs esset tollere defensionem.*

470 *Citatus ad locum, qui non est tutus propter guerras in locis per quos transeundum est, debet comparere, & impetrare Saluumconductum à Principe illius loci, vel trãsire per alia loca etiam remotiora.*

471 *Saluumcõductum impetrãs, ne decipiatur, tria cauere debet; primò, vt illum publicari faciat; secundò, vt impetret à Principe, non à Iudice, quando delictum est atrox, vel condemnatio fuit facta à Principe; tertiò, vt Saluusconductus sit conceptus verbis claris, & apertis, non autem dubijs.*
Vide exempla.

472 *Citatus ad locum nõ tutum, siue pro criminali, siue pro ciuili causa, an & quando teneatur comparere per Procuratorem.*
Et quid si sit citatus ad locum pestis, vel mali aëris.

De tempore in Citatione exprimendo.

473 *Tempus, an necessario sit exprimendum in citatione, & an intelligatur facta tempore congruo, quæstio est valdè intricata.*

474 *Terminus quando est incertus,*

tus, non valet, nec sententia exindè lata.

475 *Citatio sine appositione termini, quod tanquam incerta non arctet, ex pluribus iuribus deducitur.*

476 *In contrarium, quod arctet infra modicum tempus, & quamprimum poterit, deducitur ex pluribus auctoritatibus.*

477 *Et ex pluribus iuribus comprobatur.*

478 *Sed varias distinctiones Doctores afferunt.*

479 *Author adhæret opinioni Bartoli, quam pluribus defendit, & comprobat, & tex. in contrarium adductos declarat.*

480 *Author hanc materiã, quando citatio valeat sine termino, singulariter distinguit.*

481 *Citatio quando fit ad totam causam, terminus debet peremptorius apponi adhoc, vt fiat contumax.*

482 *Citatio quando fit ad contradicendum alicui actui, qui fieri debet, requirit termini appositionem.*

483 *Citatio quando fit ad contradicendum alicui actui iam factio, non est necessaria appositio temporis.*
Intimatio non requirit termini appositionem.

484 *Citatio quando fit ad aliquid faciendum, non potest valere sine termino.*

485 *Citatio quando fit ad videndum aliquid fieri per partem, debet apponi dies.*

486 *Citatio quando fit ad videndum aliquid fieri per Iudicem, si est magni præiudicij, debet apponi terminus; secùs si leuis.*

487 *Citatio quando fit ad sententiam, debet continere diem.*

488 *Citatio ad sententiam, an valeat sine die, an verò intelligatur ad primam diem, siue quãto cititùs poterit comparere.*

489 *Citatio sine die non tenet, quoad effectum, vt procedi possit ad actus iudiciales; sed valet quoad effectum solum mulctandi non comparẽtem.*

490 *Citatio ad videndum iurare testes, si fiat sine die, non valet.*

491 *Citatio si fiat ad videndum iurare testes ad primã diem, cum sequentibus, seù pro singulis diebus, & horis, tanquã incerta, & vaga, & speciem seruitutis inducẽs, an valeat. Distingue, aut fuit præfixus terminus, & tunc valet pro toto termino probatorio, etiã prorogato, nõ autem pro nouo.*

Aut

Aut non fuit præfixus ; & sustinetur per modicũ tẽpus.

492 *Citatio ad videndum inducere testes, non sufficit pro citatione ad videndum iurare testes.*

493 *Examen testium potest fieri post terminum, quando iurarunt in tempore; fallit si terminus fuisset datus ad probandum, & probatum habendum.*

494 *Examen testium valet etiã extra terminum, si pars cõparuisset, & dedisset Interrogatoria, vel etiamsi non dedisset: quia sat est eam habuisse scientiam.*

495 *Citatio ad sententiam debet fieri pro certa die, & non sufficit generalis, & incerta.*

496 *Stylus potest inducere, vt valeat citatio ad sententiam pro singulis diebus, & horis.*

497 *Citatio ad sententiam pro certa die, & deinde pro sequentibus, valet in prima; sed in alijs non.*

498 *Prorogare citationem in sequẽtem diem potest Iudex, & sine noua citatione pronunciare.*

499 *Citatio ad sententiam, si sit facta ad primam diem, & pro octo sequentibus, valet, si feratur sententia in prima die, non obstante additione incerta octo dierum.*

Sed si non feratur in prima die, non potest ferri in alijs.

500 *Citatio ad sententiam in Curia fit ad certam diem, & aliquando ad hodie per totã.*

501 *Sententia non fertur regulariter in die termini citationis, sed terminus habetur pro seruato, quod idem importat, quod pronunciare prout in Cedula.*

Et de stylo habendi terminũ pro seruato. vide plura.

502 *Terminum pro seruato quãdo Iudex vult declarare, quid agendum sit.*

503 *Sententiæ Cedula, quando subscribitur, non notatur dies subscriptionis, sed dies citationis, & termini pro seruato habiti, ad quem retrotrahitur.*

504 *Termino pro seruato habito si Auditor moritur, subscribitur sententia ab alio Auditore.*

505 *Citatione ad sententiã facta, si Iudex alteri delegat prolationem sententiæ, non requiritur noua citatio in Rota; secùs in alio Tribunali.*

506 *Subscriptio sententiæ, quando fuit alteri commissa, tunc sufficit citatio ad dicendum con-*

contra Commissionem, & nō est necessaria alia citatio ad subscriptionem sententiæ.

507 *Terminus pro seruato habitus, quando circumducatur.*

508 *Terminus pro seruato habitus, quanto tempore duret.*

509 *Appellari debet intra decem dies à die termini pro seruato habiti, cum clausula quatenus contra.*

510 *Pronunciare prout in Cedula est contra dispositionem iuris, sed ex stylo sustinetur, qui in Curia non eget probatione.*

511 *Terminum pro seruato quādo Iudex declarat, quomodo Notarius actum notet.*

512 *Pronunciatio prout in Cedula non valeret, si constaret Cedulam tunc non fuisse scriptam.*

513 *Falsitas dici non potest, licet Notarius subscriptionem sētentiæ notet sub die termini pro seruato habiti.*

514 *Si post lapsū terminū pro seruato Notarius notaret actū prolationis sententiæ, sententia esset nulla.*

515 *Sententia debet esse lata, & scripta, & Notario consignata.*

516 *Hora certa in citatione non est necessariò exprimenda, quia intelligitur pro hora audientiæ.*

517 *Hora certa in criminalibus apponitur.*

518 *Termino ad comparendum dato Iudex nihilominus potest capi facere inquisitum. Sed inquisitus, ad euitandam capturam, potest comparere, & fideiussorem præstare.*

519 *Hora certa apposita in citatione, si actus diuersa hora fiat, est nullus: nisi Iudex citationem prorogasset.*

520 *Pro hora certa si quis fuit citatus ad constituendum Procuratorem, post horam non est amplius inquirendū.*

521 *Consanguinei si fuerint requisiti ad interueniendum Contractui minoris tali hora celebrando, si eis absentibus alia hora fuerit celebratus, non valet.*

522 *Excussio facta alia hora, quàm pro qua cadebat citatio, non valet.*

523 *Compulsorialis Processus non valet, si iura fuerunt extracta, & collationata diuersa hora, ab ea, quæ expressa fuit in citatione.*

524 *Citatio ad videndum iurare testes pro certa hora, examen non valet factum in alia hora.*

Pro

525 *Pro hora certa citatus, comparens non debet expectare lapsum totius diei.*

526 *Citatio cum expressione diei, & hora, ea elapsa non arctat ad comparendum alia die.*

527 *Citatus debet facere in termino id, ad quod terminus illum requirit.*

528 *Citatus pro certa die ad sententiam, si non compareat, an Iudex possit postea quandocunque, sine alia citatione, stante contumacia pronunciare; vide diuersas opiniones.*

529 *Contra contumacem licet Iudex possit procedere absque alia citatione; tamen intelligitur si Iudex velit, & declaret.*

530 *Terminus in citatione debet exprimi congruus.*

531 *Citatio non arctat ad comparendum, quando impossibile esset in termino expresso cōparere, siue impossibilitas sit iuris, siue facti.*

532 *Citatio ad hodie per totam potest fieri contra personaliter repertum; secus si fiat domi.*

533 *Absens à loco iudicij debet citari cum termino competenti ad comparendum, considerata locorum distantia, & temporum qualitate, & citati commoditate.*

534 *Citatio continens breuem terminum, an sit nulla, an autem tanquam continens grauamen appellationem recipiat.*

535 *Ob termini breuitatem appositi in citationibus per Edictum Rota plures processus annullauit.*

536 *Citatio si non continet terminum à Statuto præfixum, non valet.*

537 *Terminum competentem, infra quem comparendum sit; non sufficit exprimere; nisi etiam exprimatur dies, tempusuè congruum, in quo possit fieri comparitio.*

1 VT rectè concipiatur citatio, plura sunt exprimenda, videlicet, nomen Iudicis, nomen Partis citandæ, nomen Instantis, Causa propter quam, Pœna sub qua, Locus ad quem, & Tempus, intra quod quis citatur ad cōparendum.

Hæc sunt quę in hoc Capite veniunt explicāda, & quælibet sub proprijs titulis, seù versiculis disponemus.

DE IVDICIS NOMINE in citatione exprimendo.

2 Singulæ res nomine proprio, Vniuersæ appellatiuo nominantur. Personas singulas nominamus proprio nomine, quod cuilibet imponitur primo ortu, & eas distinguimus familiæ, sanguinisuè cognomine: pro faciliori distinctione vnius ab altero addebāt Romani Prænomen, & Agnomen. Prænomine distinguebāt fratres gentilesuè; aliū prænominabant Quintum, quod quinto fortassis loco natus esset; & aliū Lucium, quod initio lucis esset exortus.

Agnomen deducebant, aut ex animo, Superbum vnū appellantes, & alterū Pium; aut ex corpore, nuncupantes hūc Crassum, Pulchrum illum; aut ex Fortuna: & ex deuictis gentibus, Affricanum, Asiaticum, Gothicum dicebant. Quæ omnia fusiùs Grāmatici docuerunt, & habemus tex. in *§. si quidem in nomine*, cum ibi not. per *gloss.* in verbo, *in nomine*, *instit. de legat.*

3 Vt citatus intelligat corā quo vocetur, exprimi debet proprium Iudicis nomen; non enim reperta sunt nomina, nisi hominum significandorū gratia, *d. §. si quidem in nomine, instit. de legat.* Et quia non rarò reperiūtur plures eiusdem nominis, additur nomen Familiæ, seù Agnationis, ad tex. in *l. idem Pomponius*, *§. fin.* ibi *si plures sint eiusdem nominis*, *ff. de rei vendic.*

4 Et quia citatio dubia, & æquiuoca nihil operaretur, *l. si in Iudicis nomine*, cum ibi not. per *Gloss. Castr. & alios*, *ff. de Iud. Lanfranc. in cap. quoniam contra, de probat. tit. de cit. n. 19. Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.* 48. apponendum est nomen Officij, seù Dignitatis; vt, omni procul dubio, intelligere possit citatus, à quo Iudice vocetur, iuxta dicta per *Bart. in l. qui habebat, ff. de reb. dub.* ibi *magis inspicimus hanc dignitatem, quam nomen proprium, quia nomen proprium nō habetur menti*, & not. Canonistæ *in c. significante, de rescript.*

5 Necessè est, vt certificetur citatus, qualis sit Iudex; Ordinarius, vel Delegatus; Maior, vel Minor, Competens, vel Incompetēs: quò possit inde cognoscere, an arctetur ad comparendum.

6 Si Ordinarius mādat citari, debet citatus comparere, *l. 2.*

ff. si

ff.si quis ius voc.non ierit, ibi *ex quacunque causa ad Prætorem, vel alios Præsides, qui iurisdictioni præsunt, in ius vocatus venire debet.*

Non enim oportet, quod Iudex ordinarius doceat de sua potestate, quæ, tanquam notoria, nulla indiget probatione, *Gloss.& Doct.in cap.vestra, de cohab.Cleric.*

7 Ordinariam potestatẽ nullus dare potest, nisi Princeps, vel Lex, vel Vniuersitas, vel Consuetudo, *Specul.de off.Ord. §.1.Rot.in nou.decis.4.nu.2.de off.Vic.* Eaquè datur per litteras patentes, quas Prætores Terrarum, Ciuitatum Gubernatores, Præsides Prouinciarum, & similes, postquam publico præsentarunt, & à Publico fuerunt receptæ, pro talibus publicè se gerunt, tex. est in *l.probatorias, C.de diuers. offic.lib.12.* ibi *sed ex authenticis tantũ sacris probatorijs manu nostra subscriptis*, & ibidem not. *Bar.* quod Apparitores pręfecti pretorio Orientis nõ sortiuntur præmium militiæ, nisi secundum cõsuetudinem sint eorum electiones manu Principis approbatæ. Et non oportet probare ea, quæ de sui natura nõ possunt esse, nisi notoria; sed sufficit notorium esse, aliquẽ se gerere pro Potestate, Priore, vel Consule, vt ait *Bald.in l.1.num.7.C.qui & aduersus quos.*

Et quod post præsentationem, publicationemuè litterarum patentium per Officiales, seù Iudices ordinarios electos eorum potestas notoria sit, dixerunt, *Specul. Ioan. Andr.* & alij cõgesti per *Vant. de nullit.ex defect. iurisd.n.19. & 20.* Et quod dicatur notorium facti transeuntis, quod quis sit Iudex Ordinarius, ità vt de iurisdictione ordinaria non sit opus fidem facere, ait *Bald.in l.ea quidem, sub n.14. C. de accusat.* & in *l.si qua per calumniam, sub num.4. C.de Episc.& Cleric.* Et quod sola negatio partis nõ valeat reddere dubiam Iudicis Ordinarij potestatem, dixit *Rot in nou.decis.6.de except.num.2.*

8 Si Delegatus citat, non tenetur citatus credere eius assertioni; nisi fiat fides de delegatione, *cap.cùm in iure, de offic. Deleg.cap.præterea, de dilat.l.vnica, C. de mandat. Princ.* vbi Doctores communiter dicunt, Delegatum citare debere cum inserto tenore suæ delegationis. Sed

hoc procedit, quando citatur absens de longinquo, *Specul. in tit. de citat.* §. *sequitur, vers. vtrum autem citatio, Abb. in cap. cum ex officij, de praescript. Lanfranc. in cap. quoniam contra, in princ. vers. sciendum est autem, de probat. Vant. de nullit. ex defect. cit. num.* 47. At quando citatur praesens in loco iudicij, tunc si agitur de maximo praeiudicio, non est credendum assertioni delegati; quamuis esset persona magnae authoritatis; nisi citatio haberet insertum tenorem, *Socc. in tract. de cit. art.* 20. *nu.* 11. *adden. ad Maran. in Specul. vers. an sit iudicium ordinarium, vel delegatum, num.* 60. cùm enim delegatus non habeat iurisdictionem naturalem, *l. more, ff. de iurisdict. omn. Iud.* sed eam habeat ex accidenti; non mirùm si partes citatae non tenentur credere; nisi in citatione inseratur tenor delegationis, *Ias. in l.* 1. *in princ. ff. si quis in ius voc. nō ierit, Roland. cōs.* 39. *num.* 23. *& seqq. lib.* 1.

Quod si ageretur de leui praeiudicio, & citandus esset in loco citantis, vel parum distanti; tunc citatio arctaret etiam sine inserto tenore delegationis, *Soc. dicto art.* 20. *nu.* 11. *Addent. ad Maran. sub d. nu.* 60. *Gomes. decis.* 55. *par.* 1. & ratio est, quia paria sunt scire, & de facili scire posse, *l. Iulianus, ff. ad Maced. Greg. decis.* 127. *nu.* 6. *&* 7.

Distantia quindecim milliarium, ad hunc effectum habetur pro modica; & in arbitrio iudicantis positum est, quando locus dicatur remotus, *gloss. in cap. cùm nullus, de tempor. ordin. in* 6. in verbo *remotis*, & in *Clem. causam*, in verbo, *in remotis, de elect. Greg. decis.* 137. *nu.* 2. *&* 3.

9 Si Vicarius generalis Episcopi citat sine insertione mandati, valent acta coram eo facta; licet non probetur per litteras patentes eius potestas: dummodò à partibus non negetur; quia Ordinarius est; cùm sit idem auditorium Episcopi, & eius Vicarij generalis, *cap.* 2. *in fin. de consuetudine, lib.* 6. vbi *gloss. in verb. Officiali*, notat secus esse si Episcopus vices suas alicui committeret; quia tunc haberet iurisdictionem delegatam; & ab eo appellaretur ad Episcopū delegantem, & successiue non posset citare, nisi facta fide suae delegationis;

sed

sed quando deputatur Vicarius generalis ab Episcopo, tunc Vicarius eiusdem Episcopi vices supplēdo, cognoscit cū eadem ordinaria Episcopi iurisdictione; qua ratione à Vicario non appellatur ad Episcopum, ne ad seipsum interponi appellatio videatur, vt est tex. expressus in *c. Romana, in princ. de appell. lib. 6.* vbi *gloss.* in verbo, *generaliter*, notat quod Officialis est Ordinarius, non Delegatus; reprobata opinione *Goffredi*, qui in sua Summa *de off. Vicarij*, *§. item dubitari*, tenet quod Officialis Episcopi delegatus sit, non Ordinarius.

10 Sed quomodo Episcopus potest iurisdictionem ordinariam dare, cùm ea non detur, nisi à Principe, Lege, vel Cōsuetudine? *Gloss.* prædicta dicit Vicarium generalem habere ordinariam à lege, sed in *cap. 2. ne Prælati vices suas*, in verbo, *statuuntur*, dicit in hæc verba, *si tamen consuetudo est, quod Episcopus dat ordinariam, admittenda est*. vtrunque igitur verum est, cùm non intersit, siue ius ex scripto, siue ex non scripto descendat. *§ constat autem in Instit. de iur. nat. gent, & ciuil.*

At si Vicarij potestas à parte negetur, tunc venit probanda: & hoc casu, cùm non adsit notorium, fit res dubia per negationem, *l. inter stipulantem, §. si Sticum, ff. de verb. obligat. l. fin. C. quib. ad libert. procl. non licet.*

Sufficit tamen probare communem reputationem ad hoc, vt acta per eum facta valeant, iuxta tex. in *l. Barbarius, ff. de offic. Præt. Innocent. in cap. nihil est, num. 3. de elect. Rot. in antiq. decis. 4. de offic. Ordin.* & ratio ea esse videtur; quia iurisdictio Vicarij non videtur esse perpetua; sed ad nutum Superioris, & reuocabilis, *Rot. in nou. decis. 1. in prima addit. de offic. Vicarij.*

11 Ordinarius itaque sufficit, quod mandet per Nuncium aliquem citari, siue id faciat per litteras, siue viua voce, *cap. cum dilecti, de dol. & contum.* ibi *scribebat enim, quod Nuncium (cui cùm à nobis recederet iniunximus viua voce, vt citaret eundem) serò receperat, Maran. in spec. par. 4. vers. an sit iudicium Ordinarium, vel Delegatum, num. 59.* & etiamsi litteræ suæ iurisdictionis non appareant, valent acta corā eo, absque alia pro-

ba-

batione iurisdictionis, ***Bald. in l. si qua per calumniam, sub num. 5. vers. deinde quaero, C. de Episc. & Cleric.*** vbi subiungit speciale esse in Legato Cardinali, vt eius dicto stetur de actitatis coram ipso, ***Archid. in cap. nobilissimus, num. 7. 7. dist.*** Delegatus autem necessè habet de sua iurisdictione docere, ***d. cap. cùm in iure, de offic. Deleg. Bald. in d. l. si qua per calumniam, sub nu. 5. vers. sed quid autem, C. de Episc. & Cleric.*** & in ***l. ea quidem, sub num. 14. vers. hinc est, C. de accusat.*** & ratio est; quia semper præsumitur pro iurisdictione ordinaria; secus pro delegata, ***Abb. in d. cap. cùm in iure, nu. 7. Marant. d. vers. an sit iudicium Ordinarium, vel Delegatum, d. nu. 59. in fin.***

12 Et quia posset contingere, vt vnus haberet iurisdictionem, nedùm ordinariam; verùm etiam delegatam: Ideò necessaria est expressio prædicta nominis Iudicis, officijque, & dignitatis, vt possit citatus intelligere, qua velit Iudex iurisdictione vti; & an ipse contra eũ possit aliquam exceptionem opponere: exceptiones siquidẽ possunt opponi contra Delegatum, sed non contra Ordinarium: ea nempè ratione; quia si delegans sciuisset eum esse talem, nõ delegasset: Ordinarius autem auctoritate legis iurisdictionem suam exercet; vndè qualiscunque sit, quousque remoueatur, vel suspendatur, ei parendum est, ***Io. Andr. in d. cap. cùm in iure, de offic. Deleg. nu. 8. & 10.*** Ideòq. processus habitus coram Ordinario excommunicato valet, & similiter coram Auditore Rotæ; secus coram Delegato, ***Rot. in antiq. decis. 2. de Iud.***

13 Quando Iudex habet vtrãque iurisdictionem, ordinariam, & delegatam, censetur in dubio processisse ea potestate, qua possit actus valere, & nõ corruere, ***Greg. dec. 204. nu. 16.*** & ibi ***addent. n. 31.*** sed quando se restrinxit ad vnam potestatem, secundum quam nulliter processit; non potest actus sustineri ex alia, ***Host. Imol. Abb. & alij, in cap. cùm ex officij, de præscript.*** & ibi ***Felin. nu. 25. vers. quarta conclusio***; qui enim potest procedere ex potestate valida, si procedat ex potestate inualida, ad quam se coarctauit, nulliter procedit, ***Put. decis. 383. nu. 3. lib. 2. Rota in***

vna

vna Tuden. Parochialis del Rosal 12. *Decembr.* 1594. *coram Penia*, apud *Marches. de Commiss. p.* 1. *fol.* 649. adde *Roman. cons.* 343. *n.* 5. & *cons.* 496. *n.* 2.

14 Hinc Auditor Cameræ, qui vigore suarum facultatũ procedit vti Ordinarius, quando ei dirigitur Breue de capienda possessione nomine Cameræ, si in Monitorio, quod transmittitur ad partes, non inseratur tenor Breuis, acta exinde facta sunt nulla: cùm inserenda sit Commissio, vt citatus notam habeat iurisdictionem citantis, *Specul. in tit. de citat.* §. 4. *nu.* 7. cum alijs allegatis per *Greg. decis.* 127. *nu.* 1. & ita fuit resolutum in *Tarraconen. Parochialis* 4. *Feb.* 1604. *corã Litta*, apud *Marches. de Commiss. p.* 1. *fol.* 461.

15 Alia etiam ratione necessarium est, vt Delegatus inserat in citatione tenorem suæ Commissionis, vt sciat citatus, an solus Iudex citans habeat facultatem, an insimul cũ alijs: si enim citaretur per vnum ex duobus, vel tribus, non teneretur comparere, *cap. sciscitatus*, & ibi not. *Doct. de rescript. cap. Gratũ*, & *c. prudentiam*, & ibi *Dec. nu.* 18. *de offic. Deleg.*

16 Et quod citatus per vnum ex tribus delegatis nõ teneatur cõparere coram Collega, qui non citauit, dixit *Rot. in nou. decis.* 2. *nu.* 1. *de offic. Deleg.*

Expedit etiã, vt ex prædicta delegationis insertione citatus possit cognoscere qualis sit Iudex à quo fuerit delegatus: nõ enim omnes possunt delegare; & delegatus ab alio, quã à Principe, delegare non potest, *l. à Iudice*, *C. de Iud.*

17 Et Iudex Ordinarius causę principalis non potest causam delegare; nisi reseruata sibi sententia, & coram eo est cõtestanda lis, & producendæ sunt probationes, & proferri ab eo debet sententia; cunctis per eum examinatis, & delegatus ab eo reliqua expediet, *auth. ad hæc*, *C. de Iud.*

18 Hinc si in partibus aliquis citaret, vti delegatus ab A.C. deberet ostendere suã delegationẽ; quia A.C. nõ habet facultatem committẽdi causas extra Curiã; & Iudex de partibus procedens vti delegatus ab A.C. nulliter procedit sine iurisdictione, vt probaui supra *cap.* 2. *num.* 90. *pag.* 56. addo rationem; quia subdelegatus facit actum nullum ex-

excedens iurisdictionem, quę non poterat subdelegari, *Rota decis. 3. & 8. de offic. deleg. Innoc. Franc. in cap. cùm causam, quæst. 4. de appell. Caputaq. decis. 216. par. 3.*

19. Et quod idem A.C. habeat solam iurisdictionē inter Curiales, nisi Papa sibi det: dixit *Rot. in antiq. decis. 5. de offic. Ordin.* & quamuis A.C. possit deputare Iudices in Curia; tamen de deputatione debet constare, aliàs processus esset nullus, nec sufficeret, quod partes comparuissent coram deputato, *Seraph. decis.* 418. & ratio est, quia priuatorum consensus Iudicem non facit, *l. penult. ff. de Iud. l. priuatorum, C. de iurisdict. omn. Iud.*

20. Contingere potest, quod quis citetur eodem tempore corā diuersis Iudicibus. Ideò necessaria etiam est, expressio nominis Iudicis citātis, eiusq. officij, & dignitatis, hac ratione, vt citatus posit intelligere, coram quo debeat cōparere; nam si vnus est maior, & alter minor, tunc vocatus ad maius Tribunal non tenetur comparere corā minore. *l. contrà pupillum, ff. de re Iud.* ibi *is, qui ad maius auditorium vocatus est, si litem incohatam deseruit, contumax non videtur. Marant. in Specul. par. 6. vers. & aduertatur circa contumacias, nu. 4.* tenetur enim maiori obedire, *cap. si duobus, & cap. cum parati, de appellat. Crauett. cons. 6. nu. 83.*

Hinc citatus coram Papa non fit contumax, si coram inferiore non compareat, *Innoc. in cap. cùm parati de appell.* cum alijs allegatis per *Rolād. cons. 47. nu. 37. lib. 2.*

Et Papæ semper est obediēdum nulla alia præceptione obstante, tam ratione honoris, quàm iurisdictionis, *cap. qui resistit, 11. quæst. 3. Innoc. in d. cap. cùm parati, nu. 2. de appellat.* idem dicit *Guid. Papa quæst. 276.*

21. Non tamen excusaretur tunc, quando citatus ab inferiore affectasset, & procurasset citari coram Papa; nam causa affectata, & malitiosè procurata, quæ aliàs prodesset, non prodest, etiam quoad remedium competens de iure communi, *Ias. in l. si verò, in princ. ff. qui satisd. cog. Roland. d. cons. 47. nu. 37. & seq. lib. 2.*

22. Si verò plures Iudices citantes sint æquales, & citent in

in vna eademq. causa, & procedant, an valeat processus; dic breuiter, quod si citatus non comparet, & non contradicit, valet processus, *Innoc. in c. cùm M. Ferrarien. nu. 10. de constit. Rip. ibid. num. 199. Coccin. decis. 61. nu. 2.*

Et si ferantur duæ sententiæ contrariæ, prima valet, quando non fuit suspensa per appellationem, & transiuit in iudicatum; & secũda contraria remaneret nulla, tanquam lata contra rem iudicatam, *l. 1. C. quando prouoc. non est necess.* At si prima nõ transiuisset in iudicatum, valeret secunda, à qua appellandum esset, & in iudicio appellationis discuti deberet, quæ sententia iustior esset, *Rip. in d. cap. cùm M. Ferrarien. de constit. nu. 200.*

Si autem pars compareat coram vno, & ab eo petat remissionem causæ ad alterum, poterit ille, stante paritate iurisdictionis, illam denegare, & dicere quod causam in suo Tribunali defendat, offerendo se paratum æqua lance iustitiam administraturum.

23 Si verò compareat coram vno, & alleget præuẽtionem alterius, ea probata, ille Iudex debet causam remittere, tanquam præuentus, ad eum qui præuenit, vt post *Bald.* & *Felin.* aduertit *Rip. in d. cap. cùm M. Ferrarien. nu. 199.* quod si præuentio fuisset affectata, nõ prodesset, *Bald. in l. si seruus plurium, §. 1. ff. de leg. 1. Felin. in cap. fin. de testib. Iasin l. si verò, in princ. ff. qui satisd. cog. Rip. vbi supra, nu. 200.* Iudiciũ enim ibi finiri debet, vbi cœptum est, *l. vbi acceptum, ff. de Iud.* aliàs iusta esset appellatio, *Innoc. in d. c. cùm M. Ferrarien. sub nu. 10.*

24 Et remissio causæ, quando plures Iudices citarunt, debet per Superiorem fieri ad vnum, etiam quãdo non constaret de vnius præuentione, triplici nempè ratione, prima, propter coniunctionẽ, & connexitatem, nè causarum continentia diuidatur, *l. nulli, C. de Iudic.* secunda propter recõuentionem, quæ debet fieri coram eo Iudice, coram quo agitur, *l. qui non cogitur, ff. de Iud.* & non licet coram alio reconuenire, nisi terminata lite priùs mota; vel nisi intra 20. dies Iudice primo reuocato, *l. cùm Papinianus, & auth. & consequẽter, C. de sent.* tertia propter absurdum vitandum, nè

nè contingat ferri diuersas sentētias, *l.cognitio, §.si plures,* & *l. vsumfructum, §.si mater, ff. de liber. caus. Gloss. in l.1. ff.quibus rebus ad eundem Iudicem eatur,* in verbo, *eundem Iudicem.*

25 Necesse etiam est, vt ex specificatione nominis,& officij, dignitatisuè Iudicis citantis, possit citatus cognoscere, an Iudex sit competēs, vel incompetens,itaut teneatur comparere,vel non: citatio enim emanare debet à Iudice competenti, *Clem. fin. vt lite penden.* vbi *gloss.* in verbo, *competenti*, dicit eum esse cōpetentem, qui causæ iurisdictionem habet cū exercitio, dato quod illa possit per exceptionem elidi; siue exceptio contingat personam, vt quia suspectus: siue iurisdictionem, vt quia rescriptum sit subreptitium. Et proptereà quando certum est, quod Iudex est competēs, & quod citatus est de eius iurisdictione,debet cōparere,aliàs punitur, *l.1. ff. si quis iusdicenti non obtemp.* & quādo Iudex communiter reputatur pro competenti,sufficit ad validitatem actorū, ad tex. in *l. Barbarius, ff. de off. Præt.* & ibi *Ias. in fin. Mobed. decis.5.nu.4. de appell.*

26 Et ideò qui potest ope exceptionis se subtrahere à iurisdictione citantis,debet cōparere, & excipere; aliàs valeret processus contra eum factus, *l. si quis ex aliena, ff. de Iud.* ibi *Prætoris est enim existimare, an sua sit iurisdictio. vocati autem est,non cōtemnere auctoritatem Prætoris.Io.Andr. in addit. ad Specul.tit. de citat. §.1. in princ. Tiraq. in l.si vnquam,C.de reuoc.don.* in verbo, *reuertatur,nu.423.*

Exemplum est in pupillis, viduis,& alijs qui habent electionem fori, *l.vnic.C.quando imper.inter pupill.& vid.* Item in Scholaribus, qui possunt eligere coram quo velint cōueniri,iux.tex.in *auth. habita, C.nè filius pro patre,* & aliud est exemplum in Legatis, & in his, qui Testimonij causa vocati sunt, vel si qui iudicandi causa accersiti sunt, vel in prouinciam destinati, quibus datur ius reuocandi domum, *l.2.§.Legatis,ff.de Iud.* illi enim debent coram Iudice citante comparere, & excipere, iux. tex. in *d. l.si quis ex aliena. in fin. ff. de Iud.* ibi *nam & Legati, cæteriq; qui reuocandi domū ius habent,in ea sunt causa,*

vt

vt in ius vocati veniant, priuilegia sua allegaturi.

27 Sed quando certum est Iudicem non esse competētem, comparere citatus non tenetur, vtpotè quando citat extra territorium, vel supra suam iurisdictionem, ita dicitur in *l. fin. ff. de iurisdict. omn. Iud. Extra territorium ius dicenti impunè non paretur, idem est, etsi supra iurisdictionem suam velit ius dicere*. Et hoc procedit, quando notoriè non est de iurisdictione citantis, *Afflict. decis. 2. sub nu. 8. Alex. in l. 1. in princ. nu. 5. ff. ne quis eum, qui in ius.* & ibid. *Ias. Gabr. cons. 167. nu. 16. lib. 2.*

Tunc dicitur constare notoriè de non iurisdictione citantis, quando Iudex cognouerit appellatum fuisse ad Papam, vt est tex. in *cap. si duobus, in fin. de appellat.*

Item quando constat primas litteras fuisse legitimè per secundas reuocatas, tunc apparet primos Iudices nullam penitùs iurisdictionē habere. tex. est in *cap. ex literis, vers. si verò cōstiterit, de offic. Deleg.*

Item quando Delegatus Apostolicus citat vltra duas dietas, & id expresè non habet in mandatis, iuxta tex. in *cap. nonnulli, in princ. de rescrip.*

Item quando Delegatus citat absentem de longinquo, absque insertione delegationis, *cap. cùm in iure, de offic. Deleg. cap. prætereà, de dilat. gloss. in cap. si Episcopus, 3. quæst. 2.* in verbo, *conuocari*.

Item quando Laicus citat Clericum nominatim, quia tunc notorium est citantem non habere iurisdictionem. *cap. conuenior, 2. q. 8. Bald. in l. generaliter, la 2. num. 1. & 2. C. de Episc. & Cleric.*

Item quando Ordinarius citat exemptum, nō expressa causa, propter quam efficiatur subiectus, & non gaudeat exemptione, iux. tex. in *cap. 1.* cum ibi not. *de priuil. in 6.*

Item quando duo citant non facta mētione de tertio, iux. tex. in *cap. prudentiam, in primo responso, de offic. Deleg.*

Item si Delegatus citet ad personaliter comparendum, & illud non habeat in mandatis, iux. tex. in *cap. 1. de Iud. in 6.*

28 Si verò dubium est, an Iudex sit competens, nihilominus cōparere debet citatus, *l. 2. ff. si quis, in ius voc. non ierit.* & Iudex cognoscet super iurisdictione, & pronunciabit

se

se competentem, vel incompetentem, *l. 2. §. sed etsi dubitetur, & l si quis ex aliena, ff. de Iud.* & sic veritas de hoc inquiritur, iuxta *l. si eum, in princ. ff. si quis caut.*

Nec dicitur Iudex in causa propria ferre sentẽtiam; quia non ipse agit; sed ille qui vocauit alterum, agere dicitur; & emolumenta, & damnum ipse non habet, *l. 1. §. in propria. ff. quando appell. sit.* & ita distinguit *gloss.* in *l. 2.* in verbo, *sciatur, ff. si quis in ius voc. non ierit.*

A qua sententia interlocutoria, qua Iudex pronunciat se competentem, si vel non appelletur, vel appellatio interposita deseratur, & ea transeat in iudicatum, & per eundem in negocio principali feratur sententia, valet ad not. per *Felin. in c. cæterum, n. 22. de rescript. Alex. cons. 36. nu. 3. lib. 4. Rota decis. 1. de appell. in nou. Seraph. dec. 35. n. 1.* & huiusmodi sentẽtia eo ipso firmat Iudicis iurisdictionẽ. *Rota in recent. decis. 440. nu. 4. par. 2.*

29 Competentia autem, seù incompetentia Iudicis consideratur, vel ratione territorij, vel ratione fori, vel ratione particularis priuilegij, seù exemptionis, & aliquando euenit, vt qui incompetẽs est, fiat competens ratione consensus, seù prorogationis partium, & è conuerso, qui competens est, fiat incompetens ratione suspicionis, seù recusationis. de quibus nonnulla dicemus.

30 Ratione Territorij, Iudex dicitur competens, quando intra Territorium iudicat, & actus iurisdictionis contentiosæ exercet: incompetens autem dicitur, quando existit extra Territorium; tũc enim habetur vti priuatus, *cap. nouit, de Iud. l. 3 ff. de offic. Præs.* & ei nõ est parendum, *cap. fin. de constit. in 6.* & iurisdictio est intra Territorium, non extra, *l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud.* Territorium namque est vniuersitas agrorũ intra fines cuiusque Ciuitatis, quod ab eo dictum quidam aiunt, quod Magistratus eius loci intra eos fines terrendi, id est submouendi ius habent, *l. pupillus, §. Territorium, ff. de verborũ signific.* vndè *Bald. in rubr. quæ sint regalia, in vsib. feud.* ait, Territorium non est aliud, quam terræ spacium munitum, & armatum iurisdictione: in mari autem

autem non dicitur Territorium; nisi fortè habito respectu ad alueum maris: sed dicitur districtus, idest aquę spacium, seù latitudo similiter munita iurisdictione, & imperio. Vbicunque igitur quis habet potestatem terrēdi, seu distringendi, illud totum dicitur de territorio, seù districtu suo: Quia territorium dicitur à iurisdictione, & à terrendo, vndè habet iurisdictionem inhærentem glebæ, *Felin. in cap. Rodulphus, nu.* 15. *de rescript.* qui sub *nu.* 17. latiùs declarat quid sit Districtus, & quot modis sumatur.

31 Iudex itaque regulariter competens est in suo territorio, & extra illud est incompetens, *d. l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud.* vbi *gloß.* 2. declarat, quod extra territorium non potest Iudex exercere actus iurisdictionis contentiosę: actus autem voluntariæ iurisdictionis benè potest exercere in territorio alieno, iuxta tex. in *l. emancipari*, §. 1. *ff. de adopt.* ibi *emancipari filium à patre quocunque loco posse constat*, & expreſsè dicitur in *l.* 2. *ff. de offic. Proconsul. & Leg. Omnes Proconsules statim quàm Vrbē egreſſi fuerint habēt iurisdictionem: sed non contentiosam*; sed volūtariam, vbi *gloß.* declarat contentiosa dicitur, quæ redditur in inuitum, voluntaria verò, quæ inter volentes tantum. Et in eadem *l. fin. Bart.* notabiliter distinguit, quandoque Iudex vult dicere ius in alienum hominem alterius territorij; & non potest, quandoque vult dicere ius in suos, & de re sui territorij; sed vult dicere ius extra suum territorium, & non potest. Quandoque vult dicere ius in suos, sed de re alterius territorij, & tunc potest, & sententia valet.

32 Non tamen potest facere executionem; sed eam faciet Iudex loci ad requisitionem Iudicis, qui iudicauit, quem lex reputat esse maiorē, quantū ad istam causam exercendam ne pereat effectus sententiarum: idem *Bar. in l. cùm quædam, n.* 3. *ff. de iurisd. omn. Iud.* & dicitur in *l. cùm vnus*, §. *pen. ff. de bon. auth. iud. poſſid. is qui poſſidere iubetur eo loco iuſſus eſſe videtur, cuius cura ad iubentem pertinet*, vbi *gloß.* dicit, quod si nihil ibi poſſidet reus, Iudex pronunciat de immittendo; & Iudex loci vbi sunt res immittet, adde *Rot.*

diuerſ. par.4. deciſ.160. nu.7.

33 Et hęc intelliguntur de Iudice ordinario; non autem de delegato, cuius iuriſdictio nulli cohæret Territorio; ſed ſe extendit ad omnia loca, ad quæ ſe extēdit iuriſdictio delegantis. *Felin.in cap.fin.nu.2. de for. compet. Rebuff. tom. 2. conſtit.reg.tract.de liter. requiſitor, art.vn. gloſſ.3. num.19.* non tamen poteſt delegatus citare vltra duas dietas, *cap. nulli,in princ. de reſcrip.* habet enim delegatus ſolum vſum iuriſdictionis delegātis, cuius vices gerit, & nihil proprium habet quoad iuriſdictionem, *l.1. §.qui mandatum, & l. & ſi Prætor, ff. de off.eius cui mand. eſt iuriſd.*

34 Sunt tamen aliqui Iudices, qui habent iuriſdictionem ordinariam abſque Territorio, vt ſunt Cōſules mercatorum, & Rectores Scholarium, *auth. habita, C.ne fil. pro patre, Alex. in l.ſolet, num.8. ff. de iuriſdict. omn. Iud.*

35 Ratione fori dicitur Iudex competens quoad eos,qui forum ſortiuntur in ſuo Territorio, & Tribunali; quando ſcilicet habet iuriſdictionem, & eius exercitium in Litigantes; licet ſint alterius territorij; *Card.in Clem.2.q.3. vt lit. pend.* quoad alios verò qui nō ſunt de eius foro eſt incompetens, eiuſque ſententia vti lata à non ſuo Iudice quemquam litigatorum non conſtringit, *l.fin.C.ſi à non compet. Iud.* & hæc verificantur in Iudice ordinario.

36 Delegatus autem non dicitur competens, vel incompetens ratione fori; ſed ratione ſuæ delegationis; vt putà ſi ſit delegatus ab eo,qui delegare non poteſt:quia eius ſententia nō valet, *l.2. C.ſi à non comp.Iud.* Item dicitur incompetens ratione ſui mandati,& commiſſionis; quia Iudex datus ad rem certam, ſi de alijs pronunciauerit,quàm ad eam rem pertinentibus, nihil egit, *l.1. C. ſi à non compet. Iud.* & propterea delegatus ad cauſam proprietatis, non poteſt cognoſcere de cauſa poſſeſſionis, ſuper qua non fuit delegatus, *l. penult. & ibi Bald. C. eod. tit.ſi à non competen. Iud. vbi gloſſ. in verbo noceat:* quærit an ſententia lata in poſſeſſione valeat, & reſpondet valere, ſi ita erat incidens, quod de proprietate non poterat pronunciare,niſi de poſſeſſione diceret, alioquin non, putà

ſi

si cum agebatur de recuperanda, vel acquirenda possessione, & ipse fuit delegatus super quæstione proprietatis tantum; Neque etiam iurisdictio delegata est exercenda extra personas, inter quas causa commissa est. *Bisign. dec.4. nu.2. de appell.* & quando iurisdictio esset cōcessa ad tempus, tempore elapso expiraret, nisi ante lapsum temporis prorogaretur per partes, *cap. de causis, de off. deleg. Capell. Tholos.decis.*357. & ibi *addent.*

Atque delegata iurisdictio expirat morte delegātis, præsertim si viuente delegante nulla fuit decreta citatio. *Felin. in cap. cæterum, nu.*15. *de rescript,* & in *cap. relatū,n.* 11. *&* 12. *de off. deleg. Seraph. decis.*1276. *nu.*1. *&* 2.

37 Hic non prætereo, quod licet Iudex fuerit incompetens respectu causæ principalis; tamen potest se intromittere quoad accessoria: Vnde si quis impetrat aliquem delegatum per falsum rescriptum, licet ille sit Iudex incompetens, quia rescriptum falsum non potuit sibi dare iurisdictionem; tamen potest illum impetrantem condemnare in expēsis, & carcerare. Et idem in eo qui temerè adit Iudicem incompetentem, quia potest ab eo condemnari in expensis, & interesse. *Marant. in Spec.par.*4. *dist.*8. *vers. an Iud. sit compet. vel incompet. nu.*2.

38 Eadē ratione fori Iudex sęcularis est incompetēs quoad Clericos, & alios, qui sunt de foro Ecclesiastico, *cap.*2. *de for. compet.* & vice versa Iudex Ecclesiasticus est incompetens quoad Laicos, qui sunt fori sæcularis, nisi in defectu iustitiæ sæcularis; vel nisi cōsuetudo id exposcat, *cap. licet ex suscepto, eodem tit. de for. compet.*

39 Ita etiam ratione fori, A.C. non est Iudex competens inter forenses in prima instātia, & eius sententia est nulla, præsertim parte opponente, iuxta *l. nemo, C. de iurisd. omn. Iud* & §. *si tibi quoque, in auth. de mandat. princ. Couar. pract. quæst. cap.*6. in princ. *cap. fin. de foro compet. & cap.*1. §. *contrahentes, de for. compet. in* 6.

Sed quòd si lata fuisset sētentia per A.C. ad fauorem pluriū, inter quos extaret vel pupillus, vel vidua, vel alius habens priuilegium, *l. vn. C. quando Imper. inter pupill. & vid.*

Dic quod si in monitorio fuisset expressum nomen pupilli, sine dubio valeret sententia, stante quod per pupillum censeretur electus forus.

Dum tamen monitorium fuisset obtentum per procuratorem verum; secùs si per assertum, de cuius mandato non constaret; quia lis quoad eum non censeretur introducta. *Cassad. decis.* 40. *super reg. Crescent. decis.* 15. *de caus. possess. & propr. Caputaq. decis.* 14. *nu.* 2. *par.* 3.

Sed quid si monitorium quoad alios fuerit obtentum per legitimum procuratorem, sed in eo non fuit facta mentio de pupillo? dic quod sententia nō sustineretur ex priuilegio pupilli, de quo cùm nulla fuerit facta mētio, A.C. non potuit esse certus de sua iurisdictione, & consequenter nec potuit valide procedere. *Bart. in l. multum, nu.* 2. *ff. de condit. & demonstr. Vant. de nullitat. ex defect. Iurisdict. n.* 167. & fuit dictum *in causa Segobricen. translationis pensionis* 11. *Decembris* 1587. *coram Cardinali Pamphilio Seniore.*

At si obtento priùs monitorio per alios, deindè deuenisset pupillus ad causam; vtique A.C. rectè processisset, ex quo deuenit ad eius notitiam interesse, & priuilegium pupilli, adeò vt certus fuerit de sua iurisdictione, & validè potuerit procedere iuxta præallegata, & ita sentit *Rota in Spoletana prædij* 9. *Decembris* 1619. *coram Eminentissimo Cardinali Pamphilio Iuniore.*

40 Verum quia citātis iurisdictio attendi debet de tempore citationis, & inspici si de illo tempore lis ad ipsum pertinebat; ideò priuilegium fori superueniens pendente iudicio non eximit quem à iurisdictione, *l. si quis postea quam, ff. de iud.* & mutatio fori post litem contestatam non impedit prioris Iudicis iurisdictionē, *l. cum quædam puella, ff. de iurisd. omn. Iud.* Imò nec euitat iudicium Iudicis citantis, qui post legitimam citationem sibi factam mutat forum, *cap. proposuisti, de for. compet*; & citatus à Iudice laico si fiat clericus, an euitet processum, vide *Alex. in l. penult. numer.* 1. & 2. *ff. de iurisdiction. omn. iud.* adde notata per Doct. in *dicto capitulo pro-*

propofuisti, de foro competen.

42 Et pupillus qui elegit forum, si post litem cæptam factus fuerit adultus, non tamen amittit beneficium *d. l. vnica, C. quando Imper. inter pupill. Thesaur. decis.* 177. *n.* 4. *Rota in dict. Spoletana Prædij coram Eminentissimo Pamphilio.*

43 Hic autem notandum est, quod quilibet in pluribus locis potest forum sortiri, scilicet in loco originis, in loco habitationis, seù domicilij; In loco rei sitæ, in loco gestæ administrationis, in loco delicti, in loco contractus, vel quasi, & in loco destinatæ solutionis.

44 In loco originis patris filius dicitur sortiri forum; quia domicilium patris transit in filium. *Bal. cons.* 334. *post n.* 1. *lib.* 4. ibi *sequitur originem paternam, quia filius est pars quadam patris. Gregor. decis.* 455. *n.* 12. & nō præsumitur, quod filius contraxerit, vel habuerit aliud domicilium diuersum à paterno.

Sed quid si pater natus est in vno loco, & in altero editus est filius, postremo pater obijt in alio loco, ad quem domicilium transtulerat. Quem ergo locum filius sequitur? Habemus tex. in *l. assumptio*, §. 1. *ff. ad municipales* ibi *filius ciuitatem, ex qua pater eius naturalem originem ducit, non domicilium sequitur*, & ibi *gloss. in verbo non domicilium*, notat quod filius suam propriam originem sequitur, quam nec mutare potest, & sequitur etiam originem propriam patris sui, quam nec etiam mutare potest, non autem sequitur originem, quam pater habuisset, ex origine sui patris, alioquin dicit, quod oporteret nos quærere, vbi natus fuit Adam, id est agrum Damascenum. deindè eadem *gloss.* quærit in quo filius sequitur originem sui patris, vel suam, & respondet quantum ad honores, & quantum ad tutelas, & quantum ad hoc, vt ibi conueniatur.

Et quod filius, etiam alibi natus, retineat priuilegia originis patris, & gaudeat beneficio statuti eiusdem loci patris, censuit *Rota apud Duran. decis.* 31. *num.* 3. *& seqq.* Et quod absens à loco originis per quoduis tempus, non tamen censeatur forensis, sed semper remaneat subiectus, dixit *Rota diuers. part.* 5. *decis.* 364. *nu.* 7.

45 Licet igitur filius ſequatur originem patris, non tamen ſequitur eius domicilium, & ratio habetur *in l. placet*, cum *l. ſequenti*, *ff. ad municipal.* ibi *placet etiam filium familias domicilium habere poſſe, non vtique vbi pater habuit; ſed vbicunque ipſe domicilium conſtituerit*. Quod autem filius non ſequatur maternam originem, textus eſt in *l. filios*, *C. de municipibus*, *& originarijs lib.10.* ibi *filios apud originem patris, non in materna Ciuitate, & ſi ibi nati ſunt, ſi modo non domicilijs retineantur, ad honores, ſeu munera poſſe compelli explorati iuris eſt*, vbi *gloſſ. in verbo non materna*, animaduertit, quod ſi filius natus ſit in materna Ciuitate, illam non ſequitur vt maternam; ſed vt propriam originem.

46 Is autem, cuius pater eſt incertus, originem maternam ſequitur, *l. eius qui iuſſum*, *ff. ad municipales*.

47 In loco igitur propriæ originis, vbi quis natus eſt ſortitur forum, quod non poteſt mutari, *l. penult. C. de municipibus, & originarijs, lib.10.* ibi *origine propria neminem poſſe voluntate ſua eximi manifeſtum eſt*, & licet in alium locum quis non poſſit transferre originem, poteſt tamen transferre domicilium, & incolatum acquirere. *l. final. C. eodem titul. de municipibus; & originarijs, lib.10.* ibi *ſi quis, vel ex maiore, vel ex minore Ciuitate originem ducit, ſi eandem euitare ſtudet, ad alienam ſe Ciuitatem incolatus occaſione contulerit, & ſuper hoc vel preces dare tentauerit, vel qualibet fraude niti, vt originem propriæ Ciuitatis eludat, duarum Ciuitatum decurionatus onera ſuſtineat, in vna voluntatis, & in vna originis gratia.* Et nec etiã dignitas Senatoria mutat domiciliũ originis. *l. pen. ff. de ſen.* ibi *Senatores licet in Vrbe domicilium habere videantur: tamen & ibi vnde oriundi ſunt habere domicilium intelliguntur; quia dignitas domicilij adiectionem potiùs dediſſe, quam permutaſſe videtur.* Et ideò ſimul poſſunt cõcurrere locus originis, & incolatus, nam domicilium naturale, ſeu originis poteſt dari ſine habitatione. *Abb. in cap. accedens il 2. num.6. vt lit. non conteſt. Soc. in cap. fin. nu.11. verſ. & hoc procedit de for. compet.*

Inco-

48 Incolatus autem nō poteſt ſtare ſine habitatione, cùm ſit nomen iuris, duo requirens, factum habitationis, & animum perpetuò habitandi; *l. pupillus*, *§. Incola*, *ff. de verb. ſignific. vbi Alciat. nu.* 11. inquit incolam eum proprium eſſe, qui cum aduena eſſet, in aliquam regionem ea mente habitatum venit, vt ibi perpetuò ſit. Et propterea domicilium naturale, ſeu originis non facit quem incolam, ſed ciuem, *l. ciues*, *C. de incolis*, *lib.* 10. ibi *ciues quidem origo*, *Incolas verò domicilium facit*.

49 Et quod ad effectum, vt intret ſtatutum de duabus cōformibus, ſufficiat quod colligantes ſint Ciues, vel incolæ, dixit *Rota diuerſ. par.* 5. *deciſ.* 137. *numer.* 2. vbi referuntur aliæ deciſiones. & ad effectum alterius ſtatuti, vel diſpoſitionis Teſtatoris, quod beneficium cōferatur Incolis, *Rota diuerſ. deciſ.* 150. *num.* 6. *par.* 2. cenſuit beneficium cōferri poſſe, etiam filio nato in loco beneficij, licet de tempore vacationis alibi Incola eſſet; dum tamen Teſtator, ſeù ſtatutum non faciat expreſſam differētiam inter Ciuem, & Incolam, & prout latiùs in ea.

Et apud *Caſ. de Graſſ. deciſ.* 61. alioqui 15. *de probat.* Rota dubitauit, an quis dici poſſit Originarius loci, vbi pater natus eſt, qui poſteà alio ſe contulit ad habitandum, & ibi ipſe natus eſt, itaut poſſit ei conferri beneficium, quod ex ſtatuto debet conferri naturalibus; & ſequuta deciſionem, *Afflict.* 384. *numer.* 5. *& 6.* reſoluit illum nō cenſeri naturalem ad prædictum effectum, ſtante quod pater aliò ſe tranſtulerit cum omnibus bonis, & ibidem etiam filius domicilium ſibi conſtituerit; & prout in ea. vbi *num.* 10. dicit, quod non origo; ſed incolatus attenditur: & quod ita ſeruat Romana Curia, licet materia ſit cōtrouerſa.

50 Et hic nota, quod, ſiue in loco paternæ, ſiue propriæ originis, quis conueniri non poteſt; niſi ibi inueniatur: quādo ſcilicet alibi habet domicilium, *Bar. in l. aſſumptio*, *§.* 1. *ff. ad municipal. Afflict. deciſ.* 384. *nu.* 6.

51 In loco ergo incolatus quis ſortitur forum; ſed quis dicatur incola, legitur in *l. pupillus*,

§.*incola*, *ff. de verb. signific.* ibi *incola est, qui in aliquam regionem domicilium suum contulit, nec tantum qui in oppido morantur, Incolæ sunt; sed etiam qui in alicuius oppidi finibus ita agrum habent, vt intra eum se, quasi in aliquam sedem recipiant:* & in *l. eius qui manumisit*, in princ. *ff. ad municipales* dicitur, *si quis negocia sua non in colonia; sed in municipio semper agit, in illo vendit, emit, contrahit, eo in foro balneo, spectaculis vtitur: ibi festos dies celebrat: omnibus honoribus denique municipij: commodis nullis coloniarum fruitur: ibi magis habere domicilium, quam vbi colendi ruris causa diuersatur.*

52 Vbi autem, & quomodo contrahatur Incolatus, habemus tex. in *l. ciues, C. de incolis, lib.* 10. ibi, *& in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur: vbi quis larem, rerumque, ac fortunarum suarum summam constituit, vnde rursus non sit discessurus, si nihil aduocet, vnde cum profectus est, peregrinari videtur. quod si rediit, peregrinari iam destitit.* Et quod in pluribus locis possit quis habere domicilium; dicitur in *l. labeo, ff. ad municipales* ibi, *quosdam autem dicere refert pluribus locis eum incolam esse, aut domicilium habere, quod verius est.* Et idem dicitur in *l. assumptio*, in fin. *ff. eodem* ibi, *Iurisprudentibus placuit duob. locis posse aliquem habere domicilium si vtrobique ita se instruxerit, vt non ideò minus apud alteros se collocasse videatur.* Idem etiam habetur in *l. eius qui, §. Celsus, ff. eodem ad municipales* ibi, *si quis instructus sit duobus locis æqualiter, neque hic minus, quam illic frequenter commoretur; vbi domicilium habeat æstimationẽ animi esse accipiendum. ego dubito si vtrobique destinato sit animo, an possit quis duobus locis habere domicilium, & verum est habere, licet difficile est: quemadmodum difficile est sine domicilio quemquem esse. puto ego & hoc procedere posse, si quis domicilio relicto nauiget, vel iter faciat quærens quo se conferat, atque vbi consistat, nam hunc primum puto sine domicilio esse, domicilium autem habere potest & relegatus eo loci, vndè arcetur, vt Marcel. scribit.* Et quod vxor sequatur forum, & domicilium mariti, est tex. in *l. fin. ff. de incolis, lib.* 10. ibi *Mulieres honore maritorũ erigimus, & genere nobilitamus,*

&

& forum ex eorum persona statuimus.

53 Ex eo solo quod quis appellat se incolam, & habitatorem vnius loci, non ideò probatur eius domiciliũ, vel incolatus. *Ruin. consf.* 18. *n.* 1. *lib.* 5. *Cæsar de Graff. decis.* 169. *nu.* 13. debet enim constare de animo habitandi, *gloss. in l. ciues, in verbo larem, C. de incolis, lib.* 10. dicens in hæc verba *larem idest, animũ habitandi perpetuò, & habitet: nam facto opus est, & hoc etiam si non habeat ibi maiorem partem rerum*. & vt dicitur in *l. domicilium, ff. ad municipales. Domicilium re, & facto transfertur, non nuda contestatione*; idest protestatione, vt ibidem explicat *glossa*. Et ideò Scholares non contrahunt domicilium, nisi ex longa habitatione decem annorum censeantur animum habitandi declarare; vt in *l.* 2. *C. de incolis, lib.* 10 ibi. *Nec ipsi, qui studiorum causa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur; nisi decem annis transactis eo loco sedes sibi constituerint*, vbi *gloss.* declarat, quod præsumitur ex transcursione decennij; & hoc maximè si emat ibi domum, vel possessionem: idem tamen si conducat.

54 Et quod Aduocatus, & sequens Romanam Curiã non acquirat ciuilitatem, nec incolatum in Vrbe, non concurrentibus alijs coniecturis, præcipuè translatione bonorum, vel emptione aliorum. *Rota* censuit, vt in *recentiss. par.* 2. *decis.* 473. *nu.* 7. & 8.

55 Et quod aliud sit, quod quis sit curialis, vel quod sit domiciliarius Vrbis, considerauit *Rota diuers. par.* 5. *decis.* 9 *nu.* 4. & *seqq.*

56 Prout etiam aliud est, quod quis sit Domiciliarius in Vrbe, & quod quis ibi sortiatur forum; nam quilibet in Vrbe repertus potest ibi conueniri, *l. Roma, ff. ad municipales*, vbi dicitur

57 *Roma communis Patria nostra est*, vbi subiungit *gloss.* vndè quilibet potest ibi conueniri, nisi speciale prætendatur priuilegium, vel legationis, vel simile, & ex causa competit ius reuocandi domum, *cap. fin. de for. compet.* Et Senatores habent domicilium in Vrbe ratione dignitatis, *l. Senatores, C. de incolis, lib.* 10. & ideò vt dicitur in *l.* 2. *C. vbi Senat. vel clariss. Senatores in pecuniarijs causis siue*

in

in hac alma Vrbe, siue in Suburbanis degunt, in iud cio, tam prætoriana, quã vrbicaria præfectura, nec non magistri officiorum (quoties tamen ad eum nostræ pietatis emanauerit iussio) in Prouincijs vero, vbi larem fouent, aut vbi maiorem bonorum partem possident, aut assiduè conuersantur, respondebunt. vbi *gloss.* in verbo *larem*, explicat, idest, vbi habent domicilium.

58 Sed quod Mercator, qui vltra decennium habitat in Vrbe, ducit vxorem, & emit bona, acquirat incolatum, qui se cum mercatura compatitur, dixit *Rota diuers. parte 5. decis. 137. numer. 10.* Et num. 11. refert idem decisum fuisse de Curiali, Scholari, & Præfecto Arcis, quod dicuntur incolæ ex habitatione decennali, ex emptione bonorum, & ex contractu matrimonij. in *Romana Hæreditatis, seu Census*, 8. *Iunij* 1588. *coram Cardinali Platto*.

Et quamuis lex ex decennij habitatione animum permanendi conijciat; tamen quãdo expressè constat de animo, & facto contrahendi Incolatum, non requiritur habitatio decennalis. *Soc. in cap. fin. nu. 24 vers. 6. principaliter quæro, de foro compet. Surd. consil. 346. num. 4. Rota in recent. decis. 188. nu. 3. par. 2.*

59 Hinc in materia alternatiuæ, & non residentiæ Episcopi, Rota resoluit, quod Episcopus Vlixbonensis, licet factus Inquisitor generalis se transtulerit ad Ciuitaten. Eluen. cũ tota sua familia, & suppellectilibus, non relicta domo aperta in Ciuitate Vlixbonen. cum parte familiæ, & suppellectilibus, prout antea solebat, vnde videbatur apparere de animo nõ residendi in Ciuitate Vlixbonense; sed Eluense, tamen quia semel tantum discessit, missus pro negocio Dei, & Regiæ Maiestatis, & eo completo redijt; colligebatur ex euentu qualis fuerit animus Episcopi circa residentiam: & eò magis, quia sæpiùs, vt deponebant Testes, declarauerat suam intentionem, & voluntatem residẽdi apud suam Ecclesiam, cui assertioni in eo, quod in animo consistit, videtur standum, & prout apud Gregorium, *decis. 163.* per tot.

60 Et quod ad acquirendum Incolatum, animus permanen-

nendi, & non recedendi debeat esse firmus, & non vagus, dixit Rota apud eundem *Gregorium, decis.279. nu.11. & 12.* de quo animo, si non constat expressè, incola tunc ex habitatione decennali presumitur absque alia declaratione, vt tenuit Rota in *Romana Societatis coram Comitulo*, impressa apud *Marches. de Commiss. tom.2. numer.1. fol.227.*

Et an minori temporis spatio posit censeri assidua habitatio ad effectum inducendi Incolatum, nonnulli tenuerunt, id arbitrio Iudicis terminandum esse, quos refert *Menoch. de arbitr. iud. quaest.9 casu 86. num.16. & seqq. Rota diuers. decis.105. nu.3. & 4. par.2.*

61 Et qui in Capitulis matrimonialibus promisit habitare in Patria vxoris, & postea eò se contulit, & ibi habitauit, censetur contraxisse ibidem incolatum ex declaratione voluntatis, iuncta translatione domicilij. *Rota in recent. part.1. decision.642. num.13.*

62 Et ex quo ad contrahendum domicilium requiritur animus perpetuo habitandi, *Rota* censuit eum, qui à patria recessit, & ibidem habebat maiorem partem bonorum, ac ibi etiam habebat beneficium, quia habitauerat in Vrbe in domo conducta, non contraxisse domicilium in Vrbe, quia ex coniecturis apparebat de eius animo recedendi, vt in *decis.413.nu.2. par.4. diuers.*

63 Similiter, quod quædam mulier, quæ ab Vrbe recesserat, & in Ciuitate Florentiæ habitauit per decennium & vltra, licet aliquando reuerteretur Romam; non tamen mutauerit domicilium Florentiæ contractum, censuit *Rota apud Seraphin. decis.999. num.1. & seqq.*

64 Et quod Marchio, qui sequens Curiam sui Principis, & in ea procul à Patria habitauit etiam per triginta annos, quod non mutauerit domicilium originis; quia causa habitandi est diuersa ab animo domicilij contrahendi, & quia etiam in eodem loco originis semper retinuit domum, & bona, quæ sunt signa conseruationis, non autem desertionis domicilij, resoluit *Rota decis.364. nu.3. & seqq. par.5. diuers.*

Licet

65 Licet autem domicilium habitationis possit mutari, & alio transferri cum suis qualitatibus, perpetuò scilicet permanendi, & cum translatione bonorum iuxta prædicta, & vt per *Rot. diuers. decis.* 327. *n.* 1. *par.* 1. *&* *dec.* 150. *nu.* 7. *par.* 1. & est tex. in *l. nihil, ff. ad municipales*, vbi legitur *nihil est impedimento, quominus quis vbi velit, domicilium habeat, quod ei interdictum non sit*. Attamen de eo tempore, quo quis destinatus esset ad publicum officium, non potest incolatui renunciare, *l. incola iam muneribus, ff. ad municipales*, vbi dicitur *Incola iam muneribus publicis destinatus, nisi perfecto munere incolatui renunciare non potest*, vbi *gloss.* declarat *Incola destinatus per impositionem, nam & antè est destinatus, tamen potest discedere quando vult, &* prout latiùs in ea.

66 In loco rei sitæ quis sortitur forum, ideòque pupillo datur Tutor, vbi res pupilli existunt, sic dicitur in *l. pupillo, ff. de Tut. & Curat. Pupillo qui tam Romæ, quàm in Prouincia facultates habet, rerum, quæ sunt Romæ Prætor, prouincialiũ Præses tutorem dare potest:* sic legitur etiam in *l. vnic. C. vbi petantur tut. vel curat. Magistratus eius Ciuitatis, vndè filij tui originem per conditionem Patris ducunt, vel vbi eorum sunt facultates, Tutores, vel Curatores, his quamprimum secundu formam perpetuam dare curabunt*.

67 Et qui agit ob turbatam possessionem conuenire debet turbantem, vel in loco vbi est possessio, vel vbi vis illata est. Sic dicitur in *l. vnica, C. vbi de possess. agi oportet. Vbi aut vis facta dicitur, aut momentanea possessio postulanda est, ibi loci Iudicem aduersus eum, qui possessionem turbauit, conuenit iudicare*. Et ibi *gloss.* declarat qualiter contingere possit, quod in vno loco sit possessio, & in alio fiat vis, nempè quãdo quis vellet ire ad suam possessionem Mutinæ existẽtem, ad quam cum ire vellet, fuit detentus, & impeditus in districtu Bononiæ.

68 Et quando quis vult agere actione reali, tunc in eius est electione, an velit reum conuenire, vel in loco sui domicilij, vel in loco vbi res sita est, *l. fin. C. vbi in rem actio exerceri deb.* vbi dicitur *Actor Rei forum, siue in rem, siue in per-*

personam sit actio, sequatur. Sed & in locis, in quibus res propter quas contenditur, cõstituta sunt. Iubemus in rem actionem aduersus possidentem moueri, & ibi *gloss.* in fine quærit, *item in cuius electione est, in loco domicilij, vel vbi res est eligere forum? & respondet, Actoris.*

69 Et quando hæres vult agere ex edicto Diui Adrian. pro possessione rei hæreditariæ, vel petitione hæreditatis super proprietate, debet agere, vel vbi res est, vel in foro rei. ita habetur in *l. vn. C. vbi de hæreditate agitur. Illic, vbi res hæreditarias esse proponis, hæredes in possessionem rerum hæreditariarum mitti postulandum est. vbi autem domicilium habet, qui conuenitur, vel si ibi vbi hæreditaria res sita sunt degit: hæreditatis erit controuersia terminanda*. vbi *gloss.* in *verbo degit*, supplet *maximè si ibi degit; nam idem si ibi non degit, vbi sunt res: quia poterat conueniri, vbi sunt res ad instar merè realis*.

70 Et quãdo fideicommissum petitur, ibi agendum est, vbi hæreditas existit: ita dicitur in *l. vn. C. vbi fideicommissum peti oportet.* in his verbis: *fideicommissum ibi petendum esse, vbi hæreditas relicta est, dubitari non oportet.* vbi *gloss.* explicat verba, vbi hæreditas relicta est idest vbi existit, & eãdem interpretationem facit, reiecta interpretatione aliorum, qui exponebant, idest, vbi factum est testamentum. *gloss. in l. cum res*, in verbo *relicta est, ff. de leg. 1.* Atque is, qui rem vendicare vult, debet agere contra rei possessorem, nec alio trahi potest per venditorem auctorem laudatum. Sic dicitur in *l. 1. C. eodem tit. vbi in rem actio exerc. deb. In rem actio non contra venditorem, sed contra possidentem competit. frustrà itaque desideras non tecum congredi; sed cum auctore tuo dominium vendicante, cùm te possidere cõtendas. Nam si denunciasti ei, qui tibi vendidit, intelligis sibi euictionis periculum imminere: nec enim Iurisdictionis forma in eadem Prouincia constitutis, tam petitore, quam possessore (ob aucloris personam, quam in alia Prouincia dicis consistere) debet immutari.*

71 Sed quia euenire potest, vt quis possideat rem nomine alieno, & volens rem vendicare non tenetur quęrere aliũ quàm possessorem, ideò sicut dici-

dicitur in *l.* 1. *C. eodem tit. vbi in rē act. Si quis alterius nomine quolibet modo possidens immobilem rem, litem aliquo per in rem actionem sustineat: debet statim in iudicio Dominum nominare, vt siue in eadem Ciuitate degat, siue in agro, siue in aliena Prouincia sit certo dierum spacio à Iudice finiendo, eoque ad notionem eius perducendo, vel ipse in locis, in quibus prædium situm est perueniens, vel procuratorem mittens; actoris intentiones excipiat.*

73 Et quod quis subijciatur Iurisdictioni loci, ratione rerū in territorio existentium, quodque solutio onerum, quæ debentur ratione rei, non minus spectet ad forenses, quàm ad Ciues; cū res in alieno Territorio possessa dicatur subdita, dixit *Rota apud Greg. decis.* 279. *nu.* 16. *&* 17.

74 In loco gestæ administrationis, quis forum sortitur in tantum, vt vbi administratio gesta est, vbi ratio reddi debeat. *l.* 1. *C. vbi de ratiocinijs,* vbi dicitur. *eum qui aliena negocia, siue ex tutela, siue ex quocunque alio titulo administrauit: vbi hac gessit, rationem oportet reddere.* neque possit allegare se habere domicilium alibi, & ibi velle conueniri, quia vt disponitur in *l. hæres absens, §. si quis tutelam, ff. de iud. si quis tutelā, vel curā, vel negociū, vel argentariā, vel quid aliud, vndè obligatio oritur certo loco administrauit (& si ibi domicilium non habuerit) ibi se debebit defēdere. & si se nō defendat, neque ibi domicilium habeat, bona possideri patietur.*

75 In loco delicti quis forum sortitur, adeoquod delinquens in altero de tribus locis potest conueniri, vel vbi deliquit, vel vbi crimen inchoatū fuit, vel vbi habet domicilium. *l.* 1. *C. vbi de crim. agi oportet,* vbi dicitur: *Quæstiones eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coherceantur, vbi commissa, vel inchoata sunt, vel vbi reperiuntur qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere satis notum est.* quæ verba vbi reperiūtur, duobus modis intelligi possunt, vel vbicunque sint, & hoc habet locum in vagabundo, iuxta illud, vbi te inuenero, ibi te iudicabo; vel vbi reperiuntur habere domicilium: & prout in *gloss. fin.* ibidem.

76 An verò, & quomodo, qui deliquit in diuersis locis possit

fit puniri per diuersos. tradiderunt latè Doctores in *cap. postulasti, num.5. & 6. de foro competen.* & in *cap.1. num.14. vers. sed quaero, de raptoribus, Felin in cap. vlt. num.13. de for. compet. Marsi. in l. extra territorium, nu.204. ff. de iurisd. omn. Iud.* & in *repet. l. vnica, nu.296. C. de rapt. Virgin. Decian. in tract. crimin. lib.4. cap.17. nu.6. Bossius in tit. de for. compet. nu.59. Clar. lib.4. Sent. §. fin. quaest.38. nu.9. & ibi Baiard. in addit. nu.16. Farinac. praxi, quaest.7. num.44.* & de eadem materia adde *tex.* cum ibi notatis per *gloss. & Doct. in auth. qua in prouincia, C. vbi de crim. agi oportet, in §. hac considerantes, in auth. vt omnes obed. in prouinc. collat. 5. & gloss. in cap. fin. in verbo ratione delicti, de for. competen. & in cap. Romana, §. contrahentes in verbo inuitos, de for. compet. lib.6.*

77 In loco contractus quis debet conueniri, nisi contraxerit vti aduena; sed si quis in loco contractus permanserit, licet non iure domicilij, tamen ibi potest cōueniri. *l. haeres absens, §. proinde, ff. de iud.* cuius verba sūt hęc. *proinde etsi merces vēdidit certo loco, vel disposuit, vel comparauit: videtur (nisi in alio loco se se, vt defenderet conuenit) ibi se defendere. Nunquid dicimus eum, qui à mercatore, quod comparauit aduena, vel ei vendidit, quem scit indè confestim profecturum: non oportet ibi bona possideri, sed domicilium sequi eius. At si quis ab eo qui tabernas, vel officinas certo loco conductas habuit: in ea causa est, vt illic conueniatur: quod magis habet rationem; nam vbi sic venit, vt confestim discedat, quasi à viatore emit; vel ab eo, qui transuehebatur, emit: durissimum est quotquot locis quis nauigat, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere. At si quò constiterit, non dico iure domicilij, sed tabernas, pergulam, horreum, armarium officinam cōduxit: ibiq. distraxit vel egit: defendere se eo loco debebit.*

78 Et ideò disposuit Summus Pontifex in *cap.1. §. contrahentes, de for. compet. in 6.* quod Clerici, qui in Dioecesibus suffraganeorum contraxerunt, nō possunt ab eorum Archiepiscopo cogi, vt coram eo de eisdē contractibus conueniantur inuiti, nisi ibidem inueniātur. Et subiungitur, quod Archiepiscopus potest eodem con-

contrahentes citare, etiam in Diœcesibus suffraganeorum, & actorem immittere in eorumdem bonorum possessionem, si citati comparere recusant; vel si impediant citationem ad ipsos deuenire, potest eandem immissionem decernere faciendam, quam Diœcesanus loci bonorum faciet, vel ad eiusdem Archiepiscopi requisitionem.

79 Et in loco contractus quis sortitur forum, siue per se ipsum contraxerit, siue per alium, ***d. l. hæres absens, §. apud labeonem, ff. de iud.***

80 In loco quasi cōtractus potest quis conueniri, nisi sit, quasi contractum, tanquam cum aduena, quem quis sciebat de proximo recessurum. ***l. hæres absens, §. si quis tutelam, ff. de iud.*** & ibi summat ***Bar.*** & hæres, qui quasi contrahit cum creditoribus hæreditarijs sequitur forū defuncti; nec potest se tueri proprio priuilegio. sic dicitur in ***l. hæres absens, ff. de iud. hæres absens, ibi defendendus est, vbi defunctus debuit; & conueniendus est, si ibi inueniatur, nulloque suo proprio priuilegio excusatur.***

Et quia in successorem transit instantia, ideò dicitur in ***l. si is, qui Romæ, ff. eodem tit. de iud. si is, qui Romæ iudicium acceperat, decesserit: hæres eius, quamuis domicilium transf̄ere habeat, Romæ tamen defendi debet; quia succedit in eius locū, à quo hæres relictus est*** vbi explicat ***gloss.*** idem esse si non Romæ, sed alibi iudicium acceperat defunctus, & distinguit, quod facta litis contestatione debet hæres ibidē conueniri, siue inueniatur, siue non; Ante litem verò contestatam cum defuncto, debet hæres conueniri vbi inuenitur.

81 Sed quid sit, quando fideicommissarius petit ab hærede grauati fideicommissum? habemus tex. in ***l. si fideicommissum, ff. de iudic.*** in hæc verba ***si fideicommissum ab aliquo petatur; isque dicat maiorem partem hæreditatis alibi esse: non erit ad præstationem compellendus;*** & ita ***multis constitutionibus cauetur, vt ibi petatur fideicommissum, vbi maior pars hæreditatis est; nisi probetur eo loco Testatorem voluisse fideicommissum præstari, vbi petitur:*** & subiungitur ibi in ***§. penult. Sed & rescriptum est, vt illic fideicommissum petatur, vbi***

vbi domicilium hæres habet. & ibi *gloss.* in verbo *domicilium* explicat; sed præstatio fit vbi res est, vel vbi voluit Testator, & etiam vbi hæres habet domicilium.

Sed differentia est, an species sit soluenda, an quantitas; nam species debet solui vbi est: quantitas verò vbi petitur, nisi aliud actum sit, *l. quod legatur, ff. de iud.* vbi dicitur, *quod legatur, siquidem personali actione exigatur, ibi dari debet, vbi est, nisi dolo malo hæredis subductum fuerit: tūc enim ibi dari debet, vbi petitur. Præterea, quod pondere, aut numero, aut mensura continetur, ibi dari debet, vbi petitur: nisi adiectum fuerit centum modios ex illo horreo, aut vini amphoras ex illo dolio dari volo. Si autem per in rem actionem legatum petatur, etiam ibi peti debet vbi res est. Et si mobilis sit res, ad exhibendum agi cum hærede poterit, vt exhibeat rem: sic enim à legatario vendicari poterit*; & ibidē *gloss. in verbo à legatario*. hanc materiam, vbi soluendum sit legatum distinguens, dicit in primis, ibi soluendum est, vbi Testator voluit, vel ibi, vbi verisimile est ex verbis suis; si verò non appareat, distinguit an legatum sit in genere, an in specie: si in genere, præstari debet vbi petitur, idest vbi hæres tenetur respondere, hoc est, vbi domicilium habet, & vbi maior pars hæreditatis est; si in specie, indistinctè ibi præstari debet, vbi est, vel vbi dolo heredis sit alio translata, vel nisi fortè suis expensis velit actor alibi rem sibi tradi.

Item hæc vera sunt omnia, nisi hæres alibi cœpit soluere, vel alio modo suo beneficio renunciauit. In petitione autem distinguit similiter eadem *gloss.* an in specie, vel in genere relinquatur: si in specie, siquidem agitur personali actione; in duobus locis cogetur respondere. primo vbi habet domicilium, & vbi maior pars hæreditatis est. Si verò vendicatione, in prædictis duobus, & in tertio cōuenitur loco. ideſt vbi res est, vt hoc distinguatur in rem, vel in personam agatur quantum ad conuentionem; non quantum ad præstationem; nam quacumque actione agat præstatur vbi est. Si autem in genere idem est, quod esset si relictum esset in specie; & per-

E sona-

sonali actione ageretur, excepto eo, quod vbi est in genere relictum: vbi petitur, ibi præstabitur.

82 Addo, quod ratione quasi contractus is, qui litem agit in aliquo loco, subditus fit domino loci. *Alex. cons.* 164. *num.* 3. *lib.* 6. respectu scilicet illius causæ; extra illam autem non. *Gabr. consil.* 167. *num.* 42. *&* 43. *lib.* 2.

83 In loco destinatæ solutionis quis etiam sortitur forum, ita tamen, vt si debitor non soluat, possit, nedum ibi, sed etiam alibi, vbi inuentus fuerit, vel vbi habeat domicilium, conueniri, vt in *l. vn. C. vbi conueniatur*, *qui certo loco* dare *promis.* vbi hæc habentur verba, *qui certo loco se soluturum pecuniam obligat: si solutioni satis non fecerit, arbitraria actione, & in alio loco potest conueniri, in qua existimatio venit, quod alterutrius interfuerit loco suo potius, quàm in eo, in quo petitur, solui*. vbi *gloss. in verb. & in alio loco* exponit, *scilicet quolibet, nam vbi te inuenero, ibi te iudicabo*. Sic etiam, qui promisit aliquid certo loco, post moram potest vbique conueniri *tex.* est in *l. eum qui*, *ff. de iud.* cuius verba sunt hæc, *eum qui Insulam Capuæ fieri certo tempore stipulatus est; eo finito, quocunque loco agere posse in id quod interest constat*. vbi *gloss.* in verbo *interest*, subiungit *quoties enim factum stipulamur, interesse venit*.

84 Sed qualis erit locus contractus? an ille, in quo contrahitur, an verò ille, in quo solutio destinatur? de hoc est tex. expressus in *l. contraxisse, ff. de act. & oblig. contraxisse vnusquisque in eo loco intelligitur, in quo vt solueret se obligauit*. Et bona debitoris vendenda sunt, vel per Iudicem domicilij, vel per Iudicem loci solutionis, sic in *l.* 1. *ff. de bon. auth. Iud. possid.* dicitur *venire ibi bona oportet, vbi quisq; defendi debet*, & in *l. seq.* id declaratur, *idest, vbi domicilium habet*; & subiungitur in *l.* 3. *aut vbi quisq; contraxerit; Contractum autem non vtique eo loco intelligitur, quo negocium gestum sit. Sed quo soluenda est pecunia* & ibi *gloss.* explicat *eo loco scilicet tantum: nam & in eo secundum quosdam: quod non placet*.

85 Et ibi *Bart.* quærit vtrum ratione contractus quis possit conueniri ibi vbi, celebratus est

est cōtractus, licet solutio debeat alibi fieri, & respondet, quod quidam dicunt, quod sic, & alij, quod non; tamen *gloss.* tenet quod ibi non potest conueniri: & hoc dicit esse verum.

Ad idem est tex. in *l. hæres absens, §. fin. ff. de iud.* vbi dicitur: *Illud sciendum est eum, qui ita fuit obligatus, vt in Italia solueret; si in prouincia habuit domicilium, vtrobique posse conueniri, & hic, & ibi, & ita Iuliano, & multis alijs videtur.* & ibi *gloss* in verbo *in prouincia* refert, & reffellit illorum opinionem, quod posset cōueniri etiam in Prouincia, & sic in loco vbi fuit factus contractus. Et benè, quia textus dicit, si in Prouincia habuit domicilium, & sic ratione domicilij, non autem ratione contractus.

86 Pro complemento huius materiæ *gloss.* in d. *l. hæres absens, §. apud Labeonem, ff. de iud.* in verbo *debebis*, notat tria. Et primo, quod quis in loco vel contractus, vel destinatæ solutionis debet se defendere, nisi ratio nundinarum aliud suadeat, vt in *l. 1. C. de nundinis*, vbi dicitur, quod in nundinis Mercatores non possunt arrestari, nec eorum merces sequestrari.

87 Secundo, quod si debitor vagari cœperit per Orbem terrarum, nec alicubi habeat certum domiciliū, potest conueniri vbicunque inueniatur, ne alioquin creditor ius suum perderet, qui aut ibi respondebit, aut satis dabit.

88 Tertio, quod forum quis sortitur pluribus modis, ratione contractus, ratione communis Patriæ, vt Romæ, ratione domicilij, scilicet vbi habet maiorem partem fortunarum suarum, item ratione manumissionis, vt Libertus sequatur forum patroni, item ratione originis propriæ, vel paternæ, item ratione militiæ, item ratione matrimonij, vt mulier sequatur forum viri, aliud est autem in concubina, item ratione ordinis, vel clericatus, vel studij scholastici sortitur quis forum Episcopi, vel magistri, item ratione cursus temporis, scilicet decennij, item ratione possessionis, item ratione reconuentionis, item ratione delicti, & prout in ea, & in iuribus per eam allegatis.

89 Et ex prædictis in hac materia concludendo dico, quod

Iudex ratione originis est cõpetens, si ibi reperiatur, aliàs non ex adductis per *Afflict. decis.384. nu. 6.*

90 Et ratione domicilij semper est competens, etiam in his, quibus alibi fuit contractus initus, & etiam potest punire aliquem de delicto alibi commisso. *Bar. in l. relegatorum, §. interdicere, num.4. ff. d. interd. & releg.*

91 Iudex autem loci contractus est competens, quando quis reperitur in foro contractus, in contractibus enim non habet locum remissio, vt per DD. in *l. hæres absens, §. si quis tutelam, ff. de iudicijs*, & *cap. Romana, §. contrahentes, de for. compet. Roman. singul. 283. incip. regula est*; vbi ponit tres limitationes, & additio vnam impugnat. vt ibi, Est autem incompetens quãdo solutio est alibi destinata, & Iudex loci destinatæ solutionis est competens; & vltra præallegata adde *Socin. in cap. dilecti, de foro competenti, in 3. quæst. princ. quæst. 2. nu. 10. & quæst. 12. nu. 23. & Gabr. cons. 167. nu. 65. & 66. lib. 2.*

92 Si autem contingeret quod quis citaretur eodem tempore coram Iudice originis, debet comparere coram Iudice domicilij, non coram Iudice originis. iuxta *tex. in l. delegatorum, §. interdicere*, & in *§. per contrarium, ff. de interdict. & releg. ibi etiam eam prouinciam interdici, vnde quis oriundus est, ab eo qui regit eam prouinciam, vbi quis domicilium habeat*. & inferius ibi *per contrarium autem is, qui originis prouinciæ præest, non est nactus ius interdicendi eam prouinciã, quam incolit is, qui relegatur*.

Satis diximus de competentia; vel incompetentia Iudicis citantis ratione territorij, & ratione fori. Sequitur, vt dicamus de competentia ratione particularis priuilegij, seu exemptionis.

93 Exemptio, seu liberatio à iurisdictione ordinarij, vel est concessa loco, vel Vniuersitati, vel personæ priuatæ.

Locus quando exemptus est, tunc eiusdem loci personæ sunt exemptæ; & pro gestis, cõmissisue in loco exempto nequeunt citari, nec conueniri coram ordinario; sed coram suo Iudice. pro contractu autem innito, vel re sita, vel delicto patrato extra locum exemptũ possunt conueniri, & citari coram Iudice illius

illius loci, in cuius territorio vel diœcesi existit locus exemptus. *cap.* 1. cum ibi not. *per gloss. & Doct. de priuil. lib.* 6. aliud enim est, quod locus sit exemptus, & aliud quod locus sit extra territorium; & non potest considerari locus, qui sit in nullo territorio, nullaue diœcesi. *Felinus in cap. graue, num.* 2. *vers. considera bene, & vers. immò videtur, de offic. deleg.*

94 Vniuersitas, putà Monachorum, religiosorum Militum, & similium, quando est exempta à iurisdictione Ordinarij, tunc singuli Vniuersitatis, singuli Monaci, religiosi Milites, & similes sunt exépti, qui scilicet degunt intra Monasteria, & Conuentus; qui autem extra viuunt exéptione non gaudent, & prout declarauimus supra in *capit.* 5. *nu.* 169. *cum tribus seqq.*

95 Persona priuata aliquando eximitur, vel ratione officij, vel ratione personæ. Si ratione officij, tunc finito, dimissouè officio expirat exemptio. ad *tex. in cap. quoniam, Abbas*, cum ibi not. per *gloss. & DD. de off. deleg. Rota in recent. decis.* 733. *nu.* 6. *par.* 2. *& decis.* 70. *nu.* 2. *par.* 1. *diuer.*

96 Et antè administrationem, & acceptationem officij quis efficitur exemptus, quando ad illud officium quis posset etiam inuitus cogi. *Rot. decis.* 15. *de præb. in antiq. & decis.* 12. *in nou. Caput. decis.* 76. *nu.* 3. *& seqq. par.* 3.

97 Ratione autem personæ nõ conceditur, nisi ex causa, vt putà si clericus habeat litem cum Episcopo, tunc ex gratia eximitur, vel durante lite, vel vsque ad certum tempus, quo verisimiliter lis possit terminari, vel si ex alia causa Episcopus in eum sæuiat, & tunc datur exemptio cum clausula constito de sæuitia. *Cassad. decis. vltima, de priuilegijs, numer.* 4. *Mandos. de Signat. gratiæ, in verb. exẽptiones ab Episcopis, vers. Clerici Episcopo subiecti.*

98 Et hic nota, quod contemplatione Domini familia tota eximitur. *Bal. in l.* 1. *n.* 2. *circa fin. C. de Episc. & Cler.*

99 Nota etiam, quod si quis fuerit citatus coram ordinario, deindè impetret priuilegium exemptionis; tale priuilegium non iuuat impetrantem, quando citatio fuit talis, quæ potuit inducere litis pendentiam, & hoc est

verum, nisi appareat, quod Papa voluerit ad se causam aduocare, vel nisi specialiter fuisset concessum priuilegium super ea lite, pro qua citatus fuerat; ita notant *Geminianus in cap. 1. nu. 4. & Franc. nu. 6. de priuil. lib. 6.*

100 Hic denique nota, quod Ordinarij possunt compellere exemptos, vt ostendant priuilegia exemptionis, cùm ipsi habeant iurisdictionem fundatam de iure communi; & propter exemptionem ea non tollatur; sed suspendatur eius exercitium. *cap. cùm personæ, & ibi Franc. nu. 2. de priuileg. in 6.*

101 Sed quid si quæstio sit inter Ordinarium, & Inferiorem, tanquam Iudicem loci exempti? dic quod si constat clarè de priuilegio exemptionis, Ordinarius non potest se intromittere.

102 Si verò priuilegiũ est dubium, & allegatur præscriptio, tunc lite pendente possessor debet manuteneri, etiam si possideat contra ius commune, dummodo titulus, seu priuilegium producatur; quia tunc possessio non habet tantam resistentiam Iuris communis, neque talem præsumptionem contra se, cùm iustificetur ex titulo priuilegij, vt non sit habenda in consideratione, prout consideranda esset dicta resistentia, si sola præscriptio absque priuilegij productione allegaretur. *dict. cap. cùm personæ, §. quod si tales*, & ibi *Gemin. num. 3. & 4. & Franc. num. 2. Seraphin. decis. 595. nu. 2.*

103 Modo quæro an Ordinarius, qui citauit exemptum possit contra eum non comparentem, tanquam contra contumacem procedere, & eum successiuè condemnare? hanc quæstionem examinarunt. *Io. Andr. & Franc. in cap. scienti, num. 5. de reg. Iur. in 6.* qui etsi aliter videantur distinguere. tamen ego ita respondeo, quod si re vera est exemptus, putà quia vel ab initio notorium erat, vel ex post de vera exemptione docetur; non potest censeri contumax, & processus tanquam contra contumacem factus nequaquam valet.

Primo per tex. in *l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud.* vbi dicitur *extra territorium Iusdicenti impune non paretur, idem est si supra iurisdictionem suam velit iusdicere.*

Se-

Secundo per tex. in *l. non videtur frustranda, ff. de Iud.* vbi dicitur. *Non videtur frustrandæ dilationis causa latitare, qui præsens iudicium suscipere non compellitur.*

Tertio per tex. in *l. eo tempore, ff. de peculio*, cuius verba sunt hæc. *Eo tempore, quo in peculio nihil est, pater latitat, in bonorum possessionem eius rei seruandæ causa mitti non possum, qui de peculio cum eo acturus sum, quia non fraudationis causa latitat; qui si iudicium acciperet, absolui deberet; nec ad rem pertinet, quod fieri potest, vt damnatio sequatur: nam si & in diem, vel sub conditione debebatur; fraudationis causa non videtur latitare: tamets si potest Iudicis iniuria condemnari.*

Si verò dubia erat exẽptio, tam à principio, quam post exhibitionem, & allegationem priuilegij exemptionis; tunc valet processus in contumaciam factus, & sententia; quia debebat comparere, ex quo in dubio cognitio pertinet ad Iudicem ordinarium, an iurisdictio sit sua. *l. si quis ex aliena, ff. de Iud.* ibi *Prætoris est enim existimare, an sua sit iurisdictio; vocati autem est, non contemnere auctoritatem Prætoris.*

104 At si exemptio, quæ ab initio erat dubia, posteà per exhibitionem priuilegij, vel alio modo fiat certa, neque processus valet, neque sententia, & intrat regula, quod sententia lata à non suo Iudice non tenet. *l. fin. C. si à non compet. Iud.* ibi *ne quemquam litigatorum sententia, non à suo Iudice dicta, constringat.* Et sententia ex defectu iurisdictionis omninò corruit.

Sed prædicta intellige de exemptione loci, vel Vniuersitatis, cui, vel personæ loci, vel vniuersitatis nequeũt prȩiudicare: non autem de exemptione priuatæ personæ, quȩ potest nolle vti suo priuilegio; & potest fauori suo renunciare, & in iurisdictionem alterius Iudicis consentire.

105 Tribus cõcurrentibus Iudex de incompetenti fit competens per prorogationem, & consensum partium.

Vnum est, quod Iudex sit talis; qui habeat iurisdictionem, & Tribunal; Secundum, quod partes possint consentire in alium. Postremum, quod partes consentiant.

106 Quantum ad primum,

iurisdictionem nullus dare potest, nisi Princeps, Vniuersitas, vel Consuetudo. *Rota in nou. decis. 4. nu. 2. de offic. Vic. Specul. de offic. Ord. nu. 11.*

Priuati autem non possunt conferre iurisdictionem: priuatorum enim consensus Iudicem non facit eum, qui nulli præest iudicio, nec quod is statuit, rei iudicatæ continet authoritatem, *l. priuatorũ, C. de iurisdictione omn. Iud. l. penult. ff. de Iud.*

107 Et ideò partes non possunt eorum consensu dare iurisdictionem non habenti; sed benè eius, qui habet tribunal, & iurisdictionem, possunt priuati iurisdictionem prorogare. ita dicitur in *l. 1. ff. de Iud. si se subijciant aliqui iurisdictioni, & consentiant, inter consentientes cuiusuis Iudicis, qui tribunali praeest, vel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictio.* & hoc etiam modo loquitur Imperator in *l. 1. C. de iurisdict. omn. Iudic. Non quidem fuit competens Iudex procurator noster in lite priuatorum; sed cum ipsi eum Iudicem elegeritis, & is consentientibus aduersarijs sententiam tulerit: intelligitis vos acquiescere debere rei ex consensu vestro iudicatae; cùm & procurator iudicandi potestatem inter certas habeat personas; & vos incongruum esse vobis Iudicem scientes; tamen audientiam eius elegistis; quod & in alijs similibus Iudicibus, tàm in actionem proponentis, quàm in exceptionem opponentis persona locum habebit.*

108 Et ex his nota, quod si partes in Curia litigant coram aliquo prælato, tanquam deputato ab A. C. si de deputatione non constat, non potest de consensu partium censeri prorogata eius iurisdictio: cùm in eo deficiat iurisdictio, & tribunal. *Seraph. decis. 418. num. 1.*

109 Et nota etiam, quod licet Iudex delegatus habeat iurisdictionem; non tamen aliæ personæ in rescripto non nominatæ, possunt eius iurisdictionem prorogare. tex. est in *capitulo P. & G. de offic. delegat.* ibi *& si alias iurisdictioni praeesse dicaris; quia in dictum l. nullam iurisdictionem habebas, iurisdictionis prorogatio nulla noscitur extitisse: cùm huiusmodi delegata iurisdictio ad alias personas, nequeat prorogari.* Et sic proroga-

gatio iurisdictionis delegatæ non fit de persona ad personam.

110 Potest tamen iurisdictio delegata prorogari de tempore ad tempus, inter easdem scilicet personas in rescripto nominatas, *cap. de causis, de offic. deleg.* vbi dicitur *de causis, quæ infra certum terminum decidendæ committuntur, hoc tuam volumus cognitionem tenere, quod, nisi dies præfixus de communi consensu partium prorogetur, eo transacto mandatum expirat.*

111 Et de re ad rem etiam prorogatur iurisdictio delegata, vel cum consensu principalis, vel habentis mandatum non restrictum ad certam rem, iuxta tex. in *cap. cùm olim, Abbas, de offic. delegat.* ibi, *quia verò super damnis datis, antequam lis fuerit contestata nequaquam ad dictos Iudices cognitio pertinebat; cùm in rescripto nulla de illis mentio haberetur, nec ad ipsos potuerit iurisdictio prorogari; cum procurator ad illa solummodo intelligatur constitutus, quæ in commissionis literis inueniuntur expressa.*

112 Et etiam de quantitate ad quantitatem prorogatur iurisdictio Iudicis, siue ordinarij, siue delegati. tex. est in *l. de qua re, §. 1. ff. de Iud.* ibi *Iudex, qui vsque ad certam summam iudicare iussus est, etiam de re maiori iudicare potest; si inter litigatores conueniat.* & ibi *glossa* in verbo *iussus*, exponit *à delegante, vel à lege*. Et vt etiam dicitur in *l. inter conuenientes, ff. ad municipales. inter conuenientes, & de re maiori apud Magistratus municipales agetur:* vbi *gloss.* exponit *de re maiori, quam ei liceat ratione suæ iurisdictionis.*

113 Prorogari etiam potest iurisdictio delegata de loco ad locum: Vndè delegatus deputatus in certa diœcesi potest cognoscere extra illam de consensu expresso partium, iuxta tex. in *cap. statutum, §. in nullo, de rescriptis libro 6.* cuius verba sunt hęc. *In nullo quoque casuum prædictorum Iudex extrà Ciuitatem, seu diœcesim, in quibus deputatus fuerit, cites partes, nec de causa sibi commissa cognoscat: nisi ad id expressus accesserit earumdem assensus.* Iurisdictio autem ordinaria potest prorogari de loco ad locum, intrà tamen

fines

fines sui territorij, seu suæ iurisdictionis; alias si vna parte ignorante Iudex extra locum solitum sententiam tulisset, nullitatis vitio subiaceret. iuxta tex. in *l. si vt proponis Præses, C. quom. & quando Iud.* vbi dicitur *si, vt proponis, Præses prouinciæ, cùm certum locum causæ cognoscendæ dedisset, alibi per obreptionem aditus sententiam aduersus te absentem protulit: quod ita gestum est, ad effectum iuris spectare minimè oportet*. Vbi notatur,

114 Quod sententia alibi lata quam in loco, ad quem pars fuit citata, non valet: & sufficit quòd absens non possit dici contumax ratione loci. Extra autem fines territorij, seu iurisdictionis prorogatio fieri non potest; quia Iudex extra territoriũ suum habetur tanquam priuatus, *l. 3. ff. de offic. Præsidis* ibi *præses prouinciæ in sua prouincia homines tantum imperium habet, & hoc dum in prouincia est; nam si excesserit priuatus est*; quantum ad contentiosam, secùs quantum ad voluntariam, vt ibi per *gloss.*

115 Sed ad hoc, vt Iudex inter partes suę iurisdictioni subiectas possit cognoscere in alieno territorio, requiritur vltra consensum partiũ etiam Iudicis illius territorij consensus: aliàs enim violaretur territorium alienum. *capit. 1. 9. quæst. 2. & cap. postulasti, de for. competen. Abb. in cap. P. & G. num. 15. de offic. deleg.*

116 Prorogari autem non potest iurisdictio de causa ad causam, vtpotè si inter partes lis sit de fideicommisso, vel de simili, non possunt prorogare, & cõsentire in iurisdictionem Iudicis mercaturę. Sic si quæstio sit ciuilis, nõ possunt partes prorogare iurisdictionem Iudicis criminalis, deficiente iurisdictione, cui præest, & hoc dicit *Abbas* plus sibi placere, licet alij contrarium tenuerint in *dict. cap. P. & G.* sub dicto *numer. 15.* vers. *venio ad sextam, de offic. delegat. Seraphin. decis. 439. numer. 3.*

117 Quantum ad secundum, vt fiat prorogatio iurisdictionis, necesse est vt partes in eundem Iudicem non suum possint consentire, aliàs non. cuius rei plura occurrunt exẽpla primum est in clericis, qui etiam de consensu sui Episcopi

ſcopi nequeunt in Iudicem laicum conſentire. *cap. ſi diligenti, de for. compet.* & ponitur ratio ibi *cùm non ſit beneficium hoc perſonale, cui renunciari valeat. Sed potiùs toti Collegio Eccleſiaſtico publicè ſit indultum, cui priuatorum pactio derogare non poteſt.*

118 Secundum eſt in vaſſallo, qui in cauſa feudali non poteſt prorogare iuriſdictionem alterius, abſque conſenſu domini, aliàs iudicium non valeret. *gloſſ. in cap. imperialem, §. præterea ſi inter duos, de prohib. feudi alien. per Feder.* in verbo *duos*, circa med. *Hoſt. in d. cap. P. & G.* & ibidem *Abb. num.* 18. *de offic. deleg.* qui ſub *num.* 10. infert ad aliam quæſtionem.

119 Nunquid proprius Iudex poſſit inhibere ſubdito, nè litiget ſub alieno Iudice, & dicit cõmunem eſſe concluſionem, quod non, ſi eſt ſubiectus ſolum reſpectu nudi exercitij iuriſdictionis. Secus ſi eſt dominus, vt putà Imperator, ſeu Princeps abſolutus, iuxta tex in *l. 2. §. ſed ſi Iudex, ff. de Iud.* ibi, *niſi ſpecialiter principali iuſſione prorogatio fuerit inhibita*, & hoc idem dixit *Bart. in l. 1. §. & poſt operis, num.* 8. *ff. de nou. oper. nunciat.* & in *l. 1. ff. de iud.* Vbi firmat regulã, quod ſi quis eſt ſubiectus alicui reſpectu nudi exercitij iuriſdictionis, non requiritur eius conſenſus in prorogatione iuriſdictionis alterius Iudicis. Secus autem ſi eſſet ſubiectus alio reſpectu, vt putà, quia vaſſallus illius.

120 Tertium in procuratore, qui nòn poteſt iuriſdictionem prorogare, ſi ex ea reſultaret tacita renunciatio appellationis, vel oppoſitionis litis pendentiæ, vel præuentionis; niſi habeat ſpeciale mandatum. *Caput. deciſ. 20. nu. 2. par. 1. Mobed. deciſ. 3. num. 1. & 2. de appell.*

121 Poſtremum in exemptis; nam qui ratione loci exempti ſunt, ſi ſint immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiecti, non poſſunt alterius iuriſdictionem prorogare, ſine conſenſu Romani Pontificis. *cap. cùm tempore*, in fine & ibi not. *Abb. num. 2. de arbitr. Felin. in cap. P. & G. num. 13. de offic. deleg. Mant. deciſ. 237. nu. 4.*

122 Similiter exempti, qui non ſunt immediatè ſubiecti Sedi Apoſtolicæ, non poſſunt in præiudicium ſui Superioris, cui ſubiecti ſunt, prorogare

gare iurisdictionem Ordinarij. *Abb. in cap. cùm in tempore, d. numer. 2. in 5. not. de arbitr. Crescent. decis. 3. de foro competenti.*

123 Qui verò sunt exempti per particulare priuilegium, & non sunt immediatè subiecti Sedi Apostolicæ; sed alijs inferioribus, possunt iurisdictionem ordinarij prorogare, & ei se submittere. *Felin. in cap. cùm omnes, num. 8. de constit. Iason. in l. si vnus, §. pactus ne peteret, nu. 8. ff. de pact.* Si non redundet in præiudicium alicuius, nisi prorogantis, aliàs secus. *Gemin. in cons. 83. nu. 9. Corn. cons. 114. nu. 8. lib. 2. Ferrett. cons. 102. num. 18. Seraph. decis. 595. nu. 7.*

124 Quantum ad tertium, vt fiat prorogatio, necesse est, vt ambæ partes consentiant, & sciant illum non esse Iudicem competentem, & nihilominus in illum consentiant, non tamen errent, neque metu cogantur: ita dicitur in *l. 1. in princ. ff. de iud. consensisse autem videntur, qui sciunt se non esse subiectos iurisdictioni eius: & in eum consentiant. Ceterum si putent eius iurisdictionem, non erit eius iurisdictio; error enim litigatorum, vt Iulian. quoque lib. 1. Digestorum scribit, non habet consensum, aut si putauerint aliũ esse Pratorem pro alio, aquè error non dedit iurisdictionem, aut si cùm restitisset quiuis ex litigatoribus, viribus pratura compulsus est: nulla iurisdictio est.* Et propterea quicquid ageret Iudex aditus id nullum remaneret, vt dicitur in *l. si per errorem, ff. de iurisd. omn. Iud. si per errorem alius pro alio Prator fuit aditus, nihil valebit quod actum est: nec enim ferendus est, qui dicat consensisse eos in Præsidem, cùm, vt Iulianus scribit, non consentiant, qui errant. Quid enim tàm contrarium est consensui, quàm error; qui imperitiam detegit?*

125 Consensus autem Iudicis, vt prorogatio fiat non requiritur, & ideò si Iudex erraret, putans suam esse iurisdictionem, nihilominus ex solo cõsensu partiũ valeret quicquid egisset. tex. est in d. *l. 2. §. conuenire, ff. de iud. Conuenire autem vtrum inter priuatos sufficiat; an verò etiam ipsius Pratoris cõsensus necessarius est. Lex Iulia iudiciorum ait, quominus inter priuatos conueniat: sufficit ergo priuatorũ consensus. Proinde si priuati consentiant, Prator au-*

autem ignoret partes consentire, & putet suam iurisdictionē; an legi satisfactum sit, videndum est; & puto posse defendi eius iurisdictionem esse.

Consensus ergo expressus Iudicis nō requiritur ad prorogandā eius iurisdictionem; sed satis est quod non contradicat: immò in prorogatione iurisdictionis de persona ad personam ignorantia Iudicis non vitiat; in prorogatione verò de tempore ad tempus requiritur saltem tacitus consensus Iudicis; aliàs eius ignorantia obest; & ratio diuersitatis est; quia in primo casu Iudex non erraret in fundamento iurisdictionis, sed in qualitate. In secundo verò casu erraret in fundamento iurisdictionis, procedendo post tempus, quo eius iurisdictio expirasset, ignorans prorogationem factam per partes, de tempore ad tempus. vt per Abbatem in *dict. cap. P. & G. nu. 22. de offic. deleg.*

126 Partes autem debent cōsentire, vel expressè, vel tacitè; sed si fieret pactum de litigando coram Iudice non suo, valeret quidem; sed si quis pacto nollet stare, non cogeretur. *l. si conuenerit, ff. de iurisd. omn. Iud.* vbi dicitur *si conuenerit, vt alius Prætor, quam is, cuius iurisdictio esset, ius diceret: & priusquam mutata voluntas fuerit; procul dubio nemo compellitur eiusmodi conuentioni stare*. Necesse est igitur, vt actu consentiant.

127 Et consentire in iurisdictionem quis dicitur duobus modis; vel per litis contestationem, vel per oppositionem dilatoriarum. *Bar. in dict. l. si conuenerit, num. 3. ff. de iurisd. omn. Iud.* Vel per productionem iurium, vel similes actus positiuos. *Cassad. decis. 3. in princip. de rescript. Seraphin. decis. 858. nu. 4.*

128 Ideòque ex eo solo, quod quis constituerit procuratorem, non censeretur in iurisdictionem consensisse; sicut nec consentit is, qui petit copiam libelli, vel dationem cautionis de iudicio sisti. *l. non videtur in Iudicem, ff. de Iud. Bar. d. l. si conuenerit, sub nu. 2.* & ibidem notant communiter *Doctor. Rota diuers. decis. 779. nu. 6. par. 1.*

129 Hinc si procurator rei prę sentat mandatū, & protestatur nihil fieri, nisi ipso citato, non censetur consentire in iurisdictionem, vt resoluisse *Rotam in*

in vna Spoletana beneficiorum coram Accorambono prima Decembris 1553. refert *Lancellot. de attent. par.2. cap.4. in praefat. nu.*152. Et antequam ille fuerit citatus, nõ poteſt quoad reum cenſeri lis introducta. *Auth. litigioſa, C. de litigioſis, Pariſ. conſ.*81. *nu.*13. *lib.*4. *Caput. deciſ.*171. *num.*2. *& ſeqq. par.*2.

130 Sed prædicta clauſula, nihil fieri, niſi ipſo citato, hoc operatur, vt interim habeat tempus ad deliberandum. *Mobed. deciſ.*18. *in fine, de confirm. vtil. vel inutil.*

131 Et qui proteſtatur neque agit, neque excipit. *Hoſt. in cap. cùm dilectus, in fin. & ibi Aegid. num.*23. *de ord. cognit. Mant. deciſ.*204. *nu.*10.

132 Similiter ſi citatus non compareat, ſed patiatur ſe citari ad aliquem, vel ad omnes actus, non cenſetur conſentire in iuriſdictionem; quia non ſufficit ſola patientia, aut tacitus conſenſus: ſed neceſſe eſt, quod expreſſe conſentiat, vel actum poſitiuum faciat, producendo ſcilicet iura, aut ſeruando aliquem terminum, vel faciendo quid ſimile.

133 Non enim procurator dicitur conſentire, niſi quando expreſſe conſentit. *cap. non iuſtè*, iuncta *gloſſ. in verbo ad futuros, de procur. Caſſad. dict. deciſ.*3. *nu.*1. *de reſcript.* & non poteſt conſentire, niſi habeat mandatũ ſpeciale, vel cum libera. *Seraph. dict. deciſ.*857. *num.*3. tex. eſt in *l. procurator totorum bonorum, ff. de procur.* aliàs enim cum ſolo mandato generali non poteſt conſentire in non ſuum Iudicem. *l. mandato generali, ff. eodem.* Ignorantis etenim domini cõditio per procuratorem deterior fieri non debet. *l. ignorantis, ff. de procur.*

134 Et hic nota, quod ex contumacia in non comparendo non cenſetur prorogata iuriſdictio, quando citatio emanauit à Iudice notoriè iuriſdictionem non habente, & incompetente. Secùs verò ſi dubitetur, quia tunc tenetur comparere allegaturus ſuum priuilegium ad *l. ſi quis ex aliena, ff. de Iud. ita Franc. in cap. ea quæ fiunt, de reg. iur. num.*1. *Bal. in l. ſi quis ex conſenſu, C. de Epiſc. aud. nu.*7. adde *Alex. in l.*1. *num.*5. *ff. ne quis eum qui ius voc. eſt* Et Iudicis proceſſus habentis iuriſdictionem per exceptionem elidibilem valet, & tenet, ſi exceptio nõ op-

opponatur; dũmodo exceptio sit talis, vt consensu partium remitti possit. *Doct. in cap. si duobus, de appell.* cum pluribus allegat. per *Rotam diuers. decis.* 105. *num.* 7. vsque ad fin. *par.* 2.

135 Comparens autem non censetur consentire in iurisdictionem, quando comparet præuia protestatione nullitatis actorum, & agendorum. *Rot. in recentiss. par.* 1. *decis.* 743. *nu.* 4.

136 Item quando comparet, cum protestatione, citra consensum in iurisdictionem, nisi si & quatenus, quia cùm non teneatur consentire, protestatio remanet pura. *Rota in recent. par.* 1. *decis.* 500. *n.* 7. *&* 8.

137 Item quando protestatur de defectu iurisdictionis, nisi tamen posteà in contrarium faceret actus positiuos. *Seraph. decis.* 858. *nu.* 4.

138 Per simplicem autem cõparitionem non sanatur defectus iurisdictionis, & ideò per solam cõparitionem quis non definit esse pacificus possessor ad effectum regulæ de triennali. *Achil. decis.* 2. *de trienn. nu.* 1. *& seqq.*

139 Et antequam in ordinarijs sit facta litis contestatio, & in summarijs fuerit ceptum tractari de negocio principali, debet opponi exceptio declinatoria fori, secundum practicam communem iudiciorum. *Bar.* in d. *l. non videtur in Iudicem, ff. de Iud.*

140 Et quando ea fuit opposita, non potest intelligi facta litis contestatio. *gloss. in l.* 1. *in verbo simplex, & gloss. vlt. vers. secùs si dicas*, & ibi *Bald. nu.* 3. *C. de lit. contest. Abb. in cap.* 1. *nu.* 18. *& ibi Felin. n.* 6, *de lit. contest. Mant. decis.* 204. *num.* 9.

141 Et si quis comparens ante litis contestationem consentiret in nõ suum Iudicem; tamen eundem consensum potest reuocare vsque quo lis contestetur. ad not. per *Doct. in l. si conuenerit, ff. de iurisd. omn. Iud. Bero. cons.* 9. *incip. vltra allegationes, nu.* 26. *lib.* 3. *Lancell. de attent.* 2. *par. cap.* 4. *de attent. lit. pend. limit.* 16. *numer.* 15.

142 Si verò citatus coram non suo compareret, & aduersarium reconueniret, tunc per reconuētionem censeretur in Iudicem consensisse. *Afflict. decis.* 227. *n.* 2. *Coccin. dec.* 135 *nu.* 3. addo tex. in *l. cum Papi-*

pinianus, *C. de sentent.* ibi *nulla ei opponenda exceptione, quòd non competens Iudex agentis esse cognoscitur, cuius enim in agendo obseruat arbitrium: eum habere, & contra se Iudicem in eodem negocio non dedignetur.*

143 Per recusationem autem Iudicis vti suspecti aliquando Iudex, qui competens est sit incompetens; ratio enim dictat, quod suspecti, & inimici Iudices esse non debent. *cap. secundo requiris*, *§. consultationi tuæ, in fin. de appell.* & vt ait *gloss. in l. apertissimi, in verbo libello*, *C. de iudic.* res periculosa est & tristissimos solet sortiri euentus sub Iudice suspecto subire iudicium. ideòque citatus coram Iudice sibi inimico, seu suspecto debet comparere, & opponere exceptionē suspicionis: aliàs videtur in Iudicem consentire. *cap. insinuante, de offic. deleg.* ibi *nisi postquam familiaris eius est effectus litigare consenserit coram illo. Franc. in cap. ex parte, nu. 12. de appell.*

144 Delegatus recusari potest suspectus, tàm de iure ciuili; *l. apertissimi*, *C. de Iud.* quàm de iure canonico; *cap. suspicionis, & cap. cùm causam*, *de offic. deleg. & cap. si contra vnum, de offic. delegat. lib. 6.*

145 Ordinarius autem de iure ciuili non recusatur; sed ei datur adiunctus. *gloss. in auth. offeratur, in verbo associari, & in verbo vel recusat, c. de lit. contest.* & tex. est in *auth. si verò contigerit, C. de Iud. vbi Bal. in Summario* dicit eandem authenticam non seruari de cōsuetudine, sed de iure canonico etiam ordinarius recusatur. *cap. suspicionis, de offic. deleg. cap. cum speciali, de appell.*

146 Quæ recusatio opponenda est ab initio, aliàs opposita post litem contestatam non afficit. d. *l. apertissimi, C. de Iud.* ibi *apertissimi iuris est licere litigantibus antequam lis inchoetur recusare, & cap. inter Monasterium, de sent. & re Iud.* ibi *sum quia causæ suspicionis in iure propositæ friuolæ videbantur, quas etiam tanquam dilatorias, ante litis ingressum opponere debuissent.*

147 Et quod Iudex possit statuere terminum ad proponēdum omnes dilatorias, *tex.* est in *cap. pastoralis, de except.* ibi *decernimus, vt infra certum tempus à Iudice assignandum, omnes dilatoriæ proponantur: ita quod si partes ex tunc aliquas vo-*

voluerint opponere, quas non fuerint protestatæ, nullatenus audiantur; nisi fortè aliqua de nouo sibi competens exorta fuerit, vel is qui voluerit eam opponere, fidem faciat iuramento, postremum ad illius notitiam peruenisse.

148 Sic ergo si post litem cõtestatam superueniat noua causa, nihilominus potest opponi. *cap. insinuante, de offic. deleg.* & ratio est, quia quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio: ita *gloss. in dict. l. apertissimi, in verbo recusare, C. de Iud. & in cap. 2. requiris, §. consultationi,* in verbo *coram eodem, de appellat.*

149 Et in Summarijs, in quibus lis non contestatur, debet opponi à principio; quia post primum actum, qui haberet effectum litis contestationis opponi non posset. *l. nulla, vbi Bart. C. de procur.* & non nisi ex noua causa Iudex posset recusari: *Achil. decis. 1. de except.*

150 Propositam autem recusationem si Iudex non admittat, & procedat ad vlteriora, processus erit nullus ipso iure, ex pluribus deductis per *Capell. Tholos. decis. 479. nu. 1. & ibi per Addent. nu. 2. & seqq.* recusato enim Iudice statim iurisdictio ab eo euellitur. *l. vn. C. si quacunque præditus potest.* in fine ibi, *sin autem erunt vtrique suspecti: ad illustrem præfecturam specialiter talium domorum, quamdiù ibidem administrauerit, tuitio pertineat.* Et recusatio est quædam appellationis species: *l. non distinguemus, §. cùm quidam, ff. de recept. arbitr.* ibi *per hanc igitur exceptionem, quædam appellandi species est;* vbi *glos.* declarat, idest *vim quodammodo appellationis habet, non tamen appellatio est;* Et sicut appellatio suspendit Iudicis iurisdictionem, ita & recusatio: *gloss. in cap. quoties 2. quæst. 6. in verbo appellant,* ibi *nota, quod potest à Iudice suspecto recedi per appellationem, vel per recusationem,* & inferiùs ibi *refert cùm dicitur recuso Iudicem, vt suspectum, vt in cap. 2. requiris, de appell. vel si sic dicatur, habeo Iudicem suspectum, quo casu non cogitur coram arbitro probare causam suspicionis, quia potest Iudicem declinare per appellationem,* & idem dicit *gloss. in cap. quod suspecti, 3. quæst. 5.* in verbo *canonicè* ibi *fortè ideò dicit canonicè, quia tribus edictis citatus erat, vndè debuisset misisse responsales, vel*

dic quod sufficit isti protestari suspicionem, & quicquid post illam protestationem fit non tenet. sicut si post appellationem esset factum, cap. cùm sicut, in fin. de eo, qui mit in poss. caus. rei seruan. immò licet non protestetur, tamen si posteà probat suspicionem, cassatur, quod fit contra eum. cap. accedens, vt lit. non contest. Sed iuxta opinionem, quam seruat Rota, quæ fiunt post recusationem propositam non sunt nulla, nisi appelletur, *Achil. decis. 1. de except. Seraph. dec. 983. n. 11* & inferiùs dicam.

151 Attendenda autem non est recusatio Iudicis, quando causa suspicionis est friuola: *Bal. in l. 1. nu. 4. C. ne quis in sua causa. Seraphin. decis. 532. nu. 1.* Et Iudex recusatus suspectus potest in causa procedere, dummodò causa suspicionis non sit vera. *Ioan. Andr. in cap. cùm super, nu. 6. de offic. deleg.*

152 Et recusatio Iudicis non operatur nullitatem sententię vbi partes in illius Iurisdictionem consensissent; quia eam Iudex potest spernere vti factam ad impediendam prolationem sententiæ: *Felin. in cap. inter Monasterium, num. 4. de re iud.*

153 Sic etiã dico quod executor merus potest propositam recusationem spernere, & ad executionem procedere, quia executor merus non potest recusari suspectus. *Bar. in l. si quis, §. si quos, ff. de pœnis,* locùs in mixto. *Lancell. de attent. 2. par. cap. 6. de attent. post recusationem, num. 64.* & nec etiam allegari potest suspectus quilibet alius, qui habet nudum ministerium prout est peritus. *Bald. Felin. & Dec. alleg. per Caual. decis. 178. numer. 3.*

154 Et dum Iudex fuit de partium consensu electus, tunc causa suspicionis debet probari, & requitur causæ cognitio, & citatio partis. *Castr. cons. 441. viso puncto, num. 4. lib. 2. Marant. de ord. Iud. par. 6. verf. & quandoque appellatur, numer. 76. Duran. decis. 124. num. 3.*

155 Sed quãdo Iudex fuit impetratus ab vna parte, potest ea sola ratione ab altera, legitimo tamen tempore, recusari: *l. obseruandum, ff. de Iud.* ibi *obseruandum est ne is Iudex detur quem altera pars nominatim petit; id enim iniqui exempli esse Diuus Adrianus rescripsit,* vbi

vbi *gloss.* supplet, quia videtur suspectus.

156 Et quando Iudex remissoriæ fuit in Curia nominatus pro vna parte, non potest in partibus per eandem partem recusari absque noua causa: *Auth. offeratur, C. de lit. contest. vbi Bal. in 4. not. Salicet. in 6. not. Ias.* qui loquitur in casu nominationis factæ per pro curatorem *in l. apertissimi, n. 1 C. de Iud. cap. cùm olim, vbi gloss. 2. & Abb. num. 8. de caus. poss. & propr. Seraph. decis. 897. nu. 4.* qui sub *nu. 5.* subiungit.

157 Quod quando pars allegat multos Iudices suspectos, & adducit leues causas præsumitur calumniosa, & totum agere ad impediendum executionem remissoriæ, & *nu. 6.* probat, quod in manifesta calumnia licitum est Iudici, partis reclamatione non obstante, ad vlteriora procedere, vt colligitur ex not. per *Alex. ad Bar. in l. quamuis, circa fin. ff. de damn. infect. Lap. alleg. 1. num. 4. & 5. Franc. post Innoc. & Abb. in cap. cùm speciali, nu. 29. de appellat. Bero. cons. 21. lib. 3.*

158 Et quando recusatio non fuit in tempore proposita; sed parum ante prolationem sententiæ & post litem contestatam, non reddit sententiam nullam: *l. apertissimi, C. de Iud. cap. inter Monasterium, de sent. & re iud. Natt. cons. 163 num. 13. Rota diuers. decis 2. nu. 2. par. 1.* Maximè quando recusatio non fuit facta coram Iudice, nec parte præsente, aut citata; sed clandestinè facta fuit coram solo Notario. *Duran. decis. 65. nu 6.*

159 Quæ sint iustæ causæ recusandi Iudicem vti suspectum, vide per *gloss. & Doct. in cap. cum causam, de offic. de leg. Hostien. in cap. legitima, de appellat. in 6. ponit 18. causas quas etiam explicat ibidem Io. Andr. vt per addit. ad gloss. in dicto cap. legitima, in verbo causa ipsa, & Lanfranc. in cap. quoniam contra, de probat. vers. recusationes, nu 14.* nouem ponit, & *Marant. in specul. par. 6. vers. & quandoque appellatur nu. 27. vsque 74.* enumerat quadraginta causas, quibus Iudex potest vti suspectus recusari.

160 Sed quid obseruandum sit, quando recusatur Iudex, breuiter dicam.

Recusatio est in scriptis proponenda: *cap. quoniam contra, de probat.* ibi *qui fideliter acta*

conscribant, videlicet citationes, dilationes, & recusationes, &c.

161 Exprimi debet causa iustę suspicionis: *cap. cùm speciali, de appell.* ibi *statuimus, vt si allegauerit se Iudicem habere suspectum, coram eodem causam iustæ suspicionis assignet.*

162 Quæ autem sit iusta causa suspicionis in casibus à iure nō expressis relinquitur arbitrio Iudicis, arbitrorū scilicet eligendorum, vt ibi declarat *gloss.* in verbo *iusta. Rot. diuers. decis. 2. nu. 10. par. 2.*

163 At si recusatio fieret ex causis deducēdis, si opus erit, non afficeret: prout etiam nec afficeret, si fieret cōditionaliter, quatenus Iudex aliquid non fecerit; quia cessante cōditione cessaret recusatio: *Rot. diuers. decis. 563. num. 1. & 3. par. 1.*

164 Et debet allegari talis causa, quæ si esset probata, deberet legitima reputari; *gloss. in cap. secundo requiris, §. consultationi, in verbo coram eodem.*

165 Et dicta scriptura legi, & recusatio proponi debet coram eodem Iudice, *cap. 2. requiris, §. consultationi tuæ, de appellat.* ibi *cum aliquis Iudicem proponit se habere suspectum suspicionis causa coram eo allegare tenetur.*

166 Et Iudex proposita recusatione nō debet procedere; sed quatenus recusationem nō admitteret, recusans deberet appellare, & quod post appellationem fieret, nullum remaneret: *gloss. in d. cap. quoniam contra,* in verbo *recusationes, de probat.* ibi *& recusatione Iudicis proposita non debet posteà procedere, donec de ipsa constiterit, & si Iudex non admittat iustā recusationem, cassabitur quicquid posteà fecerit, si appellatū fuerit;* & hæc est opinio Innoc. in *d. cap. cùm speciali, n. 6.* quam *Rota* seruat, quod gesta per appellationem nō sint nulla, nisi quando appellatum fuisset: *Achil. decis. 1. de except. Rot. diuers. decis. 563. n. 2. par. 1. & decis. 2. nu. 5. & 6. par. 2. Duran. decis. 124. n. 4.* post appellationem autem nulliter procederet ex defectu iurisdictionis, tanquā per appellationem suspensæ: *Seraph. decis. 983. n. 11 Caual. decis. 548. num. 3.* etiam si posteà recusans non fuisset prosecutus appellationem *Achil. decision. 3. de exception. Rota diuers. decis. 2. numer. 18. par. 2.*

167 Quę tamen appellatio debet

bet interponi in scriptis, tanquam ab interlocutoria, *cap. 1.* & ibi *Frãc. n. 5. & 10. de appell. lib. 6.* nec necessarium est in scriptura appellationis apponere clausulam in his scriptis appellat. *Rot. diuers. d. decis. 2. nu. 20 par. 2.* Sed benè necesse est, vt petantur Apostoli, ad hoc vt appellatio sit legitima: *Clem. quamuis, de appell. l. eos, §. Apostolos, C. eodẽ, de appell. Rota diuers. decis. 563. nu. 2. par. 1.*

168 Non debet igitur Iudex appellatione per recusantem interposita, in causa vlterius procedere. Et interim per partes debent eligi arbitri. *dict. cap. cum speciali, de appell. ibi, & ipse cũ* aduersario, *vel si fortè aduersarium non habeat, cũ Iudice arbitros communiter eligat,* & *cap. licet il 1. de for. cõpet.* ibi *coram arbitris cõmuniter electis, de causa suspicionis agatur.* Sed si partes different eligere arbitros, tũc Iudex recusatus potest illas cogere: *cap. 2. requiris; consultationi, de appellat.* ibi, *sed partes, vt in aliquos non valdè remotos conueniant, per eũdem Iudicem debẽt cogi.*

169 Arbitri verò electi si negligerent inter se conuenire, & cognoscere de causa suspicionis, idem Iudex recusatus illis debet terminum competentem statuere. *cap. legitima, de appell. in 6.* ibi *Statuimus, vt ipsis arbitris per Iudicem competens terminus præfigatur, infra quem in idem conueniant, vel tertium concorditer aduocent, cum quo ambo, vel alter eorum eiusdem suspicionis negocium terminare procurent.*

170 Quod si infra competentem terminum assignatum Arbitri non cognouerint de causa suspicionis, Iudex, non obstante recusatione, ad vlteriora procedere debet: d. *cap. legitima, in fin.* ibi *alioquin Iudex ex tunc in principali negocio procedere non omittat.*

171 Cum igitur Arbitri electi parati sunt munus exequi; quia causa suspicionis allegata coram Iudice debet coram eis probari, debent terminum ad probandum assignare parti: *cap. suspicionis causa, de offic. deleg.* ibi *non ipse (qui forsan prouocatus obesset) sed arbitri potiùs, coram quibus probatio est facienda, & ad quos omnia, quæ ad hanc articulum faciunt, pertinere noscuntur, possunt ad hoc terminum assignare.*

172 Tres autem casus, in quibus causa suspicionis non est probanda coram Arbitris, po-

nuntur in *cap. si contra vnum, de offic. deleg. lib. 6.* Primus est, quando duo sunt delegati cum clausula, quod si ambo, quia tunc causa suspicionis debet probari coram altero coniudice; non autem coram arbitris: secus si sine dicta clausula.

Secundus quando recusatur delegatus ab Episcopo; quia tunc recusationis causa probanda est coram Episcopo.

Tertius, quando recusatur Vicarius Episcopi; quia causa probanda est coram eodem Episcopo.

173 Licet verum sit, quod à Vicario non appellatur ad eũdem Episcopum; & *gloss. in eodem cap. si contra vnum, in verbo appellari* notat, quod licet, quoad quædam, sit idem Consistoriũ Episcopi, & Vicarij; non tamen quoad omnia, vt in ea.

174 Quando tamen duo dati sunt Iudices in solidum, tunc vnus potest procedere sine alio, etiam eo non expectato, vel non impedito; & tali casu, si is, qui non est recusatus, procedat simul cum recusato, nihilominus valet processus, si non recusatus potuit ignorare recusationem alterius. *Abb. in cap. cùm super, & ibi Felin. & Dec. de re iud. Achill. decis. 2. de except.*

175 Sed si Iudex, vel partibus ad eligendum arbitros, vel arbitris ad finiendum negocium suspicionis, assignaret terminum minus competentem, locus esset appellationi interponendæ, vel per partes, quoad terminum sibi præfixum, vel per arbitros, quoad terminum illis assignatum, si grauarentur, vtpotè si Iudex in arbitros fulminaret sententiam, si infra terminum non diffiniuissent; tunc eorum interest appellare. Et propterea partes à termino arbitris præfixo non possunt appellare, sed solum à termino sibi ipsis præfixo, quando non est competens: *gloss. in d. cap. legitima, in verbo competens,* iuncta addit. *de appell. in 6.*

Et *tex.* est in *cap. 1. de dilat.* cum *gloss.* in verbo *nimis breuem.*

176 Si coram arbitris causa nõ fuerit probata, Iudex potest in causa procedere, vt est *tex.* in *cap. cùm speciali, de appell.* ibi *causa verò suspicionis legitima coram ipsis infra competentem terminum non probata,*

ta, sua iurisdictione Iudex vtatur.

177 Si verò causa suspicionis legitima probata fuerit, tunc Iudex caret iurisdictione; sed si partes consentiant, potest alteri non suspecto negocium committere, vel ad Superiorem remittere, iuxta tex. in *d. cap. cùm speciali, de appell.* ibi *at ipsa probata legitimè, de recusatoris assensu personæ idoneæ cõmittat negocium recusatus; vel ad superiorem transmittat, vt in eo ipse procedat, secũdùm quod fuerit procedendum.*

178 A recusatione proposita censetur quis recedere pluribus modis, vel quando illam proposuit sine iuramento, vel quando rediit ad Iudicem recusatum sine protestatione, vel quando comparet cum protestatione; sed non appellat ab vlteriori processu: vel quando Procurator illam proponit, & non docet de mandato.

Quando quis recusat aliquem sine iuramento, nec illud vult præstare, censetur à recusatione recedere, velut calumniosa: ad tex. in *l. manifestæ turpitudinis, ff. de iureiur.* tenetur enim recusans allegare suspicionem cum iuramento: *gloss.* in *l. apertissimi*, in verbo *recusare, C. de iud.* ibi *potest etiam dici, quod iuret se habere suspicionem licet causam non dicat, & hoc ne calumniosè recuset: nàm & iuramentum calumniæ est ideò inductum, vt calumnia euitetur.*

179 Et ibidem *Bal. nu.9.* quærit an suspicio probetur per iuramentum, & dicit quod non si requiritur allegatio causæ; aliàs probatur; ideòque subiungit, quod non sufficit debitorem iurare suspectum; quia debet allegari causa, putà quia forensis, vel vagabundus non possidens immobilia: adde *Lanfranc in cap. quoniam contra, de probat.* in verbo *recusationes, nu.8.* & ibi *Addent.*

180 In recusatione autem Iudicis non requiritur allegatio causæ suspicionis, de Iure ciuili scilicet; & ideò de Iure ciuili probaretur suspicio per solum iuramentum; de Iure autem canonico, quia debet coram recusato allegari causa, & ea probari coram arbitris, ideò solo iuramento non probatur: *Bal.* in *d. l. apertissimi, num.8. Bar. in l. quia poterat, nu.2. ff. ad Trebell.*

181 Et quod recusatio non va-

valeat, quando non interuenit iuramentum dixit *Rota diuers. decis.2. numer.5. par.2. Caual. decis.348. nu.3.*

182 Verum, quia aliquando solet obtineri commissio à Signatura propter suspicionem Iudicis, vel propter perrhorescentiam ob potentiam partis, quia non sperat iustitiæ complementum consequi coram Iudicibus illius loci, cum narratiua scilicet, prout iurare paratus est, tunc ab initio debet iuramentũ præstari: *cap. statutum*, §. *cùm verò, de rescript.in 6.* ibi *primo fidem Iudici faciat saltem per proprium iuramentum*.

183 Sed quando fuisset additum, prout iurare paratus est si opus fuerit; tunc sufficit, vt præstetur ante sententiam; ita *Put. decis.279.* per tot *lib.1* Sed vigore constitutionis Innocentianæ, quæ seruatur in Rota, sufficit quod quandocunque præstetur. *Cassad. decis.1. num.3. de iureiur. Mandos. de commiss. form. 7. commiss.cum clausula auocatoria*, in verbo *quandoque iurare paratus existit, vers.2. quaero*.

184 Recedere etiam videtur à proposita recusatione is, qui post eam comparet coram Iudice recusato: *Abb. in cap. cum speciali, num.14. de appellat. Rota diuers. decis.563. num.4. par.1.* & fuit dictum in vna *Elboren. iurisdict. conferendi 8. Februarij 1600. coram Corduba:* apud *Marchesan. de commiss. par.4. fol.393. nu.3.* Nisi in comparitione protestetur *Put. decis.380. lib.1. & decis.218. lib.2.* fuit dictum in vna *Tridentina decimarum 21. Iunij 1610. coram Cardinali Sacrato* apud *Marchesan. p.2. fol.387. nu.1.*

185 Et licet in extraiudicialibus sufficiat vnica protestatio, *Bar.* in *l. de pupillo*, §. *si quis ipsi Pretori, ff. de nou. oper. nunciat.* in iudicialibus tamen debet fieri, seu repeti protestatio in quolibet actu, aliàs comparens sibi nocet. *Alex. in l. non solum*, §. *morte, ff. de nou. oper. nunciat. vers. dici potest. Innoc. in cap. Cumana, de elect. Mobedan. decis.2. de iud.*

Et non sufficeret vnica protestatio, etiam si fuisset dictum, quod in omnibus actibus censeatur repetita, ad not. in *l. non solum*, §. *morte, ff. de nou.oper.nunc.Seraph.dec.1057. num.2.*

Sed protestationes de non rece-

recedendo à recusationibus, vt sufficiant, & excludant processum, debent esse repetitæ in singulis actibus: *Rot. in recentiss. par. 2. decis. 557. numer. 13.*

186 Non tamen iuuaret protestatio de non recedendo à recusationibus, seu protestatio citra consensum in iurisdictionem, quando comparens cum hac protestatione, nihilominus faceret aliquem actum; quia tunc protestatio esset contraria facto, & non releuaret: *Cas. de Graff. dec. 9. num. 8. de re iud.* vtputà si instaret deputari alium Iudicem pro executione remissoriæ in locum defuncti, aliàs electi pro sua parte, qui cum eodem Iudice recusato procederet: *cap. gratum, de offic. delegat. cap. solicitudinem, de appellat. Greg. decis. 292. num. 1. & ibi add. num. 4.*

Item quando comparuisset coram recusato, & coram eo se obligasset, & dedisset fideiussores pro sportulis: *Greg. decis. 368. nu. 2.*

Item, quando coram recusato dedisset interrogatoria: *Alex. cons. 12. num. 6. lib. 6 Lancell. de attent. 2. par. cap. 6. nu. 35. Greg. decis. 466. nu 9.*

Recusatio enim tendit ad finem, ne Iudex procedat ad vlteriora; Et datio interrogatoriorum contrarium præsupponit, nempe quod testes examinādi interrogentur: *Seraph. decis. 897. nu. 7.*

Item, quando comparens coram recusato, etiam cum protestatione, obtinuit iurare testes, & examen eorum. *Put. decis. 380. numer. 2. & 3. lib. 1.*

Item, quando quis comparuisset in loco suspecto, & pro suspecto recusato, censeretur renunciasse propositæ recusationi: *Dec. in cap. solicitudinem, num. 12. de appellat. Rot. in recentiss. par. 2. decis. 557. num. 12.*

187 Et quando pars recessit à recusatione Iudicis, non potest de nouò recusare, nisi ex causa denuò superueniente: *Auth. offeratur, C. de lit. contest.* vbi *Bal. not. 4. Ias. in l. apertissimi, nu. 1. C. de iud.* & probatur in *cap. cùm olim*, vbi *gloss.* in verbo *Iudices recusare*, & ibi *Abb. num. 8. de caus. possess. & propr. Seraphin. decis. 897. nu. 4.*

188 Item censetur à recusatione recedere, qui comparet cum protestatione; sed non appellat ab vlteriori processu, iuxta

iuxta opin. *Innoc.* quam *Rota seruat. Caual. decis.* 548. *nu.* 3. *Duran. decis.* 124. *nu.* 4. & superiùs dictum est, quibus addo: *Bar. in l. quia poterat, ff. ad Trebell. n.* 3. ibi *quid si recusatus vt suspectus non obstante recusatione procedit, an processus sit nullus, an veniat annullandus. Innoc. in d. cap. cùm speciali dicit, non memini me legisse, quod processus sit nullus; sed debet annullari. Host. tenet contrarium. Io. Andr. recitat opiniones simpliciter, Ego de facto dixi, quod memini me legisse, quod processus est ipso iure nullus; quia recusatione proposita ipso iure est exemptus ab eo, & eius iurisdictione: Ideò processus est ipso iure nullus, l. 1. C. si quacunque præd. pot.* Aduerte tamen, quod iste articulus in iure est valde dubius, ex adductis latè per *Lap. allegat.* 1. & ibi *Addet* & per *Capell. Tholosan.* & ibidem *add. decis.* 479. Sed nos transimus cum opinione Innoc. & cum obseruãtia Rotæ, *Lancell. de attent. post recusationem. par.* 2. *cap.* 6. *nu.* 58. *Caual. decis.* 348 *nu.* 4.

189 Censetur denique recedere à recusatione Procurator; qui illã proposuit sine mandato, & vel de mandato non docuit, neq; de ratificatione.

190 Vt enim procurator possit Iudicem allegare suspectũ, requiritur mandatum speciale. *Paris. cons.* 31. *nu.* 112. *lib.* 1 *Caputaq. decis.* 168. *par.* 1. *Greg. decis.* 368. *nu.* 1. cuius rei adduco duplicem rationem: vna est, quia causæ quæ latent in animo, veluti suspicio, explicari non possunt per Procuratorem non habentem speciale mandatum. *Rolan. cons* 19. *n.* 2 *lib.* 3. *Alex. cons.* 78. *num.* 14. *lib.* 5. *Caual. decis.* 348. *num.* 2.

Altera est, quia in recusatione requiritur iuramentum, vt supra dictum est; & dicunt magistraliter *Doctores* in *cap. vt circa*, in fine, *de elect. in* 6. *Io. And. Gemin. & alij*, quod aut iura requirunt, vt quis iuret simpliciter, & potest per alium iurare: vt in *Clem.* 1. *de iureiur.* ibi *dans eis per suas patentes litteras plenum, & speciale mandatum, &c. Offerendi quoque nobis; & præstandi pro eo, & in ipsius animam debita nobis, & eidem Ecclesiæ fidelitatis & cuiuslibet alterius generis iuramentum*. Cùm autem exigitur iuramentum alicuius in propria persona, vel propriæ manus ipsius, non potest per alium iurare, & sic quan-

quando quis facit actum in propria persona, & per se iurare debet, aut facit per aliū, & per eum iurare potest, dum tamen habeat speciale mandatum: quamuis enim, vt ait *Io. Andr.* vbi supra persona, vel manus Procuratoris non fit ipsius principalis, tamen iuramentum, quod speciali mandato in animam principalis præstatur, est eiusdem personalis; quod si sit falsum, censetur periurus idem principalis: *cap. fin. de iureiur. lib. 6* ibi *idem fiet si (te expresè mandante, vel etiam ex post facto sciente, ac ratum habente, seu non recusante) positiones, aut responsiones huiusmodi cōtrarias tuo nomine tuus feceris procurator.*

191 Mandatum autem ad iurandum suspectum censetur sufficienter datum, quando in mandato dicitur, quod possit præstare quodlibet licitum, vel honestum iuramentum in animam constituentis. *Cassad. decis. 1. nu. 1. & 2. de iure iur.*

192 Immò recusatio proposita per Procuratorem sine mandato valet, quando principalis illam ratificauit, quando scilicet principalis iudicium fuit prosecutus coram alio Iudice. ad not. per *Innoc. in cap. ex parte Decani, num. 1. & 3. de rescript. gloss. in cap. per tuas,* in verbo *Ratum haberi, de arbitr. Rot. in recentior. par. 2. decis. 440. nu. 2.*

193 Item censetur mandatum sufficiens, si in mandato adesset solita clausula, ad Iudices, & Notarios recusandum, & alios eligendum, vt fuit dictum in *Neocastren. Archidiaconatus 9. Decembris 1588. coram Gipsio, addent. ad Gregor. decis. 368. nu. 8.*

194 Ad alium denique effectū in citatione necessaria est expressio nominis Iudicis citantis, vt casu quo ipse moreretur, vel remoueretur in termino citationis, possit intelligere citatus, coram quo debeat comparere: Quæ tamen intelligentia mihi videtur facilis, quamuis inter Doctores alij dixerint citatum debere comparere coram successore, & alij negauerint.

Quando quis citatur coram Papa, quod teneatur comparere coram successore, text. est in *cap. licet, de accusat.* ibi *Clemens Papa prædecessor noster, seruata iudiciaria grauitate, tibi certum terminum assignatum, quo responsurus obiectis Apostolico te conspectui præsen-*

sentares; cùm autem iuxta tenorem citationis ad Sedem Apostolicam accessisses, &c. & ibi *Henric. Boich.* & alij.

195 Sic etiam monitoria, & citationes, quæ decernuntur ab A.C. exequi possunt post eiusdem assumptionem ad Cardinalatum, vel post eius obitum, vt per *Salust. Tiber. in prax. A.C. lib. 1. cap. 44. per tot.* Et quando quis citatur à Iudice ordinario, eo pariter mortuo, vel mutato, comparere debet coram successore, cùm semper remaneat idem officium: *l. proponebatur, ff. de Iud.* ibi *respondeo non modo si vnus aut alter; sed si omnes Iudices mutati essent; tamen & rem eandem, & iudicium idem, quod antea fuisset permanere.*

Et quod debeat successor perficere, quod antecessor cœperat; non autem inchoare, tex. est in, *l. edictum, ff. de Iud.* vbi dicitur *edictum, quod ab antecessore datum est, in numero triũ edictorũ cõnumerari debet: planè licet omnis ab antecessore numerus finitus sit: solet tamen successor vnum edictum dare.*

Itaque successor iudicare debet ex eisdem coram antecessore gestis; non tamen eo modo, quo forte iudicaturus fuisset antecessor; sed habet ex suo animo sententiam dicere, ex eisdem tamen actis: *l. mortuo Iudice, ff. de Iud.* ibi *mortuo Iudice, quod eum iudicare oportuerat, idem eum qui subditus est sequi oportet.*

Sicut si mutato, vel mortuo Iudice duret instantia, in reliquo tẽpore iudicium successor finire debet, iux. tex. in *l. properandum, §. sin autem in medio triennij, C. de Iud.* ibi *sin autem in medio triennij, vel morte Iudicis, vel alia irrecusabili occasione, iudicium fuerit mutatum; tunc siquidem ex triennio annale tempus, vel amplius residet, in quo alius Iudex causa imponitur, intra reliquum tempus finiatur.*

Atque quod antecessor nõ fecit contra contumacem, facere debeat successor, dicitur in *l. consentaneum, C. quom. & quando Iud.* ibi, *& aduersario tuo trinis literis, vel vno pro omnibus peremptorio edicto, vt præsentiam sui faceret commonefacto: si in eadem contumacia perseuerauerit, præsentes allegationes audire, quod vel successor eius facere curabit.*

196 Quando etiam quis citatur à delegato, cuius delegatio

tio facta est, non nomine proprio; sed nomine dignitatis: tenetur comparere eo mortuo, vel remoto, coram successore in dignitate: ad *tex.* in *cap. quoniam Abbas, de offic. deleg.* ibi *quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum commissio emanauit, sibi socium in causæ cognitione adiunxit: nos sententiam illorum, sicut iusta est, ratam, & firmam habemus:* vbi *gloss. in verbo substitutum*, declarat: quod successor potest cognoscere id, quod potuit antecessor delegatus, quando proprium nomen in litteris non sit expressum; quia ambo pro vna persona intelliguntur; & dignitas non moritur.

197 Sed si proprium nomen in litteris fuit expressum, quia tunc commissio facta fuit personæ: successor non cognoscet, eadem ratione, quia dignitas nunquam perit, indiuidua verò quotidiè pereunt. prout in ea.

Et propterea, quando quis citatur à delegato nomine proprio, tunc eo mortuo successor, cui eadem causa delegatur, nisi de nouo citet, non tenetur citatus comparere: iuxta *tex.* in *l. arbiter Calendis, ff. de recept. arbitr.* vbi dicitur *arbiter Calendis Ianuarij adesse iussit, & ante eundem diem decessit, alter ex litigatoribus non affuit, proculdubio pœna minime commissa est.*

198 His textibus ponderaris aduerte, quia *Bar.* in *d. l. consentaneum, nu. 11. C. quom. & quando Iud.* dicit, quod si primus Iudex perfecit omnia Edicta, successor dabit nouam citationem, aliàs ipse perficiet primas citationes; ergo si citatus coram antecessore non comparet in termino coram successore, non efficitur contumax; quia debet de nouo citari post perfecta omnia edicta.

199 Et *Hostien.* in *cap. licet, de accusat.* & ibi *Henric. Boich. & Archid. in cap. caueant, 3. quæstione 9. nu. 4.* dicunt absolutè; quod terminus videtur circunductus: *l. cùm apud Sempronium, ff. Iud. solui, l. properandum, §. sin autem in medio triennij, C. de Iud.* vndè quãuis Iudex subrogatus succedat in causa, vt in d. *l. mortuo Iudice, ff. de Iud.* non tamen succedit in edicto, immò requiritur, quod iterum citetur de nouo: *d. l. edictum*, & *l. & post edictum, ff. de Iud.* & conclu-

cludunt, quod à successore semel citari debet: licet decessor miserit peremptorium; vt in dict. *l. consentaneum*, *C. quom.& quando Iud.* & sequitur *Fel.* in d. *cap. licet, num.3. vers. adde in materia huius textus, de accusat.*

200 Animaduertit *Io. Andr.* in d. *cap. licet, nu.3.* quod potest distingui in forma verborum citationis, & vult dicere quod Iudex primus, aut citauit nomine proprio; aut nomine sui officij, siue dignitatis, vt si nomine proprio, tunc citatus non teneatur comparere coram successore, secùs si nomine dignitatis;

201 Et hoc probatur primo per tex. in *cap. si gratiosè, de rescriptis, lib.6.* vbi dicitur, *si gratiosè tibi à Romano Pontifice concedatur, vt beneficia, quæ tempore tuæ promotionis obtinebas, posses vsque ad suæ voluntatis beneplacitũ retinere; huiusmodi gratia per eius obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat; Secùs autem si vsque ad Apostolica Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta; tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur durabit perpetuò; nisi à successore fuerit reuocata.*

202 Secũdo probatur per *tex. in Clem. ne Romani, §. fin. de elect.* ibi *Statuimus, vt electi, & alij, qui ex quacunque causa ad Sedem Apostolicam venire, vel mittere sunt adstricti, ad ipsam cùm vacat, ac si non vacaret, venire, vel mittere teneantur.*

203 Tertio probatur per *doctr. Bart.* in d. *l. cùm apud Sempronium, nu.5. ff. iudicatum solui*; vbi in materia an committatur stipulatio, quando coram vno Iudice fuit satisdatum, & non ipse, sed successor iudicauit: distinguit quod si post interpositam satisdationem receditur à primo Iudice, & itur ad alium Iudicem alterius Tribunalis, tunc stipulatio nõ committitur. Si verò itur ad alium Iudicem eiusdem Tribunalis, fortè ad collegam, vel successores; tunc si in stipulatione fuit adiectum proprium nomen Iudicis, & tunc stipulatio non committitur: nisi esset adiectum, quine in eius locum successit. Si vero proprium nomen nõ fuit expressum, tunc stipulatio committitur; quia idem Iudex videtur; & idem iudicium; iuxta præalleg. *l. proponebatur, ff. de Iud.*

Satis

Satis diximus, quibus de causis in citatione nomen Iudicis sit exprimendũ, superest vt dicamus breuiter, quid si erratũ sit in Iudicis nomine.

204 In primis citationibus, quæ fiunt in scriptis per Notarium, & cum decreto Iudicis si Iudex citat, vel nomine proprio, vel nomine dignitatis, impossibilis est error: non enim verisimile est in suum nomen quenquam errare; *l. fin. C. de instit. & substit.* Et ideò cùm quis esset Prætor si citaret vti gubernator, vel præses, sine dubio citatus nõ teneretur comparere, quia talis error vitiaret: error enim in appellatiuo nocet: *gloss.* in *l. si quis in fundi vocabulo*, in verbo *quod si quis, ff. de leg. 1.* & censeretur error affectatus malitiosè ad decipiendum aduersarium: iux. tex. in *l. obseruandum, ff. de Iud.* & malitijs hominum est obuiandum: *cap. sedes, in princ. de rescr. Rip. in cap. cùm M. Ferrarien. nu. 199. in fin. de constit.* Et error in exercitio, & vsu iurisdictionis Iudicis vitiat; *l. si per errorem, ff. de iurisdict. omn. Iud.* Immò vitiat error in nomine etiam, & præ nomine Iudicis, nisi ex conuentione litigatorum; is fuisset aditus, & constet, quod partes senserint eũ Iudicem esse; *l. si in Iudicis nomine, ff. de Iud.*

205 Hæc quidem vera sunt, si Iudex ipse citaret, sed quid si vel Notarius, vel pars in concipienda citatione erraret in nomine Iudicis.

Dic, quod si ex alijs expressis in citatione appareret coram quo, quis citaretur: error in nomine Iudicis nõ vitiaret, facilè enim est in nomine alterius errare, sed cùm de corpore conueniat, licet error sit in vocabulo, rectè actum esse videtur, vt in *l. idem Pomponius, §. cùm in actu agitur, ff. de rei vendic.* & nihil interest si alio quolibet modo intelligatur potiùs de vno quàm de alio, *§. si quidem in nomine, instit. de legat.* Sed si erratum sit in nomine, & ex alijs in citatione expressis remanet ambiguum, de quo intelligendum sit, error vitiat; *l. in ambiguo, ff. de reb. dub.*

DE EXPRIMENDO nomine eius, qui citandus est.

206 Ad recognoscendum singulos nomina cõpar. ta sunt; *l. ad recognoscendos, C. de ingenuis;*

nuis; & sufficit nominis proprij expressio, quando illud est singulare, vt non possit ambiguitas oriri; nam tunc alia demonstratio esset superflua: *l. 1. in fin. ff. de dote præleg.* ibi *nam quicquid demonstratæ rei adijcitur satis demonstrare frustra est*. Et additio cognominis necessaria non est, quando per solum nomen possumus esse certi; *l. 1. ff. de liber, & posthum.* vbi dicitur *quid sit nominatim exhæredari videamus; nomen, & pronomen, & cognomen eius dicendum est: an sufficit, vel vnum ex his, & constat sufficere*. Sed vbi essent plures eiusdem nominis, solius nominis proprij expressio non sufficeret; vt enim legitur in *l. duo sunt Titij ff. de testamentaria tutela, duo sunt Titij pater, & filius: datus est tutor Titius: nec apparet de quo sensit testator, quæro quid sit iuris. Respondi datus est: quem dare se testator sensit: si id non apparet non ius deficit, sed probatio: igitur neuter est tutor*.

207 Sed in materia citationis, si plures sunt Titij, & in citatione sit expressum solum nomen Titij, si vere citatus sit ille Titius, cuius interest, & illum nuncius cognouerit, & ab alijs distinxerit, valet citatio; sed si cursor nesciens præcisè, quem citare deberet, si citet vnum pro alio, citatio temeraria est, itaut si citatus in comparendo fecisset expensas, eas repeteret: *l. eum quem temere, ff. de Iud.* ibi *eum quem temerè aduersarium suum in iudicium vocasse constiterit: viatica litisque sumptus aduersario suo reddere oportebit*; & ibi *gloss. prima* circa med. dicit *pone hic casum quãdo quis vocauit Titium ad causam; plures autem erant Titij, & sic venit, & expensas fecit in itinere ille, de quo iste non senserat: fecit enim iste temerè, quod sic confusè fecit libellum*.

Et idem dicitur in *l. idem Pomponius, §. si plures, ff. de rei vend. si plures sint eiusdem nominis serui: putà plures heredes: nec appareat de quo actum sit: Pomponius dicit nullam fieri condemnationem*; adde *tex.* in *l. ita fidei, ff. de iure Fisci*, ibi *non tamen eò cognosci potest, de quo sit rogatus hæres: cùm diuersitas rerum obscurum faciat legatum*.

208 Vbi igitur ex solo nomine certitudo haberi nequit, cognomen apponitur: *Bar. in prima consit. Digestorum, in rubr.*

rubr. nu.9. & in *l. demonstratio, nu. 14. ff. de condit. & demonstr. tex.* est in suprarelata; *l. 1. ff. de liber. & posthum.*

209 Et quando, nedum nomen, sed etiam cognomen singulare non est; tunc potest persona demonstrari per nomen appellatiuum, quando illud conuenit vni tantũ: tunc enim cẽsetur habere vim proprij nominis, quoad demonstrationem; *l. 2. ff. de liber. & posthum.* ibi *nominatim exhaeredatus filius ita videtur: filius meus exhaeres esto: & si nec nomen eius expressum sit: si modo vnicus sit; nam si plures sunt filij: benigna interpretatione potiùs à plerisque respondetur, exhaeredatum nullum esse.*

210 Etsi nec sufficiat nomen appellatiuũ, recurritur ad nomen patris, & loci, vtputà si dicatur Petrus Martini de Perusio; *Bar. in dict. l. demonstratio, nu. 14. ff. de condit. & demonstr.* Sed quod sufficeret etiam nomen matris deduco ex *l. si in rem, ff. de rei vendic.* ibi *sed si nomen eius ignorem, demonstratione eius vtendum erit: velut, qui ex illa haereditate est: vel qui ex illa ancilla natus est*; & quod ad declarationem, seu demonstrationem alicuius, ita sufficit adijcere nomen matris, sicut patris not. *Bar. in l. 3. num. 1. ff. de liber. & posthum.* & sufficit etiam expressio per dignitates, vel officia singulorum, vel per alia indicia; *l. hac consultissima, C. qui test. fac. possunt.* ibi *deinde exprimant nomina specialiter haeredum, & dignitates singulorum, & indicia; ne sola nominum commemoratio quicquam ambiguitatis pariat.*

211 Et satis est si per qualitates, & circumstantias, & per aequipollentia, persona ita specificetur, vt constet, de qua intelligatur; vt enim dicitur in *§. siquidem in nomine, instit. de legat.* ibi *nomina significandorum hominum gratia reperta sunt; qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest*; atque vt dicitur in d. *l. idẽ Pomponius, §. cùm in rem, ff. de rei vendic. cùm in rem agitur, si de corpore conueniat: error autem sit in vocabulo, rectè actum esse videtur*; & in *l. certum est, ff. si cert. pet.* dicitur *nihil referre ait proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demõstretur, quatenus mutua vicees fungantur, quae tantundem*

præstent: Expressio igitur, & specificatio nominis citandi debet esse talis, vt nulla sit ambiguitas; nam vt dicitur in *l. in ambiguo, ff. de reb. dub. In ambiguo sermone nõ vtrumque dicimus: sed id duntaxat, quod volumus; itaque qui aliud dicit, quàm vult, neque id dicit quod vox significat; quia non vult: neque id quod vult, quia id non loquitur.*

212 Et hic noto, quod duplex certitudo, seu specificatio personæ citandæ requiritur, vna respectu nuncij citationem exequi debentis, vt certo sciat quem debeat citare; quippè qui nisi haberet notam personam citandi, citatio non valeret: *Bar. in rubr. C. de fid. instr. nu. 11. vers. venio ad secundam. Ruin. cons. 189. n. 17. lib. 1. Rot. in recent. decis. 209. nu. 1. par. 2.*

213 Altera respectu personæ citandæ, vt sciat quo nomine citetur: potest enim quis citari, vel tanquam principalis, vel tanquam procurator; *l. 1. §. nunciatio, ff. de nou. oper. nunc.* ibi *item nunciationem, & nostro, & alieno nomine facere possumus.*

214 Si igitur indefinitè quis citatus esset, nõ expresso quo nomine citaretur; citatio non valeret: tanquam incerta, obscura, & indiscreta, iuxta tex. in *l. 2. §. sequitur, ff. de dol. mal. excep.* ibi *& quidem illud annotandum est, quod specialiter exprimendum est, de cuius dolo quis queratur, Caputaq. decis. 116. nu. 6. par. 1.*

215 Et vbi est pluralitas, ibi est obscuritas, & vbi obscuritas est, non valet citatio: & quod non intelligitur, obscurum est: *Bal. in l. hac consultissima, num. 4. & 5. C. qui test. fac. poss.*

216 Hæc tamen incertitudo, vt mihi videtur, potest ex pluribus cessare. Et primo, quando is, qui citatur est talis, qui non possit citari, nisi vno nomine, vel proprio, vel alieno; tunc enim alia demonstratio esset superflua: *l. 1. in fin. ff. de dot. præleg.* & oratio indefinita, quando non potest referri, nisi ad vnum, æquipollet singulari orationi, & valet: sed quando refertur ad plura, parit obscuritatem: *Bald. in l. 2. ff. de liber. & posthum.*

Secundo, quando in citatione exprimitur causa, propter quam quis citatur, quia ex ea potest citatus intelligere,

re, quo nomine vocetur: *cap. prætereà, de dilat.* ibi *si ex rescripto sibi transmisso plenè potuit instrui super eo, quod in iudicio conuenitur*, & dicitur in *cap. seq.* quod pro declaratione verbi generalis, vel ambigui positi in libello, nouæ induciæ deliberatoriæ dandæ non sunt, si per expressa potuit reus deliberare super ambiguitate illa, vel generalitate.

Tertio, quando ex iuribus in actis productis potest constare, quo nomine citetur; quæ tàm per Iudicem, quàm per partes sunt inspicienda, cùm ea conscribantur, vt possit ex eis informari, & instrui: *cap. quoniam contra, de probat.* ibi *vt si super processu Iudicis suborta contentio per hoc possit veritas declarari*, & non aliundè, siue Iudex, siue partes, quàm ex actis possunt informationem assumere: *Gregor. decis. 224. num. 5.* & ibi *adden. nu. 6.*

Hic noto nonnullos casus, quibus propter errorem in nomine citandi, citatus non tenetur comparere.

217 Primus est, quando quis citaretur vti Petrus Martini, cùm sit Petrus Ioannis, quia si non comparet, non efficitur contumax: *Bar. in l. in testamento, nu. 2. ff. de cond. & demonstr.* Si vero comparet, & sub illo nomine litigat, tunc talis falsa demonstratio non vitiat iudicium; immò valet: *Bar. in l. demonstratio, nu. 12. ff. de cond. & demonstr.*

218 Secundus, quando vt in casu decisionis: *Caputaq. 107. par. 1.* citatio executa est cõtra Didacum, & Ariam, vti hæredes, & executores testamentarios Cardinalis Toletani; quia non præiudicat Hospitali Sancti Ioannis; licet Hospitale sit hæres dicti Cardinalis, & prædicti citati essent Administratores; nam alia est causa hereditatis Cardinalis, & alia est causa Hospitalis, & pro causa Hospitalis prædicti debebant citari, vti Administratores Hospitalis: In causa autem hæreditatis debebant citari, vti executores testamentarij.

219 Et vbi quis citatur in vna causa, non potest contra eum procedi in alia: *Innoc. in cap. licet. vers. expirauit, de offic. deleg. Bal. in l. si accusatoribus, nu. 13; C. de accusat. Caputaq. d. decis. 107. nu. 2. par. 1.*

220 Tertius, quando vt in ca-

su decisionis: *Seraphin.* 415. quis citaretur vti principalis, cùm deberet citari vti tutor, vel procurator; quia talis citatio non valet, eaque nullam recipere potest interpretationem, cùm ad eã restricta sit tanquam ad principalem; secùs verò si citaretur expresso solo nomine proprio; quia cùm non posset citari, tanquam principalis, censeretur citatus tanquam tutor, vt sustineretur actus ex capite, quo potest sustineri: *l. si quis intentione ambigua, ff. de Iud.* vbi dicitur, *si quis intentione ambigua, vel oratione vsus sit; id quod vtiliùs ei est, accipiendum est.*

221 Et quod hac ratione interpretari debeat citatio dubia, ad fauorem citantis, sentit *Roman. cons.* 446. *&* 496. *Ias.* in *l. exigendi, nu.* 7. *&* 9. *C. de procur. quos refert Seraph. d. decis.* 415. *nu.* 2.

222 Quartus, quãdo quis esset principalis, hoc est principaliter ageretur de iure suo, & nihilominus citaretur generaliter pro suo iure, & interesse, tunc enim citatio nõ valet, & non arctaret ad comparendũ: *Alex. consil.* 86. *numer.* 3. *lib.* 2. *Felin. in cap. cùm inter, num.* 12. *in fin. de excep. Soc. in tract. de citat. artic.* 20. *quæst.* 14. *nu.* 22. *&* 23. *Vinc. de Franch. decis.* 523. *nu.* 16. *Castill. decis.* 2. *num.* 11. Quando enim pars, quæ lædi potest certa est, citãda est nominatim, & specificè, *cap. fin.* & ibi *Gemin. de elect. in* 6. *Mohed. decis.* 8. *de fid. instr. Crauet. cons.* 182. *nu.* 10.

223 Sed quid si citatio fiat sub nominibus appellatiuis nullatenus proprijs nominibus expresfis, videlicet con. filios, & hæredes N. respõdeo hanc citationem esse certam respectu personæ citandæ, cùm quisq; sciat, cuius sit filius, vel heres, & cuius non; respectu autem nuncij incerta est; qui tamen de facili potest certificari, qui nam sint filij; & hæredes N. dum enim illam exequeretur, vel in personam, vel in domo habitationis illorum, vel in domo hæreditaria, appareret eum fuisse certioratum; & expressũ dicitur quod sequitur ex verbis expressis: *Paris. cõs.* 97. *n.* 107. *vol.* 1. *Abb. cõs.* 44. *n.* 3. *lib.* 1. *Bal. in l. ad probationẽ dominij, nu.* 2. *C. de probat.*

224 Aduertendum tamen est quia si Nuncius referet indefinitè citasse filios, & hæredes, N. vel in personã, vel domi, & non

non exprimeret nomina eorum propria, adhuc ambigua remaneret citatio, & non redderet citatos contumaces: *Alex. conf. 137. num. 11. vol. 2. Socin. consil. 13. num. 10. lib. 4. Rolan. consil. 32. num. 24. lib. 1* Similiter si nuncius executus fuisset dictā citationem contra filios, & hęredes N. per edictũ non remaneret certificata persona citandorum ex eo solo, quod Nũcius legisset, & affigisset in locis publicis citationem in se dubiam, & ambiguã: *Put. decis. 1. de dol. & contum. relat. per Salust. Tiber. in praxi A. C. lib. 2. cap. 13. nu. 12.* Addo *Bal. conf. 128. incip. citatio facta, n. 1. lib. 4.* qui in contrariũ dicit citationẽ factam ad domum sub nomine appellatiuo hæredis haberi pro certa, quia verisimiliter peruenit ad notitiam citati, & quia habemus effectum, qui resultat ex speciali citatione scilicet notitiam, iux. *l. vt perfectiùs, C. de annali excep. l. 1. §. 1. ff. de lib. agnosc. Clem. causam, de elect.*

225 Sed de hac notitia præsumpta ego valdè dubito; quia verum est, quod citatio facta ad domum alicuius citati sub nomine proprio præsumitur ad eius notitiã deuenisse: *l. sed etsi pupillus, ff. de instit. act.* maximè si compareat; quia per comparitionem partis sanatur nullitas citationis: *Caput. dec. 112. p. 1. Greg. dec. 27. nu. 3.*

226 Sed si non comparet, non puto fieri contumacem, quia citans aliquem vti hæredem alterius debet probare illum esse hæredem; aliàs citatus nõ tenetur cõparere: *Alex. in l. in necessarijs, ff. de acquir. hæred. n. 4. & 5. & conf. 34. n. 4. vol. 4. Rolan. conf. 58. nu. 23. lib. 1.*

227 Et filius nunquam præsumitur hæres patris, quantum ad hoc, vt possit eius persona cõdemnari; sed solum ad hoc, vt creditor facta fide sui crediti, posśit obtinere immisśionem, seu executionem contra bona hæreditaria; nisi probaretur illũ se immiscuisse in hæreditate: *l. 2. ff. de cond. furt. l. si cum dotem, §. transgrediamur, ff. solut. matr. Bal. in d. conf. 128. nu. 4. lib. 4.*

Hactenus vidimus exprimendã esse, & specificandam personam eius, qui citari debet: modo sequitur, vt videamus per quem expresśio citandorum fieri debeat; an per Iudicem citationem decernentem, an per Nuncium eam exequentem.

228 Expressio citandorum de iure deberet fieri à Iudice ordinario in decreto citationis, non autem per nuncium in illius executione, etenim ait *Bar.* in *l. 1. C. de iur. domin. impetr.* quod non sufficit generalis commissio nuncio facta de citando, sed nomina, & cognomina citandorũ sunt exprimenda: *Ias. in §. quadrupli, nu. 16. instit. de act. Vant. de nullit. ex defectu citationis, nu. 37.* deberet etiam de iure fieri eadem expressio per Iudicem commissarium, non autem per Nuncium, iux. *tex.* in *cap. pastoralis, §. quoniam de rescript.* ibi *sed antequam exprimantur personæ, vel res, delegatus nequit iurisdictionem huiusmodi exercere*, & in *tex.* in *cap. cùm in multis, de rescrip. in 6.* ibi, *quorum nomina in primo citatorio exprimat impetrator, ne locus fraudi forsitan relinquatur, si circa ea possit variare.*

229 Verum, quia expressio censetur facta nedum in specie; sed etiam in genere. Ideò Iudices ordinarij cõsueuerũt in citationibus mandare citari N. in specie, omnesque alios, & sic in genere, quod genus posteà in executione citationis reducitur ad speciem per nuncium; & sic semper verum est, quod citandi exprimuntur per Iudicem.

230 Hinc in rescriptis semper solet apponi clausula generalis, omnesque alios, &c. cuius tamen vigore non licet per multos citare; sed solos tres, vel quatuor; iuxta *text.* in *cap. sedes, de rescript.* ibi *sed nec liceat occasione generalitatis huiusmodi multitudinem effrenatam in iudicium euocare*; & iux. *tex.* in d. *cap. cùm in multis, de rescrip. in 6.* ibi *duximus statuendum, vt per illam generalem clausulam, quidam alij, quæ frequenter in literis nostris inseritur, vltra tres, vel quatuor, in iudiciũ non trahantur.*

231 Sed hic animaduerto, quod per illam clausulam generalem, de qua in præalleg. iuribus, benè censebatur citandorum expressio facta per Iudicem in genere; sed non ideò censebatur data facultas reducendi genus ad speciem in actu executionis citationis; & propterea inoleuit praxis addendi in dicta clausula, ista verba, in executione citationis nominandos, & cognominandos, quæ benè operantur, vt specifica nominatio fieri pos-

possit per Nunciũ in actu citationis.

232 Et ideò dicit *Cassad.dec.2. num.1. de dol. & contum.* quod clausula omnesque alios, de qua in *cap. cùm in multis, de rescrip.in 6.* vbi tex. vult, quod citandi eius vigore exprimãtur in primo citatorio, ad tollen. fraudes, tamen Rota contentatur, & ità practicatur, quod possint citari, & nominari in partibus, vt ità censuit *Rota in nouis, decis.18.n.2. de dol. & contum. & Rota coram Greg. decis.94. nu.3. & 4.* declarat quod vigore clausulæ, omnesque alios, &c. potest quilibet etiam in cõmissione, non nominatus citari, & quod *decis.Crescent.3.de dilat.* quod ad effectum litis requiratur, vt sit nominatus in commissione non seruatur, quia *Rota* vult, quod possit fieri expressio in partibus iuxta predictã decis. *Cassad.2. de dol. & contum.*

233 Hinc *Vant.de nullit.ex defectu citationis, num.58.* dicit, quod nomen citandi est exprimendum in citatione, vt citatus possit cognoscere an citationis decretum illum cõprehendat, & ad tollendum æquiuocationem, vt citandus scire possit, an ipse idem sit, qui in citatione continetur, & *nu.59.* subiungit, quod quando expressè quis non est nominatus in cõmissione etiam quod sit apposita clausula, omnesque alios, quorum interest, executor nõ potest aliquam certam personã citare, cùm super non specificatis nõ competat effectualiter potestas. Secus si sit apposita clausula cũ potestate citandi, tàm in Curia, quàm extra omnes sua interesse putantes in executione citationis vbi, & quoties opus fuerit exprimendos, & *nu.60.* addit quod licet vigore talis clausulæ, omnesque alios, &c. commissio, & citatio valeat de iure, vt in *cap. significante, de testibus*, & executor possit citare in genere omnes quorum interest: *cap.fin.de elect.in 6. cap. in tua, qui matr. accus. poss.* attamen citatio huiusmodi non est arctatoria, sed monitoria, & potest quis comparere, sed non cogitur: *Innocent. Hostien.* & *alij in cap.dilecti, de except.* cum alijs per eum allegatis.

Hinc etiam *Vestr. in praxi lib.4. cap.2. nu.2.* ait quod de iure si plures citandi essent, expressè nominãdi foret. Vndè inoleuit praxis, vt in com-

missione apponatur clausula, omnesque alios, cuius tamen vigore nō poterunt vltra quatuor citari, & in citatione nominandi essent per Iudicem, non autem per executorem tantum: & quando plures vltra quatuor sint citandi, consueuit addi ista verba, etiamsi essent vltra quatuor; sed quoniam plerūque accidit, vt ob locorum distantiam omnium citandorum nomina ignorentur, nec aliàs possint exprimi in citatione; suborta est, inquit idem, alia practica, qua vbi in commissione dicimus, omnesque alios, addere consueuimus, in executione citationis vigore præsentium decernendæ nominandos, iuxta d. *dec. Cassad. 2. de dol. & contum.*

235 Et *Mandos. in reg. 34. de annali, q. 36. n. 7.* ait quod vigore dictæ clausulæ, omnesq; alios, etiam in executione citationis præsentium vigore, decernendæ nominādos, tàm Auditor, quàm Notarius, vel Nuncius, validè specificare, & nominare poterit citandum; Iudex videlicet dum citationem ad partes decernit, Nūcius verò, seu Notarius dum citat, & sic in ipsa citationis executione; prout verba clausulæ prædictæ hæc clarè ostēdunt, & ita tollitur per hanc clausulā omnis disputatio Doctorum in præalleg. *cap. pastoralis, §. quoniam, de rescr. & per Rot. antiquā* in *decisionibus per eum alleg. d. quæst. 36. in fin.*

236 Occurrunt nonnulla scitu digna, vnde noto primo, quod dicit *Cassad. d. decis. 2. de dol. & contum.* nēpe quod d. clausula, omnesque alios, potest apponi etiam in citatione per edictum, sed non operatur quando probatur nō tutus accessus contra certos, quia tunc debet probari non tutus accessus ad vnam Prouinciam, vel Ciuitatem contra quoscunque, qui in ea essent citandi, vel debet probari sæuitia Principis, & non tutus accessus ad citādos, & in his terminis operaretur hæc clausula, omnesq; alios, apposita in citatione per edictū.

237 Noto secūdo, quod dicit *Rot. in nou. decis. 16. de rescr.* quod nō solum potest in partibus fieri expresio nominū; sed etiam correctio illorum, adeò vt si in commissione erratum esset, vel in nomine, vel in cognomine citandi, posset fieri in citatione melior expresio, dūmodo cōstet, quod sit eadem persona in commissione

ſione contenta, ſcilicet per alias circumſtantias.

238 Noto tertio, quod ſi commiſsio eſſet impetrata contra V.Remen. diœceſis nõ poſſet citari,ſeu conueniri alius, qui nõ eſſet Remen. ſed Leodien. diœceſis, *cap. ſignificante, de reſcr.* prout nec vigore reſcripti impetrati contra homines diœceſis, poſſent citari homines Ciuitatis, etiam vigore clauſulæ generalis, & quidam alij,niſi addatur Ciuitatis:*cap. Rodulph. de reſcr.* & ibi *gloſſ. in verbo Sagien. diœceſ. &c.*

239 Noto denique, quod dicit *gloſſ.*in *cap.quoniã Abbas,*in verbo ſubſtitutum poſt mediũ, *de off. & pot. Iud.deleg.* nẽpè quod ſi dubiũ eſſet nomen Iudicis in reſcripto,tunc ille, quẽ elegerit actor erit Iudex,quia de illo ſentit eũ impetrauit litteras ſi autem de cõmuni conſenſu, partes concordaſſent non diſtinguendo, de quo intelligerent, ſed poſteà vnus dicit de vno,& alius de alio,nec poteſt cõſtare, de quo intellexerint, quia non concordant,tũc ille eſſet Iudex, cui primo litteræ eſſent præſentatæ,ſed ſi ſimul præſentatio fuiſſet facta,Iudex eſſet,qui dignior eſſet, at ſi eſſent ęquales,ſorte dirimeretur ex iuribus per eãdẽ *gloſſ. alleg.*

240 His notatis,redeũdo ad ſpecificationem nominũ in executione citationis vigoré prędictæ clauſulę faciendã, certũ eſt, quod Nũcius in citatione non poteſt ſcire, qui ſpecificè ſint citandi; niſi ſit inſtructus, non poteſt autem inſtrui, niſi à principali,vel à procuratore.

241 Et ideò dicit *Frãc.*in d.*cap. cùm in multis,n.2.de reſcr. in 6.* quod ipſe tãtũ principalis poterit declarare,nõ eius Procurator,niſi haberet ſpeciale mãdatũ, vel niſi Dominus ratificauerit:*l.generali ff.de rit.nupt. Bar.in l. ſi ſtipulatus fuero, ff. de verb oblig.*& mortuo impetrãte,nõ poſſet eius hæres ſpecificare nomina;quia declaratio animi nõ trãſit à defũcto in hęredẽ,ex alleg.per *Frãc.vbi ſup.*

242 Qui autẽ vigore d.clauſulę,omneſq;alios,poſſint ſpecificari,& citari,breuiter videamus; & firmo duas concluſiones,vna eſt,quod non poſſunt citari,qui maiores sũt expreſſis: *tex.* eſt in *cap. Sedes Apoſtolica,de reſcrip.* ibi *cùm in cõmiſſionibus noſtris minores, & viliores perſonæ ſolummodò deſignantur, maiores, & digniores ſuos ſub generali clauſula nõ intelligantur includi.*

Et

Et ideò vigore dictæ clausulæ nunquã intelligitur cõprehensus Princeps, ex alijs etiam adductis per *Mãdos. in form. 2. cõmiss. causæ super benef.* in verbo omnesq; alios. vbi firmat, quod sub tali clausula cõprehẽdũtur pauperes, licet ipsi tanquam miserabiles personæ possint remissionem suæ causæ petere ex priuilegio, *l. vn. C. quãdo imper. inter pupil. & vid.*

243 Altera conclusio est, quod expressa persona vera non potest posteà vigore prædictæ clausulæ, omnesq; alios. specificari, & citari persona ficta, & repræsentata, nẽpè Vniuersitas, Capitulum, Collegium, ita not. *Io. Andr. in c. cũ in illis, n. 3. circa fin. de preb. lib. 6.* reddẽs rationem, quia relatiuũ alius cõprehendit id quod est diuersum in supposito, dũmodo sit idem in substãtia, Vniuersitas autẽ tanquã persona ficta, cum persona vera, nõ solũ est, quid diuersũ in supposito, sed etiam in substantia; & ideò nõ potest comprehendi sub dicta clausula generali, omnesq; alios. Sed adduco aliam rationẽ realem ab hac fortè non multum diuersam, Vniuersitas repræsentat plures personas; & ideò est maior quacũq; singulari persona, & successiuè intrat dispositio: *cap. Sedes Apostolica, de rescr.* quod clausula generalis non comprehẽdit maiora expressis.

244 Ad hanc conclusionem affero plures limitationes. Prima sit quod si in citatione adsit clausula generalis, omnesque alios, &c. & factores, & perturbatores cuiuscunque nominis; quia tunc Vniuersitas turbatrix benè citaretur vigore dictę clausulę, vt per *Rot. diuers. decis. 25. par. 3. lib. 3. n. 3*

245 Altera sit, quando commissio esset contra Monialem Abbatissam, omnesque alios, quia si commissa esset causa super re spectante ad Monasterium, tunc comprehenderetur sub dicta clausula etiam Vniuersitas monialiũ, & Monasterium. iuxta not. in *cap. edoceri, de resc.* vt per *Rot. diuers. dec. 248. n. 1. & 2. par. 3. lib. 3.*

246 Postrema sit, quod clausula, omnesque alios. comprehendat Vniuersitatem laicorum, quando in cõmissione esset specificata alia Vniuersitas Religiosorum, nam tunc fieret comprehensio de Vniuersitate laicorum, quæ est minor Vniuersitate Religiosorum: d. *cap. Sedes Apostolica,*

de

de rescr. & ibi not. *Imol. n.* 18. *& Felin. nu.* 5. & fuit dictum in *Syracusana quarta* 16. *Nouembris* 1588. *coram Comitulo*, quæ est registrata post *tract. Posti de manutenendo*, *dec.* 65. *nu.* 4. quod si exprimeretur in commissione Vniuersitas laicorum non censeretur comprehensa in clausula, omnesque alios. Vniuersitas Religiosorum, cùm sit maior: *Felin.* in d. *cap. Sedes*, *nu.* 5. *Rot. in nou. decis.* 8. *de rescr.*

247 Prædictis nonnulla veniūt addenda, & primo. Ad illud, quod supra dictum est, quod vigore dictæ clausulæ generalis non possunt citari plures quàm tres, vel quatuor, iuxta *tex.* in præalleg. *cap. cùm in multis*, *de rescr. in* 6. nisi adderetur clausula etiam si vltra quatuor, vt per *Vestr.* in dict. *cap.* 2. *nu.* 1. *lib.* 4. addo, quod si agendum foret super re indiuidua, vtputà in iudicio familiæ herciscundæ, vel communi diuidundo, & simili; tūc vigore dictę clausulæ possent citari plures etiam vltra quatuor; atque etiam plures citari possunt, quando sunt plures, qui habent ius in re: vt probat *Soc. in tract. de citat. art.* 5. *n.* 63. *q.* 31. *vers.* 2. *quæro.*

248 Addo secundo, quoad possessorem, quod possessor citatus vigore dictæ clausulæ generalis non desinit esse pacificus possessor ad effectum reg. de trien. quando dicta clausula non esset apposita in citatione, licet fuisset apposita in commissione: prout distinguendo declarat *Mandos. regul.* 34. *de annali*, *quæst.* 36. *per tot.*

249 Addo tertio, quoad Iudicem, quod si in commissione adsit facultas citandi Titium, omnesque alios, &c. & Iudex mandat citari dūtaxat Titium omissa in citatione dicta clausula generali; tunc executor non potest citare Meuium, nec alios, cùm non possit excedere fines mandati, & si citaret, nulliter procederet: *l. præterea*, & *l. diligenter*, *ff. mandati*, *cap. cùm dilecta*, *de rescript. Mandos. d. reg.* 34. *quæst.* 36. *nu.* 3.

250 Immò nec Iudex, qui eius facultatē restrinxisset ad vnum citandum, non posset postea illam extendere ad alios citandos. ex alleg. per *Mandos. ibidem nu.* 4.

251 Addo quarto, quoad interesse habentes, quod vigore dictæ clausulæ, omnesque alios,

alios, &c. facultas citandi extenditur ad omnes quomodolibet interesse prætendentes: *Greg. decis.* 124. *nu*.4. Sed illi qui lædi possunt, si sunt certi, debent nominatim, & specificè citari: *cap. fin. de elect. in 6.* ibi *vocationem autem huiusmodi nominatim, vbi est coelectus, vel apparet oppositor, alias generaliter in Ecclesia, in qua electio facta est, vt si qui sint, qui se velint opponere, compareant, assignato peremptorio termino competenti, faciendam esse censemus*. Quando autem persona scitur, vel sciri potest, non valet citatio generalis, seu per edictum: *Felin. in cap. gratum, col. penult. de off. deleg. Mohed. decis.* 8. *in princ. de fide instrum. Cassad. decis. vlt. nu.6. vt lit. pend. Rota in recent. par.* 2. *decis.* 258. *nu.*2.

252 Nominatim fieri dicitur citatio, quando exprimuntur nomina, & cognomina citandorum, vel per alias certas circulocutiones designantur personæ citandorum, vt not. *gloss. in cap. cùm in multis*, in verbo *nomina, de rescr. in 6.* & facit *tex*. in *cap. licet, ex quadam* §. *testes autem, de testibus*, ibi *personas expressis nominibus, vel demonstratione, vel circumlocutione sufficiente designent*.

253 Si autem illi, qui lædi possunt, & interesse habent sint incerti, illos Nuncius non potest eadem citatione citare, qua citat certos; sed debet fieri alia citatio generalis contra quoscunque sua quomodolibet interesse putantes, quæ tùm ratione incertitudinis nõ possit exequi personaliter, nec domi, exequenda est in locis publicis per affixionem Edicti, vel per proclama: vt supra diximus cap. 7. *num.* 352. & talia Edicta in publico proponi, & publicari debent *gloss. in d. cap. fin. de elect. in 6.* in verbo *generaliter*, ibi, *quod est contra illos, qui adhuc fraudem faciunt cõstitutioni faciendo hanc vocationem fieri coram certis amicis*.

254 Quando igitur sunt certi illi, qui habent interesse; tunc antè expressionem nominum, & rerum, non possunt citari, qui sunt certi; & qui lędi possunt. Ideò enim citantur partes, & dantur induciæ, vt quis deliberet, 3. *quæst.* 3. *cap.*4. §. *offeratur*, & notat *gloss.* in *cap. pastoralis, in verbo iurisdictionem, de rescriptis*.

255 Nõ solum autem expressè, & nominatim sunt citandi illi

illi habētes interesse, qui sunt certi; sed & illi, qui de facili possunt certificari: *Alex. cons.* 106. *n.* 14. *lib* 5. *Ruin. cons.* 24. circa princ. *nu.* 3. *vol.* 4. *Felin. in cap.* 2. *post nu.* 8. *vers. & possunt ista, de constit. Dec. in Auth. si quis in aliquo, nu.* 10. *C. de eden. Mandos. de commiss. form.* 4. *de commiss. causa pro credito. vers. in executione citationis*; vbi dicit, quod ampliabat Rota etiamsi locus, in quo citādi degebant, distat per triginta miliaria; quia non posset dici, quod de facili non potuisset haberi notitia citandorum, in vna Burgen. Matrimonij corā Ptolomeo 16. Aprilis 1547.

256 Et propterea vbi plures essent citandi, non excusaretur agens ex eo solo, quod ignorasset alium adesse; nisi probaret inuestigasse, an alij existerent: *Anchar. in cap. final. de elect. lib.* 6. *Alex. cons.* 5. *nu.* 2. *lib.* 2. Et est generaliter verum, quod ignorantia in facto alieno non excusat, vbi quis tenetur inuestigare, seu vbi quis de facili certior fieri potest: *l. regula, §. sed facti ignorantia, ff. de iuris, & facti ignorantia*, ibi *sed facti ignorantia; ita demùm cuique non nocet, si non ei summa neglegentia obijciatur. Quid enim si omnes in Ciuitate sciant, quod ille solus ignorat? Et rectè Labeo diffiniuit scientiam, neque curiosissimi, neque negligentissimi hominis accipiendam: verum eius qui eam rem diligenter inquirendo notam habere possit.*

Et paria sunt scire, vel scire debere: *l. quod te, ff. de reb. cred. & si cert. pet.* ibi *sed etiam si aliqua iusta causa sit, propter quam intelligere deberes te dare oportere.*

257 Sic, vbi sit citandus tutor non sufficit citare vnum, qui credatur esse tutor; sed debet probari fama, quod haberetur pro tutore, iuxta not. in *l. de minore, §. plurium, ff. de quaest.* & non sufficit, quod testes dicant aliquem fuisse habitum, & reputatum pro tali, sed requiritur, quod ipsi viderint ita haberi, & reputari: *Corn. cons.* 87. in fine *lib.* 3. & etiam probandum est, quod talis vti tutor tutelam ipsam administrabat, quia etiam verus tutor nihil potest agere ad praeiudicium pupilli, nisi tutelam gerat, & administret: *l.* 3. *§. sed in eo qui tutore*, & ibi DD. *ff. Iud. solui. Dec. cons.* 479. *nu.* 2.

Et quia lex mandat tutores cita-

citari: Ideò in necessarium antecedens mandat, quod ingens debeat inuestigare quis sit tutor: *tex.* est in *l. hac autem, §. non defendi, ff. quib. ex caus. in poss. eatur*, ibi *hoc autem constare debet, & sic euocandi sunt ad Prætorem tutores pupilli, vt defendant. Si autem non habeant tutores, requirendi cognati sunt, vel affines; & si qui fortè alij sunt, quos verisimile est defensionem pupilli, pupillæuè non ommissuros: vel propter necessitudinem, vel propter charitatem, vel qua alia ratione.*

259 Sic etiam vbi debet citari possessor, antequam alius in possessionem mittatur, debet inuestigari, quis possideat; licet enim persona sit certa, non tamen excluditur quin perquisitio sit facienda: *Bald. in l. fin. C. de edict. Diu. Adr. toll.* ideòque non auditur ille, qui allegat non fecisse citari possessorem, eo quia ignorabat, & quod propterea fecit fieri citationem generalem: *Alex. cons.* 83. *nu.* 9. *lib.* 2. *Crauett. cons.* 225. *nu.* 5. facit *tex.* in *l. meminerint, C. vnde vi*, ibi *conueniendos dominos locorum esse, aut si forte defuerint, eorum actores ad insinuandas sententias, Procuratoresque esse quærendos ne inde iniuriarum nascatur occasio, vnde iura nascuntur.*

260 Qui autem censeantur certi, & qui incerti, vt pro eorum interesse citari debeant, vel citatione speciali, vel generali, dictum est supra *cap.* 7. *nu.* 349. *vers. de citatione; per proclama contra interesse putantes, cum seqq.*

261 Addo quinto, quod vnus, vel plures, qui per delegatum vigore clausulæ, omnesque alios, non potuerunt citari specialiter, tanquam existentes vltra quatuor, & generaliter non fuerunt citati, tanquam certi, qui in generali citatione non comprehenduntur; tamen non citati possunt plures etiam vltra quatuor venire ad causam pro eorum interesse; immò si non venirent, & se non opponerent, scientes causam agi, sibi præiudicarent: iuxta *tex.* cum ibi not. per DD. in *l. sæpè, ff. de re iud. Innoc. in cap. quamuis, & in cap. cùm super, de re iud. Ioan. Andr. in cap cùm in multis, de rescr. in 6. Bisign. decis.* 2. *de rescript.*

262 Immò post decretam citationem vigore commissionis, cum

cum dicta clausula, omnesque alios. potest semper habens interesse venire ad causam; & cōtra actorem absentem procedere per contradictas: ità fuit resolutum in *Rota*, vt per *Achil. decis. vltima de rescript.* Quamuis ipse in fine dicat id resolutum fuisse, licet ipse dubitaret, & potest prosequi, & contra actorem reportare sententiam vigore dictæ clausulæ, licet causa expresse contra eum non esset commissa: *Put. decis. 385. lib. 1.*

Id etiam procedit in gradu appellationis, quando interesse habens non fuit in causa in prima instantia, quia si in commissione causæ appellationis adsit dicta clausula, potest interesse habens venire: *Coccin. decis. 47. nu. 11.*

263 Immò quando tertius vigore dictæ clausulæ, omnesque alios. venit ad causam, non potest actor, quoad illum petere dilationem ad partes; quia debuit venire instructus quoad omnes, ità resolutum fuit, vt per *Achill. decis. 2. de dilat.* quamuis ipse in fine dicat sibi visum fuisse durum.

264 Et quando tertius venit ad causam, stante commissione contra interesse putantes, tunc quoad eum dicitur lis legitime introducta: *Achill. decis. 2. vt lit. pend.*

Et debet admitti in statu, & terminis: *cap. si hi contra quos; vt lit. pend. lib. 6.* ibi *sanè si ad defensionem ipsius litis aliqui, quorum intererit, petierint se admitti: eos in illo statu, in quo ipsam inuenerint, decernimus admittendos.*

265 Quod si interesse habens, sibi vtile non putaret admitti in statu, & terminis, debet potiùs impetrare nouam cōmissionem, vel ad eundem, vel ad alium Iudicem: & sic venire potiùs vigore nouæ cōmissionis, quàm vigore clausulæ generalis: *Cassad. decis. 1. nu. 4. de except.*

266 Antequam enim interesse habens vigore clausulæ, omnesque alios. veniat ad causã; Iudex delegatus cum dicta clausula; habet iurisdictionem habitu, non actu; & ideò cōprehensus sub dicta clausula, antequam citetur, potest rescriptum nouum impetrare, & valet: *cap. pastoralis, §. quoniam.* & ibi *gloss.* in verbo *iurisdictionem, de rescript. Mandos. de commiss. form. 2. de commiss. caus. benef. vers. in executione citationis.*

Addo

267 Addo sexto, & vltimo, quoad *tex.* in *cap. cùm in multis, de rescript. in 6.* quod per clausulam quidam alij. possint soli quatuor conueniri, quorum nomina exprimi debent, in primo citatorio, ne aliàs variationi locus esset; quia loquitur expresse de clausula prædicta apposita in litteris Papæ: ibi *vt per illam generalem clausulam, quidam alij: quæ frequenter in litteris nostris inseritur*: Ideò *gloss.* ibi in verbo *litteris* dicit non habere locum in litteris Episcoporum secundum Hostiensem; verùm quia ratio dicti *tex.* est, vt infinitas euitetur; ideò *Specul. in tit. de citat. §. 1. num. 8. vers. quid si in litteris legati*, tenet idem esse, si hæc clausula apponatur; siue in litteris legati, siue aliorum ordinariorum, propter identitatem rationis, vt fraudibus obuietur. cùm quo transeunt Geminianus, & alij, vt per Franc. in d. *cap. cùm in multis, de rescr. in 6.* & *Bisign. decis. 2. de rescr.* dicit Dominos tenuisse, quod d. *cap. cùm in multis*; non seruatur in commissionibus, quæ fiunt in Palatio Auditoribus, quia commissiones, quæ fiunt in Curia, cùm fiant ratione ordinariæ, & superioris iurisdictionis, quam habet Papa, præsertim super causis deuolutis, vel aliàs tractandis in Curia, non sunt adeò restringendæ, quemadmodum commissiones, quæ fiunt ad partes Iudicibus delegatis, quæ tendunt in diminutionem, & derogationẽ iurisdictionis ordinariæ; sed posteà subiungit in contrarium, quod ne actor possit infinitos vexare, dicta clausula, & quidam alij restringi debet ad solos quatuor, vt in d. *cap. cùm in multis*. Sed si alij vellent non citati venire ad causam, propter eorum interesse, vtique venire possent, vt latiùs in eadem *decis.* add. *Soc. de citat. art. 5. nu. 64. & 65.*

268 Ea autem, quæ dicta sunt de clausula quidam alij; seu & alios quoscunque. procedunt etiam in clausula cum facultate citandi, & inhibendi, quos, quibus, de qua per *Marches. de commiss. appellationis in Romana Curia, par. 1. cap. 5. nu. 146. fol. 210.*

269 Et licet procedant in delegatis, qui citant vigore suæ delegationis cum dicta clausula, non tamen procedunt in ordinarijs, qui iure ordinario ci-

citant, quorum facultas nullo iure restricta est ad certũ numerum citandorum. Sed sola delegatorum facultas est restricta ad quatuor, vt euitetur infinitas, & prouideatur iurisdictioni ordinariæ, vt per rescripta minus lædatur, vt in d. *cap. cùm in multis*, & ibi *gloss.* in verbo *prouidè*.

DE EXPRIMENDO nomine instantis.

270 Vt citatus intelligat ad cuius instantiam citetur, & possit contra eius personam opponere, citatio debet continere nomen, & cognomen instantis: *l. 1. ff. de liber. & posthum.* ibi *nomen, & pronomen, & cognomen eius dicendum est an sufficit, vel vnum ex his? & constat sufficere.* Si per eum possumus esse certi, vt ibidem not. *gloss. final.* nec refert, siue quis suo nomine, aut ea demonstratione, quæ nominis vice fungitur, demonstretur: *l. certum, ff. de reb. cred.* & est etiam *tex.* in *l. quotiens*, *§. si quis nomen hæredis, ff. de hæred. instit.* ibi *si quis nomen hæredis quidem non dixerit; sed indubitabili signo eum demonstrauerit, valet institutio.* Et quando sunt plures instantes, non est necesse singulorum nomina exprimere; sed vno expresso sufficit alios complecti nomine collectiuo litis consortum; qui enim sustinent eandem litem, & quorum eadem est causa defensionis, litis cõsortes appellantur: *toto tit. C. de consort. eiusdem lit. Doct.* in *cap. cùm M. de constit. Rota in recentiss. decis. 11. nu. 2. & 4. par. 2.*

271 Atq; sententia, quando cõcernit fauorem plurium, licet vnus tantum instet; tamen sustinetur quoad omnes; quãdo vnica est causa defensionis; & illius qui institit principaliter interest; iuxta *tex.* in *l. posthumus*, *§. si quis ex his*, vbi *DD. ff. de inoff. testam. Alex. in l. sapè, nu. 31. ff. de re iud. Felin. in cap. quamuis, n. 9. de re iud. Curt. Iun. cons. 247. nu. 16. Rot. post Zacch. de oblig. Camer. decis. 28. num. 10.* Sed quando non esset eadem defensio, tunc decretum factum ad fauorem non nominatorũ in citatione esset nullum, tanquam parte non citata: *Bar. in l. aut qui aliter. ff. quod vi aut clam; Cæsar. de Grass. decis. 5. de sent. & re iud.*

272 Iuxta prædicta dicũt Doctores ex solo nomine probari

identitatem personæ, quando non adsit alius eiusdem nominis. *Bald. cons. 70. lib. 4. Crauett. cons. 269. nu. 3. Caual. decis. 128. nu. 3.*

Aliàs enim identitas personæ probanda esset non solo nomine; sed etiam cognomine: *Bart.* in *l. demonstratio falsa, nu. 14. ff. de condit. & demonstr. Rota in recentiss. par. 1. decis. 681. nu. 5.*

Quod si quis modo vsus fuisset vno cognomine, & modo alio, certificaretur eius persona addendo nomen patriæ, vt de quodam Nicolao, qui modo dicebatur Cornago, modo Cornaro, & modo Corliano Rota censuit constare de idétitate personæ ex adiectione nominis patriæ, nempè de Ciuitate Luceriæ: *Rota in recentiss. par. 1. decis. 617. num. 4.*

Et quando hæc non sufficerent solet addi nomen patris, vel aui, & etiam ætas.

273 Si autem in citatione pro instante poneretur vnus pro alio, tunc error vitiaret, d. *l. quotiens, in princ. ff. de hæred. instit.* ibi *quotiens volens alium hæredem scribere, alium scripserit, in corpore hominis errans, veluti pater meus, patronus meus, placet neque eum esse hæredem, qui scriptus est, quoniam voluntate deficitur, neque eum, quem voluit, quoniam scriptus non est.*

274 Tunc autem error nominis non nocet, quando persona redditur certa per duas, aut plures demonstrationes, ex pluribus adductis per *Rotam in recentiss. decis. 319. n. 1. & per tot. par. 2.*

Et duæ demonstrationes debent esse speciales, non autem generales, vtpotè quod sit hospes, & habitet in tali vico, cùm pluribus possint cõuenire: *Bart. in l. demonstratio, nu. 14. ff. de condit. & demonstr. Corn. consil. 149. num. 4. lib. 3. Crauett. cons. 169. nu. 4. Andr. decis. 61. nu. 9.*

275 Quod si plures eiusdem nominis sint, & ex aliqua circumstantia non posit intelligi potiùs de vno, quàm de alio, citatio remaneret temeraria, & non arctaret: *l. eum quem temerè,* & ibi *gloss.* & *Castren. nu. 1. ff. de Iud.*

276 Sed vlterius in citatione exprimendum est, quo nomine quis instet, an proprio, vel alieno, ad hoc vt citatus contra personam, & ius instan-

stantis possit suas defensiones parare, & exceptiones proponere: iuxta *tex.* in *l.2. ff. de except.*

277 Nam contra quẽlibet instãtem plura opponi possunt; & præcipuè quod sit vel excommunicatus, vel periurus; exceptio enim excommunicationis est dilatoria, & repellit à limine iudicij, in cuius parte qualibet potest opponi: *cap. exceptionem, de except.* ibi *exceptionem excommunicationis in dilatorijs proponẽdis reus scienter omittens, in qualibet parte litis opponere minimè prohibetur; quod est in hac exceptione specialiter obseruandum, ne quicquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur.*

278 Et quod exceptio excõmunicationis possit opponi, etiam coram mero executore, contra agentem pro solutione pensionis: *Rota* resoluit in *Pacen. ensionis 20. Nouembris 1619. corã Cardinali Marcomont. inter impress. post con. Farinac. decis.* 275. *part.* 2. & penès *Marchesi. de cõmiss. par.* 2. *fol.* 437.

279 Quæ excommunicatio ad effectum denegationis audiẽtiæ sufficit, vt probetur per leuiores probationes: *Felin. in cap. prudentiam, nu.* 16. & 17. *de off. deleg. Dec. in cap. dilecti, nu.* 4. *de appellat. Rota coram Buratto, decis.* 446. *n.* 9.

280 Hæc procedunt in actore excommunicato, nam reus originarius, & necessarius etiam excommunicatus, potest se defendere: *cap. intelleximus, de Iud.* & *cap. cùm inter. de except.*

At si reus contempsisset absolutionem, non deberet audiri: *Gemin. in cap.* 1. *n.* 10. *vers.* & *facit, de rescr. in* 6. *Felin. in d. cap. intelleximus, n.* 8. 7. *declarat. Buratt. decis.* 136. *num.* 6. & *num.* 9. dicit quod excommunicatio incursa in vno casu facit, vt denegetur audientia etiam in alia.

281 Immò quando instans esset publicè, & notoriè excõmunicatus, nõ teneretur citatus comparere; & gesta eo absente essent nulla; quia officio Iudicis est repellendus; d. *cap. exceptione*, in fin. *de except.* & de exceptione excommunicationis proponenda, vide *tex.* in *cap.* 1. *de except. in* 6.

282 Periurus etiam non auditur, vt not. in *l. si quis maior, C. de transact. gloss. in cap. paruuli*, in verbo *causa*, 22. *q.* 5.

Rolan. consil. 26. *num.* 28. *lib.* 3. *Andr. decis.* 47. *num.* 1. etiam vbi de sola manutentione in possessione agitur: *Gregor. decis.* 64. *nu.* 1. & 2. & ibi *Adden. num.* 11.

Nunc duo considero, & primo, quemuis proprio nomine, proprioue iure posse instare, vt alius citetur, vel ex persona, iureuè alterius, cuius scilicet est successor, siue vniuersalis, sicut hæres, siue singularis, sicut cessionarius, & similes.

283 Hæres quidem, & defunctus eadem persona reputantur; *Auth. de iureiuran. à mor. praest.* in princip. *l. final. C. de impub. & aliis substitut.* & in hæredem transeunt omnia iura, tàm actiua, quàm passiua: *l. vn. C. vt action. ab hered. & contra hared. incip. l. quotiens, §. hæredes, ff. de hared. instit. Mohedan. decis.* 4. *de appellat.*

284 Et adeundo hæreditatem quasi cōtrahit cum creditoribus hæreditarijs: *§. hæres, instit. de oblig. quæ ex quasi contractu.* & nemo potest agere vti hæres, nisi docto prius quod sit talis: *l. qui liberis, §. hac verba*, & ibi *Bart. ff. de vulg. & pupill. Caputaq. decis.* 64. *num.* 1. *part.* 2. *l. non ignorat*, vbi *Bart. C. qui accus. non poss.* idem *Bart. in l. falsus tutor, ff. quod fals. tut. Menoch. de adipisc. poss. remed.* 3. *num.* 164. *Rot. in recentiss. part.* 1. *decis.* 32. *num.* 2. quod intellige parte opponente: *Gregor. decis.* 88. *num.* 1. vbi declarat non sufficere pro oppositione si fuerit facta protestatio, neminem audiri, nisi docto de legitimo mandato.

285 Si quis autem possidet hæreditatem, tanquam hæres, & agit pro iuribus hæreditarijs, tunc si quis alius comparcat prætendens ad se hęreditatem spectare, debet probare se esse talem: *l.* 1. *§. apud Iulianum, ff. depositi, l. fin. C. de petit. hæred.* & ibi *Castr. & alij.*

286 Sed si nemo alius cōtendat se esse hęredem, idem possessor hęreditatis agens nō tenetur docere de titulo suę possessionis, potest tamen cogi, vt declaret, an possideat pro hærede, an verò pro possessore: *l. cogi, C. de petit. hæred. Caput. decis.* 66. *nu.* 1. *par.* 2.

287 Atque qui prætendit se esse hæredem, non tenetur probare se esse proximiorem, sed satis est si probet se esse ex ijs, qui vocantur ab intestato,

ſtato, quando agitur contra extraneum: *Iaſ. in l. is poteſt, nu.83. ff. de acquir. hæred. Tiraq. de retract. lign. §. 11. gloſ. 1. num.6. Seraphin. deciſ.824. num.5.*

288 Sic etiam Ceſſionarius ſuccedit in locum cedentis, & reputatur eadem perſona cum illo: *cap. denique, 7. q. 1. l. emptor;* vbi *Bald. in 1. not. C. de hæred. vel act. vendit. Surd. conſ.279. num.1.* & poteſt ad ius ceſſum agere, ſicut poterat cedens: *l. 1. C. de nouat. Natt. conſ.367. nu.11. Rot. in recentiſsimis, deciſion.394. numer.1. part.2.* & intrat in locum cedentis: *Surd. conſil.12. numer.16. & deciſion.308. numer. 1. Rota in recentiſsimis, part.2. deciſion.236. numer.1.* & opponens de iure cedentis, non dicitur dare de iure tertij; *Theſaur. deciſion.4. numer.2. Dec. conſil.247. num.8. verſ. necobſtat,* cũ alijs *per Rot. deciſ.186. num.2. poſt conſ. Farinac. par.2.*

289 Et gaudet priuilegio fori eiuſdem cedentis, quãdo ſcilicet priuilegium cohæret rei ceſſæ, ſecus autem ſi perſonæ cedentis iuxta not. per *Bal. in l. per diuerſas, nu.21. C. mand. & in l. cùm eorum, nu.6. verſ. ſed pone, C. de ſentent. Peregrin. de iure Fiſci, capit. 7. titul.1. num.8.*

290 Et eidem obſtant omnes exceptiones, quæ opponi poterant contra cedentem: *cap. is qui in ius;* vbi *Dyn. de reg. iur. in 6. Theſaur. deciſion.221. numer.1. Surd. conſil.333. numer.16. Afflict. deciſ.74. numer.3.* & ibi *Vrſil. num.7. Seraphin. deciſ.512. num.1. Rot. in recentiſsimis, deciſ.609. nu.5. par.2.*

291 Ideòque exceptio cõpenſationis, quæ poterat opponi contra cedentẽ, poteſt etiam opponi contra ceſſionarium: *Greg. deciſ.121. nu.1.* & ibi *Adden. num.6.*

292 Et quãdo ceſſionarius vult agere, non ſufficit, ſi doceat de ceſſione, niſi etiam debitũ cedentis iuſtificet: *l. ſi nomen, ff. de hæred. vel act. vend. l. ſi plus, §. vlt. ff. de euict. Gregor. deciſ.579. nu. 1. & ibi Addent. num.4.*

Secũdo cõſidero plures eſſe, qui alterius nomine inſtare poſſunt aliquem citari, vtputà tutor nomine pupilli. Curator nomine, ſiue minoris, ſiue prodigi, ſiue furioſi, aut mente capti, ſiue hæreditatis iacẽtis, actor ad lites nomine

alios, &c. facultas citandi extenditur ad omnes quomodolibet interesse prætendentes: *Greg. decis.* 124. *nu*.4. Sed illi qui lædi possunt, si sunt certi, debent nominatim, & specificè citari: *cap. fin. de elect. in* 6. ibi *vocationem autem huiusmodi nominatim, vbi est coelectus, vel apparet oppositor, alias generaliter in Ecclesia, in qua electio facta est, vt si qui sint, qui se velint opponere, compareant, assignato peremptorio termino competenti, faciendam esse censemus*. Quando autem persona scitur, vel sciri potest, non valet citatio generalis, seu per edictum: *Felin. in cap. gratum, col. penult. de off. deleg. Mobed. decis*.8. *in princ. de fide instrum. Cassad. decis. vlt. nu*.6. *vt lit. pend. Rota in recent. par*. 2. *decis*.258. *nu*.2.

252 Nominatim fieri dicitur citatio, quando exprimuntur nomina, & cognomina citandorum, vel per alias certas circũlocutiones designantur personæ citandorum, vt not. *gloss. in cap. cùm in multis*, in verbo *nomina, de rescr. in* 6. & facit *tex*. in *cap. licet ex quadam* §. *testes autem, de testibus*, ibi *personas expressis nominibus, vel demonstratione, vel circumlocutione sufficiente designent*.

253 Si autem illi, qui lædi possunt, & interesse habent sint incerti, illos Nuncius non potest eadem citatione citare, qua citat certos; sed debet fieri alia citatio generalis contra quoscunque sua quomodolibet interesse putantes, quæ cùm ratione incertitudinis nõ possit exequi personaliter, nec domi, exequenda est in locis publicis per affixionem Edicti, vel per proclama: vt supra diximus cap.7. *num*.352. & talia Edicta in publico proponi, & publicari debent *gloss. in d. cap. fin. de elect. in* 6. in verbo *generaliter*, ibi, *quod est contra illos, qui adhuc fraudem faciunt cõstitutioni faciendo hanc vocationem fieri coram certis amicis*.

254 Quando igitur sunt certi illi, qui habent interesse; tunc antè expressionem nominum, & rerum, non possunt citari, qui sunt certi; & qui lędi possunt. Ideò enim citantur partes, & dantur induciæ, vt quis deliberet, 3. *quæst*. 3. *cap*.4. §. *offeratur*, & notat *gloss*. in *cap. pastoralis, in verbo iurisdictionem, de rescriptis*.

255 Nõ solum autem expressè, & nominatim sunt citandi illi

illi habẽtes intereſſe, qui ſunt certi; ſed & illi, qui de facili poſſunt certificari: *Alex. conſ. 106. n. 14. lib 5. Ruin. conſ. 24.* circa princ. *nu. 3. vol. 4. Felin. in cap. 2. poſt nu. 8. verſ. & poſſunt iſta, de conſtit. Dec. in Auth. ſi quis in aliquo, nu. 10. C. de eden. Mandoſ. de commiſſ form. 4. de commiſſ. cauſa pro credito. verſ. in executione citationis*; vbi dicit, quod ampliabat Rota etiamſi locus, in quo citãdi degebant, diſtat per triginta miliaria; quia non poſſet dici, quod de facili non potuiſſet haberi notitia citandorum, in vna Burgen. Matrimonij corã Ptolomeo 16. Aprilis 1547.

256 Et propterea vbi plures eſſent citandi, non excuſaretur agens ex eo ſolo, quod ignoraſſet alium adeſſe; niſi probaret inueſtigaſſe, an alij exiſterent: *Anchar. in cap. final. de elect. lib. 6. Alex. conſ. 5. nu. 2. lib. 2.* Et eſt generaliter verum, quod ignorantia in facto alieno non excuſat, vbi quis tenetur inueſtigare, ſeu vbi quis de facili certior fieri poteſt: *l. regula, §. ſed facti ignorantia, ff. de iuris, & facti ignorantia*, ibi *ſed facti ignorantia; ita demùm cuique non nocet, ſi non ei ſumma negligentia obijciatur. Quid enim ſi omnes in Ciuitate ſciant, quod ille ſolus ignorat? Et rectè Labeo diffiniuit ſcientiam, neque curioſiſſimi, neque negligentiſſimi hominis accipiendam: verum eius qui eam rem diligenter inquirendo notam habere poſſit.*

Et paria ſunt ſcire, vel ſcire debere: *l. quod te, ff. de reb. cred. & ſi cert. pet.* ibi *ſed etiam ſi aliqua iuſta cauſa ſit, propter quam intelligere deberes te dare oportere.*

257 Sic, vbi ſit citandus tutor non ſufficit citare vnum, qui credatur eſſe tutor; ſed debet probari fama, quod haberetur pro tutore, iuxta not. in *l. de minore, §. plurium, ff. de quæſt.* & non ſufficit, quod teſtes dicant aliquem fuiſſe habitum, & reputatum pro tali, ſed requiritur, quod ipſi viderint ita haberi, & reputari: *Corn. conſ. 87.* in fine *lib. 3.* & etiam probandum eſt, quod talis vti tutor tutelam ipſam adminiſtrabat, quia etiam verus tutor nihil poteſt agere ad præiudicium pupilli, niſi tutelam gerat, & adminiſtret: *l. 3. §. ſed in eo qui tutore*, & ibi DD. *ff. Iud. ſolui. Dec. conſ. 479. nu. 1.*

Et quia lex mandat tutores cita-

citari: Ideò in necessarium antecedens mandat, quod agens debeat inuestigare quis sit tutor: *tex.* est in *l. hac autem, §. non defendi, ff. quib. ex caus. in poss. eatur*, ibi *hoc autem constare debet, & sic euocandi sunt ad Prætorem tutores pupilli, vt defendant. Si autem non habeant tutores, requirendi cognati sunt, vel affines; & si qui fortè alij sunt, quos verisimile est defensionem pupilli, pupillæuè non ommissuros: vel propter necessitudinem, vel propter charitatem, vel qua alia ratione.*

259 Sic etiam vbi debet citari possessor, antequam alius in possessionem mittatur, debet inuestigari, quis possideat; licet enim persona sit certa, non tamen excluditur quin perquisitio sit facienda: *Bald. in l. fin. C. de edict. Diu. Adr. toll.* ideòque non auditur ille, qui allegat non facisse citari possessorem, eo quia ignorabat, & quod propterea fecit fieri citationem generalem: *Alex. cons.* 83. *nu.* 9. *lib.* 2. *Crauett. cons.* 225. *nu.* 5. facit *tex.* in *l. meminerint, C. vnde vi*, ibi *conueniendos dominos locorum esse; aut si forte defuerint, eorum actores ad insinuandas sententias, Procuratoresque esse quærendos ne inde iniuriarum nascatur occasio, vnde iura nascuntur.*

260 Qui autem censeantur certi, & qui incerti, vt pro eorum interesse citari debeant, vel citatione speciali, vel generali, dictum est supra *cap.* 7. *nu.* 349. *vers. de citatione; per proclama contra interesse putantes, cum seqq.*

261 Addo quinto, quod vnus, vel plures, qui per delegatum vigore clausulæ, omnesque alios, non potuerunt citari specialiter, tanquam existentes vltra quatuor, & generaliter non fuerunt citati, tanquam certi, qui in generali citatione non comprehenduntur; tamen non citati possunt plures etiam vltra quatuor venire ad causam pro eorum interesse; immò si non venirent, & se non opponerent, scientes causam agi, sibi præiudicarent: iuxta *tex.* cum ibi not. per DD. in *l. sæpè, ff. de re iud. Innoc. in cap. quamuis, & in cap. cùm super, de re iud. Ioan. Andr. in cap. cùm in multis, de rescr. in 6. Bisign. decis.* 2. *de rescript.*

262 Immò post decretam citationem vigore commissionis, cum

cum dicta clausula, omnesque alios. potest semper habens interesse venire ad causam; & cōtra actorem absentem procedere per contradictas: ità fuit resolutum in *Rota*, vt per *Achil. decis. vltima de rescript.* Quamuis ipse in fine dicat id resolutum fuisse, licet ipse dubitaret, & potest prosequi, & contra actorem reportare sententiam vigore dictæ clausulæ, licet causa expresse contra eum non esset commissa: *Put. decis. 385. lib. 1.*

Id etiam procedit in gradu appellationis, quando interesse habens non fuit in causa in prima instantia, quia si in commissione causæ appellationis adsit dicta clausula, potest interesse habens venire: *Coccin. decis. 47. nu. 11.*

263 Immò quando tertius vigore dictæ clausulæ, omnesque alios. venit ad causam, non potest actor, quoad illum petere dilationem ad partes; quia debuit venire instructus quoad omnes, ità resolutum fuit, vt per *Achill. decis. 2. de dilat.* quamuis ipse in fine dicat sibi visum fuisse durum.

264 Et quando tertius venit ad causam, stante commissione contra interesse putantes, tunc quoad eum dicitur lis legitimè introducta: *Achill. decis. 2. vt lit. pend.*

Et debet admitti in statu, & terminis: *cap. si hi contra quos; vt lit. pend. lib. 6.* ibi *sanè si ad defensionem ipsius litis aliqui, quorum interesit, petierint se admitti: eos in illo statu, in quo ipsam inuenerint, decernimus admittendos.*

265 Quod si interesse habens, sibi vtile non putaret admitti in statu, & terminis, debet potiùs impetrare nouam cōmissionem, vel ad eundem, vel ad alium Iudicem: & sic venire potiùs vigore nouę cōmissionis, quàm vigore clausulæ generalis: *Cassad. decis. 1. nu. 4. de except.*

266 Antequam enim interesse habens vigore clausulæ, omnesque alios. veniat ad causā; Iudex delegatus cum dicta clausula, habet iurisdictionem habitu, non actu; & ideò cōprehensus sub dicta clausula, antequam citetur, potest rescriptum nouum impetrare, & valet: *cap. pastoralis, §. quoniam.* & ibi *gloss.* in verbo *iurisdictionem, de rescript. Mandos. de commiss. form. 2. de commiss. caus. benef. vers. in executione citationis.*

Addo

267 Addo sexto, & vltimo, quoad *tex.* in *cap. cùm in multis, de rescript. in 6.* quod per clausulam quidam alij. possint soli quatuor conueniri, quorum nomina exprimi debent, in primo citatorio, ne aliàs variationi locus esset; quia loquitur expressè de clausula prædicta apposita in litteris Papæ: ibi *vt per illam generalem clausulam, quidam alij: quæ frequenter in litteris nostris inseritur:* Ideò *gloss.* ibi in verbo *litteris* dicit non habere locum in litteris Episcoporum secundum Hostiensem; verùm quia ratio dicti *tex.* est, vt infinitas euitetur; ideò *Specul. in tit. de citat. §. 1. num. 8. vers. quid si in litteris legati*, tenet idem esse, si hæc clausula apponatur; siue in litteris legati, siue aliorum ordinariorum, propter identitatem rationis, vt fraudibus obuietur. cùm quo transeunt Geminianus, & alij, vt per Franc. in d. *cap. cùm in multis, de rescr. in 6.* & *Bisign. decis. 2. de rescr.* dicit Dominos tenuisse, quod d. *cap. cùm in multis*; non seruatur in commissionibus, quæ fiunt in Palatio Auditoribus, quia commissiones, quæ fiunt in Curia, cùm fiant ratione ordinariæ, & superioris iurisdictionis, quam habet Papa, præsertim super causis deuolutis, vel aliàs tractandis in Curia, non sunt adeò restringendæ, quemadmodum commissiones, quæ fiunt ad partes Iudicibus delegatis, quæ tendunt in diminutionem, & derogationē iurisdictionis ordinariæ; sed posteà subiungit in contrarium, quod ne actor possit infinitos vexare, dicta clausula, & quidam alij restringi debet ad solos quatuor, vt in d. *cap. cùm in multis*. Sed si alij vellent non citati venire ad causam, propter eorum interesse, vtique venire possent, vt latiùs in eadem *decis.* add. *Soc. de citat. art. 5. nu. 64. & 65.*

268 Ea autem, quæ dicta sunt de clausula quidam alij; seu & alios quoscunque. procedunt etiam in clausula cum facultate citandi, & inhibendi, quos, quibus, de qua per *Marches. de commiss. appellationis in Romana Curia, par. 1. cap. 5. nu. 146. fol. 210.*

269 Et licet procedant in delegatis, qui citant vigore suæ delegationis cum dicta clausula, non tamen procedunt in ordinarijs, qui iure ordinario ci-

citant, quorum facultas nullo iure restricta est ad certũ numerum citandorum. Sed sola delegatorum facultas est restricta ad quatuor, vt euitetur infinitas, & prouideatur iurisdictioni ordinariæ, vt per rescripta minus lædatur, vt in d. *cap. cùm in multis*, & ibi *gloss.* in verbo *prouidè*.

DE EXPRIMENDO nomine instantis.

270 Vt citatus intelligat ad cuius instantiam citetur, & possit contra eius personam opponere, citatio debet continere nomen, & cognomen instantis: *l. 1. ff. de liber. & posthum.* ibi *nomen, & pronomen, & cognomen eius dicendum est an sufficit, vel vnum ex his? & constat sufficere.* Si per eum possumus esse certi, vt ibidem not. *gloss. final.* nec refert, siue quis suo nomine, aut ea demonstratione, quæ nominis vice fungitur, demonstretur: *l. certum, ff. de reb. cred.* & est etiam *tex.* in *l. quotiens*, *§. si quis nomen hæredis, ff. de hæred. instit.* ibi *si quis nomen hæredis quidem non dixerit; sed indubitabili signo eum demonstrauerit, valet institutio*. Et quando sunt plures instantes, non est necesse singulorum nomina exprimere; sed vno expresso sufficit alios complecti nomine collectiuo litis consortum; qui enim sustinent eandem litem, & quorum eadem est causa defensionis, litis cõsortes appellantur: *toto tit. C. de consort. eiusdem lit. Doct.* in *cap. cùm M. de constit. Rota in recentiss. decis. 11. nu. 2. & 4. par. 2.*

271 Atq; sententia, quando cõcernit fauorem plurium, licet vnus tantum instet; tamen sustinetur quoad omnes; quãdo vnica est causa defensionis; & illius qui institit principaliter interest; iuxta *tex.* in *l. posthumus*, *§. si quis ex his*, vbi *DD. ff. de inoff. testam. Alex. in l. sæpè, nu. 31. ff. de re iud. Felin. in cap. quamuis, n. 9. de re iud. Curt. Iun. consl. 247. nu. 16. Rot. post Zacch. de oblig. Camer. decis. 28. num. 10.* Sed quando non esset eadem defensio, tunc decretum factum ad fauorem non nominatorũ in citatione esset nullum, tanquam parte non citata: *Bar. in l. aut qui aliter. ff. quod vi aut clam; Cesar. de Grass. decis. 5. de sent. & re iud.*

272 Iuxta prædicta dicũt Doctores ex solo nomine probari iden-

identitatem personæ, quando non adsit alius eiusdem nominis. *Bald. cons. 70. lib. 4. Crauett. cons. 269. nu. 3. Caual. decis. 128. nu. 3.*

Aliàs enim identitas personæ probanda esset non solo nomine; sed etiam cognomine: *Bart.* in *l. demonstratio falsa, nu. 14. ff. de condit. & demonstr. Rota in recentiss. par. 1. decis. 681. nu. 5.*

Quod si quis modo vsus fuisset vno cognomine, & modo alio, certificaretur eius persona addendo nomen patriæ, vt de quodam Nicolao, qui modo dicebatur Cornago, modo Cornaro, & modo Corliano Rota censuit constare de idẽtitate personæ ex adiectione nominis patriæ, nempè de Ciuitate Luceriæ: *Rota in recentiss. par. 1. decis. 617. num. 4.*

Et quando hæc non sufficerent solet addi nomen patris, vel aui, & etiam ætas.

273 Si autem in citatione pro instante poneretur vnus pro alio, tunc error vitiaret, d. *l. quotiens, in princ. ff. de hared. instit.* ibi *quotiens volens alium hæredem scribere, alium scripserit, in corpore hominis errans, veluti pater meus, patronus meus, placet neque eum esse hæredem, qui scriptus est, quoniam voluntate deficitur, neque eum, quem voluit, quoniam scriptus non est.*

274 Tunc autem error nominis nòn nocet, quando persona redditur certa per duas, aut plures demonstrationes, ex pluribus adductis per *Rotam in recentiss. decis. 319. n. 1. & per tot. par. 2.*

Et duæ demonstrationes debent esse speciales, non autem generales, vtpotè quod sit hospes, & habitet in tali vico, cùm pluribus possint cõuenire: *Bart. in l. demonstratio, nu. 14. ff. de condit. & demonstr. Corn. consil. 149. num. 4. lib. 3. Crauett. cons. 169. nu. 4. Andr. decis. 61. nu. 9.*

275 Quod si plures eiusdem nominis sint, & ex aliqua circumstantia non possit intelligi potiùs de vno, quàm de alio, citatio remaneret temeraria, & non arctaret: *l. eum quem temerè*, & ibi *gloss.* & *Castren. nu. 1. ff. de Iud.*

276 Sed vlterius in citatione exprimendum est, quo nomine quis instet, an proprio, vel alieno, ad hoc vt citatus contra personam, & ius instan-

stantis possit suas defensiones parare, & exceptiones proponere: iuxta *tex.* in *l.2. ff. de except.*

277 Nam contra quelibet instãtem plura opponi possunt; & præcipuè quod sit vel excommunicatus, vel periurus; exceptio enim excommunicationis est dilatoria, & repellit à limine iudicij, in cuius parte qualibet potest opponi: *cap. exceptionem, de except.* ibi *exceptionem excommunicationis in dilatorijs proponẽdis reus scienter omittens, in qualibet parte litis opponere minimè prohibetur; quod est in hac exceptione specialiter obseruandum, ne quicquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur.*

278 Et quod exceptio excõmunicationis possit opponi, etiam coram mero executore, contra agentem pro solutione pensionis: *Rota* resoluit in *Pacen. ensionis 20. Nouembris 1619. corã Cardinali Marcomont. inter impress. post con. Farinac. decis.* 275. *part.* 2. & penès *Marches. de cõmiss. par. 2. fol.* 437.

279 Quæ excommunicatio ad effectum denegationis audiẽtiæ sufficit, vt probetur per leuiores probationes: *Felin. in cap. prudentiam, nu.* 16. & 17. *de off. deleg. Dec. in cap. dilecti, nu.4. de appellat. Rota coram Buratto, decis.446. n.9.*

280 Hæc procedunt in actore excommunicato, nam reus originarius, & necessarius etiam excommunicatus, potest se defendere: *cap. intelleximus, de Iud.* & *cap. cùm inter. de except.*

At si reus contempsisset absolutionem, non deberet audiri: *Gemin. in cap.1. n.10.* vers. & *facit, de rescr. in 6. Felin. in d. cap. intelleximus, n.8. 7. declarat. Buratt. decis.136. num.6.* & *num.9.* dicit quod excommunicatio incursa in vno casu facit, vt denegetur audientia etiam in alia.

281 Immò quando instans esset publicè, & notoriè excõmunicatus, nõ teneretur citatus comparere; & gesta eo absente essent nulla; quia officio Iudicis est repellendus; d. *cap. exceptione*, in fin. *de except.* & de exceptione excommunicationis proponenda, vide *tex.* in *cap.1. de except. in 6.*

282 Periurus etiam non auditur, vt not. in *l. si quis maior, C. de transact. gloss. in cap. paruuli*, in verbo *causa*, 22. *q.5.*

H 2 Ro-

ſtato, quãdo agitur contra extraneum: *Iaſ. in l. is poteſt, nu.83. ff. de acquir. hared. Tiraq. de retract. lign. §. 11. gloſ. 1. num.6. Seraphin. deciſ.824. num.5.*

288 Sic etiam Ceſſionarius ſuccedit in locum cedentis, & reputatur eadem perſona cum illo: *cap. denique, 7. q. 1. l. emptor;* vbi *Bald. in 1. not. C. de hared. vel act. vendit. Surd. conſ.279. num.1.* & poteſt ad ius ceſſum agere, ſicut poterat cedens: *l. 1. C. de nouat. Natt. conſ.367. nu.11. Rot. in recentiſsimis, deciſion.394. numer.1. part.2.* & intrat in locum cedentis: *Surd. conſil.12. numer.16. & deciſion.308. numer. 1. Rota in recentiſsimis, part.2. deciſion.236. numer.1.* & opponens de iure cedentis, non dicitur dare de iure tertij; *Theſaur. deciſion.4. numer.2. Dec. conſil.247. num.8. verſ.necobſtat*, cũ alijs per *Rot. deciſ.186. num.2. poſt conſ. Farinac. par.2.*

289 Et gaudet priuilegio fori eiuſdem cedentis, quãdo ſcilicet priuilegium cohæret rei ceſſæ, ſecus autem ſi perſonæ cedentis, iuxta not. per *Bal. in l. per diuerſas, nu.21. C. mand. & in l. cùm eorum, nu.6. verſ. ſed pone, C. de ſentent. Peregrin. de iure Fiſci, capit. 7. titul.1. num.8.*

290 Et eidem obſtant omnes exceptiones, quæ opponi poterant contra cedentem: *cap. is qui in ius*, vbi *Dyn. de reg. iur. in 6. Theſaur. deciſion.221. numer.1. Surd. conſil.333. numer.16. Afflict. deciſ.74. numer.3.* & ibi *Vrſil. num.7. Seraphin. deciſ.512. num.1. Rot. in recentiſsimis, deciſ.609. nu.5. par.2.*

291 Ideòque exceptio cõpenſationis, quæ poterat opponi contra cedentẽ, poteſt etiam opponi contra ceſſionarium: *Greg. deciſ.121. nu.1.* & ibi Adden. *num.6.*

292 Et quãdo ceſſionarius vult agere, non ſufficit, ſi doceat de ceſſione, niſi etiam debitũ cedentis iuſtificet: *l. ſi nomen, ff. de hared. vel act. vend. l. ſi plus, §. vlt. ff. de euict. Gregor. deciſ.579. nu. 1. & ibi Addent. num.4.*

Secũdo cõſidero plures eſſe, qui alterius nomine inſtare poſſunt aliquem citari, vtputà tutor nomine pupilli. Curator nomine, ſiue minoris, ſiue prodigi, ſiue furioſi, aut mente capti, ſiue hæreditatis iacẽtis, actor ad lites nomine

tutoris, & pupilli; Syndicus nomine Vniuersitatis, coniũctus pro coniuncto, & procurator nomine particularium.

293 Qui est in pupillari ætate non potest in iudicio esse sine tutoris auctoritate: *l. 1. C. qui legit personã stan. in iud. habent vel non*, & tutor nihil gerere potest ante inuentarium factum, nisi id quod nec dilationem modicam expectare possit: *l. tutor, qui repertorium, ff. de adminiſtr. tut. vel curat.*

294 Et qui repertorium non confecit, dolo malo fecisse videtur, nisi fortè iustissima causa allegari posset, cur id factum non sit: d. *l. tutor qui repertorium*, vbi *Bart. num.* 18. declarat, quæ sit iustissima causa, & inter alia notat quod Iudex ex causa potest remittere tutori confectionem inuentarij, quando non expediret pupillo quantitatẽ sui patrimonij manifestari, & quod etiam cõsuetudine induci potest, vt per tutorem inuentarium non conficiatur.

295 Tutor autem, quãdo publicè se gerit pro tali, præsumitur adimpleuisse omnia ad quæ tenetur, siue de iure communi, siue municipali: *Soc. conf. 113. vol. 2. Caputaq. decis. 323. nu. 3. par. 3. Rota in recentiss. par. 1. decis. 714. nu. 5.* Maximè in his, quæ concernunt cõmodum pupilli: *Bar. in l. legitimos, in fin. ff. de legit. tut. Bar. in l. fin. in princ. C. de tut. & curat. qui sat. non ded. Greg. decis. 31. nu. 5. & 6.*

296 Qua ratione tutori agenti pro pupillo non potest obijci, quod inuentarium non confecerit: *Bar. in l. tutor, qui repertorium, num. 7. ff. de adminiſtr. tutor. vel curat. Cuman. conf. 15.* & interim potest administrare, & causam agere, licet vti suspectus possit remoueri: *Put. decis. 287. nu. 2. lib. 1. Rot. in recent. decis. 330. nu. 3. par. 2.*

297 Quando verò agitur contra tutorem, debet actor instare, vt exhibeatur tutela, & inuentarium; aliàs processus esset nullus: *Caput. decis. 324. par. 3. Greg. decis. 530. num. 4. & 5.* Intellige, quod esset nullus in præiudicium alterius, nõ autem ipsius pupilli, iuxta *tex. in l. non eo minus, C. de procur.* & in *l. si tutor, C. in quib. caus. restit. in integr. est necess.* cum ibi not. per *gloss.* & *Doct. Greg. decis. 574. nu. 2.*

298 Quod autem quis publicè gesserit se pro tutore probari po-

potest per testes deponentes de publica voce, & fama: *Socin. consil.153.num.3. lib.2. Boer. decis.124. Rot. in recentiss. decis.413.numer.9. in fin. par.2.*

299 Tutela verò ex communi reputatione, seu ex publica voce, & fama non probatur, nisi tutela exhibeatur, vel adducantur alia adminicula: ex adduct. per *Mohed. decis.6. de praescript.*

300 Vnus solus ex pluribus tutoribus datis, non insolidum, sed coniunctim, non potest agere; immò tali casu, vno mortuo, expirat tutela, quoad omnes: *cap. fin. S. fin. de testam. lib.6.* vbi not. *gloss. & Doct. Rot. in recentiss. decis. 671. nu.5. par.2.*

301 Si quis verò cùm esset tutor instetisset aliquem citari, licet in citatione scriptum fuisset, instante N. Curatore, valeret nihilominus citatio, quia tutor datur principaliter personae, & in consequentiam rebus: *S. est autem tutela. instit. de tutel.* Curator autem datur solis rebus, *S. 1. instit. de curat.*

302 Ergo qui ratione personę tutor dicitur, potest etiam ratione bonorum dici curator. Et quod est plus, potest trahi ad minus. E conuerso autem curator non potest dici tutor, cùm curator non detur personae; sed rebus, & quod minus est, non potest trahi ad id, quod est plus, vt declarat *Bart. in l. tutores 40. S. Curator, vers. sed ibi benè, ff. de administrat. tut. Rot. diuers. decis.89. nu.14. par.2.* & in *recentiss. decis.588. num.8. par.2.* Sed nihilominus talis error non vitiaret citationem, quando aliundè cōstaret eum esse tutorem, & habere ius agendi contra citatum; non enim vitiat error nominis, quando per alias demonstrationes persona certificatur: *l. si quis in fundi vocabulo*, vbi *Bart. nu.1. ff. de legat. 1. l. si in nomine, C. de testam. S. si quis in nomine. instit. de legat. Rota in recentiss. part.2. decis.319. num.1.*

Sicut autem pupillus tutore auctore, & agere, & conueniri potest; ita & adultus curatore consentiente litem, & intendere, & excipere debet: *l.2. C. qui legit, pers. stan. in Iudic. non hab.*

303 Inuiti siquidem adolescētes curatores non accipiunt, praeterquam in litem; curator

enim, etiam ad certam causam dari potest: datur autẽ à Magistratibus, & à testatore datus debet Iudicis decreto confirmari: *§.1. instit. de curat. l.1. in fin. ff. de confirmat. curat.*

304 Et ideò citatio ad eius instantiam emanata non valeret sine decreto, vel curæ, vel cõfirmationis: *Mantic. dec. 119. num. 3.*

305 Quod si quis datus esset Curator specialis alicui habẽti tutorem, vel curatorem generalem falsa causa expressa, nempè, quod nõ haberet Curatorem; citatio ad eius instantiam obtenta, non valeret; nam curatorem habenti, neque adiungi potest, nisi causa cognita, nec in locum eius alium substitui, nisi anteriore remoto ambigui iuris non est: *l. Curatorem, C. qui dar. tutor. vel curatore poss.*

306 Et si quoquo modo in petitione tutoris, vel curatoris, erratum fuerit in facti causa, datio non valet: *l. tutor si petitus fuerit, ff. de tutor. & curatore, dat. ab his. Mantic. dicta decision. 119. numer. 1. & 2.* hæc autem procedunt in curatore ad negocia, sed non in curatore ad lites, qui potest dari minori, etiam si curatorem habeat: *Bartol. in l. si quis cùm procuratorio, §. fin. ff. de procurat.* vbi dicit etiam, quod sicut procurator potest reuocari ante litem contestatam; ita & curator: idem dicit *Put. decis. 119. lib. 3.*

307 Curator potest etiam instare pro citatione nomine prodigi, siue furiosi, siue mente capti, siue muti, cuius generis personæ, licet maiores viginti quinque annis sint, tamen in curatione sunt agnatorum, vel illis deficientibus à Iudice dantur curatores, *§. furiosi quoque, instit. de curator.* præuia tamen plenissima causæ cognitione: *l. obseruare, ff. de curator. Furios. & aliis, &c.* vbi dicitur, *obseruare Prætorem oportebit, ne cui temerè, citra causæ cognitionem plenissimam, curatorem det; quoniam plerique, vel furorem, vel dementiam fingunt, quò magis curatore accepto onera ciuilia detractent*; & pro hoc requirendi sunt cognati, attinentes, vicini, & amici ad effectum explorandi ab eis veritatem, ne ex fictione, & causa decipiendi alios, talis deputatio curatoris peteretur;

Ca-

Castren. consil. 248. *numer.* 4. *libro* 2. *Caual. decision.* 274. *num.* 4.

308 Et ideò consequentia necessaria non esset, habebat curatorem vti furiosus; ergò erat furiosus; ergò eius testamentum non valet: iuxta *l. furiosum, C. qui testam. facere poss.* Nam vltrà quod potest esse, quod fuerit datus sine causæ cognitione, vel datio fuerit procurata, sentiunt Doctores, quod datio curatoris ad effectum inualiditatis testamenti non concludat dementiam: *Ioan. Fab. in* §. *prætereà*; & ibidem *Aret. instit. quib. non est permiss. fac. testamentum*, cum alijs per *Duran. decision.* 178. *numer.* 30.

309 Addo rationem, quia curator datus furioso habenti dilucida interualla semper remanet curator, etiam pro tempore, quo cessat furor, licet tunc non possit administrare; *l. cum alijs, C. de curat. fur.* & datur etiam curator fatuo, qui mente totaliter captus non est: *l.* 2. *ff. de postulat.*

310 Sic etiam non est consequentia necessaria habet curatorem, ergò est minor, & ideò ad effectum restitutionis in integrum sola deputatio curatoris non probat minorem ætatem in præiudiciũ tertij; *Alexander consil.* 27. *lib.* 1. *Coccin. decision.* 219. *numer.* 4.

311 Vlterius pupillis etiam datur curator ad litem, quando vel tutorem non habent, vel non idoneum; §. *interdum autem instit. de curat. Caual. decis.* 207. *nu.* 2.

312 Prout etiam datur filio, habenti patrem bannitum, ad instar eius, cuius pater est apud hostes; *l. muto*, §. *ei cuius, ff. de tutelis*, ibi *curator substantia dari debet ne in medio pereat*: *Rota diuers. decision.* 394. *nu.* 5. *par.* 5.

313 Nomine etiam hæreditatis iacentis curator instat aliquem citari, qui quando datur ad instantiam creditorum, vt ipse nomine hæreditatis possit conueniri, & eo citato possit fieri executio contra bona hęreditaria; iuxta notat. per *Bartol. in l. si bona*, in fine, *C. de bon. auctor. Iudic. possid. Dec. consil.* 400. *columna* 3. *Cacher. decisione* 33. *numero* 21. *Rota diuersor. decisione* 520. *numero* 18. *parte* 1. non potest intentare, nisi actio-

actiones tempore perituras: *Angel.conf.193. Soc.conf.234. nu.4. lib.2.* Secùs tamen est, quando Iudex ei maiorem auctoritatem tribuisset, vel eum dedisset ad instantiam creditorum: *Angel. dict. consil.193. num.2. Rota diuers. decis.42. nu.4. par.1.*

314 Iacente autem hæreditate, nec tempora, nec instantiæ currunt, donec detur illi curator; nec potest esse iudicium, nec processus: vt not. *Angel. Alex. & Imol. in l. ad idem, ff. de verbor. oblig. Alex. in l.4. §. prætor ait, col.5. ff. de damn. infect. Mohed. decis.8. nu.1. de appell.*

315 Actor ad lites instat etiam pro citatione nomine alieno, videlicet pupilli, vel minoris; nam vt dicitur in *l. neque tutores, C. de procur. neque tutores, neque curatores ex sua persona in rem pupilli, vel adolescentis procuratorem facere possunt: sed actorem constituere debent:* vbi *gloss.* in verbo *debent*; ponit differentiam inter actorem, & procuratorem; quia procurator ordinatur tãtum à Domino, etiam sine Iudice, & ad vnam causam tantum. Actor autem à non Domino, & non sine Iudice, & non nisi ad omnes causas.

316 Pupillus autem, & minor, quia sunt domini, possunt cum auctoritate tutoris, vel curatoris procuratorem cõstituere: d. *l. neque tutores, §. pupillus, C. de procur.*

317 Immò idem tutor, & curator post litem à se contestatam, tanquam Dominus effectus, possunt constituere procuratorem, ad exemplum procuratoris, qui, cùm litem fuerit contestatus, potest substituere: d. *l. neque tutores, §. ipsi etiam tutores, C. de procur. gloss. in l. nec Ciuitatis, ff. de procur. Put. decis.220. lib.2.* & quod Actor ad futuras causas à tutore deputatus possit quoque appellationis causam prosequi: vide *Put. lib.1. decis.288.* Sed quod de iure Canonico sit sublata differentia inter actorem, & procuratorem, censuit Rota apud *Put. decis.133. lib.2.* & apud *Seraphin. decis.415. nu.4.* & in *recentiss. par.2. decis.330. num.1.*

318 Nomine autem Vniuersitatis potest instare pro citatione Actor, seu Sindicus: *l.1. §. penult. ff. quod cuiusque Vniuersitatis nomine,* ibi *proprium est ad exẽplum Reipublicæ habere res communes, archam com-*

cõmunem, & Actorem, siue Syndicum, per quem, tanquam in Republica, quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, & fiat. vbi *gloss.* in verbo *Syndicum*, notat differentiam inter Syndicũ Oeconomũ, & Actorem; quia Actor constituitur etiam ab vno, at Syndicus à qualibet Vniuersitate; Oeconomus autem ab Episcopo, & in rebus ecclesiasticis.

319 Hinc notat ibidem *Bart.* Quod si Communitas dicit constituere N. Procuratorem, cùm deberet dicere Actorẽ, seu Syndicum, non vitiatur constitutio: nam licet erratum sit in nomine contractus, si tamen verba de se cõtractum important, talis error non vitiat; & ideò hæc nomina confunduntur, & exponitur vnum pro alio prout oportet.

320 Et iure canonico expressè cautum habemus, quod licet Episcopus constituisset N. & N. Vicarios suos, & procuratores generales, non obstante, quod non constituisset eos Actores, seu Syndicos; ipsi tamẽ possunt pro Episcopo, & defensione bonorum Episcopatus agere, vel conueniri, quando constat ex tenore instrumenti eos constitutos ad agendum, vel defendendum: *cap. petitio vestra, de procur.* ibi *Nos igitur, ex tenore ipsius instrumenti liquido cognoscentes, quod intentio fuerit ipsius Episcopi dare vobis agendi, & respondendi pro ipso liberam potestatem; exceptionem huiusmodi penitùs reprobamus:* vbi *gloss.* in verbo *intentio* notat, quod quando verba generalia, siue dubia ponuntur in huiusmodi procurationis instrumentis, recurrendum est ad intentionem constituentis.

321 Si autem de constitutione Actoris, vel Syndici, seu de decreto dubitetur, debet Actor cauere de rato; *l. item eorum, §. actor Vniuersitatis, ff. quod cuiusque Vniuersitatis nom.* vbi *gloss.* in verbo *dubitetur*, notat idem esse in tutore, vt debeat satisdare de rato, si apparuerit eum non esse tutorem.

322 Coniunctus etiam nomine coniuncti potest instare pro citatione: *tex* est in *l. sed & hæ personæ, ff. de procur.* ibi *sed hæ personæ procuratorem debebunt defendere, quibus sine mandato agere licet, vtputà liberi, licet sint in potestate; item parentes, & fratres, & affines, &*

& liberii; Et de filio, quod possit patrem defendere, etiam si legitimæ ætatis non sit: *tex.* est in *l. exigendi, C. de procur.* ibi *sanè, quod nec dum legitimam ætatem idem filius tuus compleuerat, ob hoc quidem depellere à procuratione eum Iudex non iniustè potuit; sed multò iustius fuit, vel huiusmodi defensorem audire, quàm te absentem, quasi contumacem, & indefensum graui condemnatione afficere.*

323 Et quod transuersales, vsque ad quartum gradum veniant appellatione coniunctorum, quoad hunc effectum agendi not. Doct. in d. *l. exigẽdi: Alex. conf. 4. nu. 3. lib. 2.*

324 Licet autem cõiunctus agere possit pro coniuncto, non tamẽ potest exigere, seu agere, vt sibi soluatur sine mandato: *l. 3. ff. solut. matrim. Alex. d. nu. 3. post med.*

325 Neque etiam coniuncta persona potest in iudicio cõparere, dum alius est procurator constitutus, nisi ille fuisset negligens: *Greg. decis. 531. nu. 2.* & ibi *Adden. nu. 9.* & *decis. 548. nu. 2.*

326 Id tamen facere nequit, per quod coniunctus incideret in delictum: *Caputaq. decis. 347. numer. 2. par. 2.*

327 Et quãdo coniuncta persona comparuit, & litem fuit contestata potest alium procuratorem constituere, sed ante litem contestatam non potest cõstituere: *Ias. in l. quod quis, 2. fallentia, C. de procur. Dec. in cap. intelleximus, n. 64. de Iud. Coccin. decis. 62. nu. 1.*

328 Et maritus potest agere pro vxore sine mandato, dũmodò caueat de rato, & non sit cõstitutus specialiter procurator in vna causa; quia in alijs censetur prohibitus: *l. maritus, C. de procur.*

329 Hic tandem noto, quod in beneficialibus non admittitur coniunctus pro coniuncto: neque etiam in prophanis, in quibus requiritur speciale mandatum: vt per *Rot. in nou. decis. 6. de procur. iuncta addit.*

330 Procurator denique instat particulari nomine alieno pro citatione; vt enim dicitur in *l. 1. §. final. ff. de procur. Vsus procuratoris per quàm necessarius est, vt qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel non possunt, saltem per alios possint, vel agere, vel conueniri, §. 1. instit. de ijs, per quos agere possumus,* ibi *sed quia hoc non mini-*

minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine neque agere, neque excipere actionem licebat: cæperunt homines per procuratores litigare, nam & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio; itemque alia multa causæ sæpè hominibus impedimēto sunt, quominus rem suam exequi possint.

331 Qui quidem procurator repræsentat personam Domini: *Mohed. decis. 7. in fine, de Iud.* & potest facere, quod Dominus in litem faceret: *l. sed & hæ personæ, §. defendere, ff. de procur.* Et sicut Dominus non potest in sua causa examinari vti testis, ita nec procurator potest induci pro teste in causa, quam tractat. Secùs autem quando causa fuit finita, vt per *gloss.* & *Bart. in l. deferre, nu. 2. ff. de iure Fisci, l. fin.* & ibi *gloss. & Doct. ff. de testibus, Put. decis. 294. nu. 3. lib. 2.*

332 Hic opportunè considero quinque exceptiones, quæ præcipuè possunt procuratori obijci. Prima est, tu non es procurator; secunda, tu procurator esse non potes; tertia, aduersarius te cōstituere non potuit procuratorem; quarta aduersarius te procuratorem reuocauit; quinta & vltima, mādatum tuum per mortem constituentis expirauit.

Et hoc deduco ex *l. in exceptionibus, §. sed etsi procuratoria, ff. de probat.* ibi *eo quod non licuisset aduersario dare, vel fieri procuratorem;* vel quod procurator non sit: addo *gloss.* in *l. exceptiones*, in verbo *procuratoria, ff. de except.*

333 Prima exceptio, tu non es procurator, non indiget probatione; quia mandatum est quid facti, & non præsumitur: *cap. cùm in iure peritus, de officio deleg.* latè *Cagnol.* in *l. velle, num. 12. ff. de reg. iur. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 33. nu. 1. & lib. 6. præsumpt. 24. nu. 5.*

334 Secunda exceptio, tu nō potes esse procurator, fundatur in eo, quod plures sunt qualitates, quę aliquem à procuratoris officio repellunt, quarum aliæ probatione indigent, aliæ verò non. exempli gratia, excommunicatus non potest constitui procurator: tamen de excommunicatione debet constare: *cap. post cessionem, de probat.* & ibi *Felin.* & alij. minor etiā vigintiquinque annis in iudicio pro alijs non potest esse procurator,

mi-

minor tamen ætas debet probari: *cap. qui generaliter, §.fin. de procur. lib.6. l. minor, ff. eodem, l. exigendi, C. eodem.*

Mulier autem non poteſt eſſe procuratrix, ſed hæc qualitas tanquam patens non eſt probanda: *l. aliena, C. de procurat.*

Sic etiam Monachus non poteſt eſſe procurator extra res ſui Monaſterij, niſi concurrat licentia ſui ſuperioris: *Clem. religioſus, de procur. Rota in recentiſs. deciſ.445. nu.1. par.2.*

335 Tertia exceptio, nequiuit aduerſarius te cõſtituere procuratorem, fundatur in regulis iuris, quibus quis prohibetur conſtituere procuratorem; & ideò regulariter non indiget probatione; exempli gratia in criminalibus procurator non conſtituitur, nec admittitur: *cap. veniens, de accuſat. l. penult. §. ad crimen, C. de public. Iud. l. ſeruum quoque, §. publicè, ff. de procurat. l. accuſatore, §. ad crimen, ff. de publ. Iud.* & in ciuilibus tutor non poteſt conſtituere procuratorem ſine decreto Iudicis: *l. neque tutor, C. de procurat. §. final. Inſtit. de curator. Creſcent. deciſ.8. de re iud. Gregor. deciſion. 373. num.1.*

Mulier non poteſt conſtituere procuratorem ſine ſolemnitatibus, ex adductis per *Rot. in recentiſs. deciſ.18. nu.4. & 5. par.2.*

Sic etiam procurator non habens facultatem ſubſtituẽdi, non poteſt alium ante litem cõteſtatam ſubſtituere: *l. quod quis, C. de procur. Rot. in nou. deciſ.5. iuncta addit. de procur.*

336 Prout nec procurator ſubſtituere poteſt, antequam conſtet illum acceptaſſe mandatum: *Clem.1. de procur. Rota in nou. deciſ.7. eodem titul. de procur.*

337 Quarta exceptio, Dominus te procuratorem reuocauit, fundatur in eo, quod procurator ſolo conſenſu datur, & ſolo conſenſu reuocatur: *l. ſi procuratorem, ff. de procur. Clem.1. eodem tit.* & nedum expreſſo; ſed etiam tacito: *l. qui patitur, ff. mandati. Caputaq. deciſ.187. num.2. par.2.* & etiam non obſtante iuramento de non reuocando: *gloſſ. in cap. fin. de procur. in 6.* & not. Doct. in *l. in bonæ fidei, ff. de eo quod certo loco. M obed. deciſ.28. num.1. de renunciat.* Incidit tamen in periurium, & debet ei imponi penitentia: vt

vt not. prædicta *gloss.* in d. *cap. final. de procur. in 6.* in verbo *reuocatus*.

338 Hæc tamen exceptio indiget probatione: debet enim doceri de expressa reuocatione per scripturam fidem facientem, vel saltem de tacita: vtpotè, quod Dominus alium constituit; nam per constitutionem alterius procuratoris censetur reuocatus primus; etiamsi secundus procurator non acceptauerit: *l. si quis cum procuratorio, §. fin. ff. de procur.* & ibi *Bald. nu. 9. & Angel.* circa princ. *Greg. decis. 548. n. 4. & 7. & ibi Add. in fin.* vel etiam, quod principalis comparuisset, absque clausula citra reuocationem procuratoris; quia, per comparitionem principalis absque dicta clausula reuocatus censetur regulariter procurator anteà constitutus: *cap. penult. de procur. in 6.*

339 Quinta exceptio, mandatum tuum expirauit morte constituentis, fundatur in eo, quod mors omnia soluit: *l. 1. C. si reus, vel accus. §. deinceps. Auth. de nupt.* Et ideò mādatū re integra Domini morte finitur: *l. mandatum, C. mandati*; prout etiam finitur morte mandatarij, *§. item si adhuc instit. de mandato*. Si tamen procurator, antequam sciret mortem, aliquid fecisset, sustineretur, ne alioqui iusta ignorantia ei damnum afferret: d. *§. item si adhuc instit. de mandato, l. inter causas in princ. ff. mandat.*

Modo aduertendū est quālibet ex prædictis exceptionibus posse pluribus modis excludi, nempè per instrumentum mandati procuræ, per rogitum Notarij actuarij, per Epistolam, per promissionem de rato, & per præsumptiones, seu coniecturas, & per approbationem partis, & per testes; de quibus nonnulla veniunt dicenda.

340 Si procurator instans aliquem citari habeat instrumētum mandati procuræ, si pars non opponat, potest ad vlteriora procedere, & illud quādocunque producere, etiam post sententiam: *Rota in antiq. decis. 19. de procur. Put. decis. 283. nu. 8. lib. 2. Rot. in recentiss. decis. 305. nu. 4. par. 1.* Et productio mandati facta in causa appellationis cōualidat gesta in prima instantia, quādo mandatum erat factum ante primam sententiam; secus

cus si post sententiam; quia tunc ratificari non possunt gesta falsi procuratoris in præiudicium partis: *Rot. in antiq. decis.1. de procur. Crauett. consil.108. nu.1.* at vbi de mandato ad lites non fuit oppositum, non potest amplius dari de illius defectu post latam sententiam. *Mohed. decis. 1. de procur. Rota in recentiss. par. 2. decis.195. nu.5.* Et semper, & quandocunque potest opponi de defectu mandati, & semper produci potest mandatum etiam post tres conformes: *Bal. in cons.122. in 3. vol. Dec. in cap. quoniam contra, col. penult. vers. in secundo, de probat. Achil. decis.6. nu.2. de procurat.*

341 Sed quãdo opponitur de mandato, tunc debet de eo doceri; *Crauett. vbi supra, & Gabr. cons.25. nu.23. lib.2. Rota in recentiss. decis.725. nu.4. par.1. Coccin. decis.74. num.3.* & stante oppositione facta, potest ante sententiam latam produci, non autem post. *Put. decis.383. nu.11. lib.2.*

342 Aduerte tamen, quia ad hoc, vt sententia, & acta sint nulla, pars debet protestari, neminem exaduerso comparentem audiri, nisi docto de legitimo mandato, ita quod per subsequentem ratificationem acta validari non possint: quæ tamen protestatio in singulis comparitionibus debet repeti, vel appellari ab vlteriori processu: iuxta ea, quæ latiùs de hac protestatione diximus supra: *cap. 6. nu.141. vsque 146.*

343 Adde quod stante protestatione, & repetitione, acta facta remanent nulla; & licet mandatum produceretur tẽpore citationis ad sentẽtiam; tamen processus anteà factus remaneret nullus ex defectu mandati: *Mantic. decis. 328. num.3.*

344 Sin autem procurator pupilli, vel minoris, parte opponente neglexisset exhibere suum mandatum; non tamen sententia pro eo lata esset annullanda quandoquidem aduersus negligentiam procuratoris datur restitutio in integrum pupillo, vel minori, vt fuit resolutum in causa *Romana artis furnariæ 7. Febr. 1574. coram Robusterio*, & in *Romana expensarum culturæ, 29. Aprilis 1591. coram Cardinali Pamphilio Seniore, l. non eo minus, C. de procur. Crescent. decis.8. nu.8. de re iud.*

Et

345 Et ficut exceptio, tu nõ es procurator excluditur exhibendo instrumentum mandati, ità etiam excluditur exhibendo litteras missiuas, seù epistolam sui principalis; constituitur enim procurator, etiam per epistolam: *l. 1. ff. de procur. l. 1. ff. mandati: Caput. decis. 185. num. 1. & 187. per tot. par. 2. Mant. decis. 100. nu. 1.* vbi subiungit posse etiam per litteras declarari mandatum, contra quos debeat censeri constitutus procurator.

346 Et excluditur pariter prędicta exceptio per rogitum Notarij actuarij, quando quis scilicet apud acta procuratorem constituisset, quæ constitutio facta per partem coram solo Notario dicitur esse apud acta, non autem de actis, & dicitur extraiudicialis, & eget testibus, secùs si coram Iudice: *Lap. alleg.* 81. *Dec. in cap. quoniam contra, nu.* 19. *de prob. Achil. dec.* 1. *de fid. instr. nu.* 2. qui sub *nu.* 7. subiungit, quod si Notarius omitteret illã ponere in actis, seù in processu, illam retinendo in solo manuali, non posset parti nocere ad effectũ regulę de triennali, vt scilicet beneficiũ per comparitionem eius procuratoris non fuisset litigiosum.

347 Non tamen quis doceret sufficienter de suo mãdato, allegando illud fuisse, vel productum, vel rogatum in alio officio, & coram alio Notario; quia parte opponente de mandato debet illud exhibere vbi causa agitur, aliàs iudicium remaneret nullum ex defectu mandati: *Felin. in cap. quoniam contra, num.* 39. *de probation.* & censuit *Rota in Romana Census*, 4. *Decembris* 1595. *coram Cardinali Pamphilio*, impressa post *Zacch. de oblig. Camer. decis.* 136. *per tot.*

348 Et si sit rogatum in eodem officio, & coram eodem Notario, in alia tamen causa, & inter alias personas, debet in causa, quæ agitur, repeti: *Caputaq. decis.* 99 *par.* 2. & confirmauit *Rota in Romana fideiussionis de Repræsentando*, 17. *Maij coram Corduba*, quæ est *decis.* 44. *post Zacch. de oblig. Camer.*

349 Per promissionem etiam de rato excluditur prædicta exceptio, tu non es procurator; & ideò quando assertus procurator fuit admissus per Iudicem cum promissione de rato, potest citare, & citatus debet comparere, & cita-

I tio-

tioni obtemperare: vt notant *Bar. Bal.* & alij in *l. licet, C. de procurat. Put. decis.* 142. *lib.* 3. *Achil. decision.* 27. *de appellat.* dummodò ratificetur ante sententiam, aliàs causa non diceretur legitimè deuoluta: *Caput. decis.* 254. *nu.* 2. *part.* 1. *Put. decis.* 383. *num.* 1. *lib.* 3. Et quod non secuta ratificatione citatus sit absoluendus ab obseruatione Iudicij, & qui sine mandato instetit pro citatione sit condemnandus in expensis: dixit *Rota apud. Bisignet. in antiq. decis.* 12. *de procurat.* & procuratori asserto, cum promissione docendi de mandato intra duos menses, Rota concedit citationes cum inhibitione vigore commissionis, de qua obseruantia testantur: *Greg. decis.* 141. *n.* 1. & ibi *Adden. num.* 3. *Coccin. decis.* 431. *nu.* 6.

350 Et quando sine mandato admittatur quis pro defensione Ecclesiæ negligente Capitulo; dicit *Felin. in cap. cùm olim, nu.* 2. *de testibus: Rota in recentiss. decis.* 36. *nu.* 3. *par.* 2. & quando agitur pro defensione Ecclesiæ, sufficit si procurator habeat mandatum ab vno ex Beneficiatis: *Abb. in cap. cùm olim, num.* 1. in fine *vers. item ex prædictis, de testibus. Coccin. decis.* 61. *nu.* 4.

351 Per præsumptiones pariter, & coniecturas excluditur prædicta exceptio, tu non es procurator: Nam quando de scriptura mandati doceri non potest, ex pluribus coniecturis mandatũ præsumitur: *Dec. cons.* 36. *nu.* 8. *Rota diuers. decis.* 187. *nu.* 1. *par.* 1. *& dec.* 32. *nu.* 2. *par.* 2. *& in recentiss. decis.* 725. *num.* 4. *par.* 1. *Gregor. decis.* 44. *nu.* 1.

Plures autem coniecturæ considerantur, prima ex iurium productione; secunda, ex impensa in lite facta; tertia, ex scientia, & patientia D. scientis, & patientis quemquam suo nomine causam agere; quarta, ex assertione Notarij asserentis mandatũ fuisse productum; quinta, ex assertione eiusdem procuratoris, cum adminiculis tamen; sexta ex approbatione partis aduersæ; septima, ex lapsu temporis; octaua & vltima, ex depositionibus testium.

352 Ex traditione iurium ad causam facientium præsumitur datum mandatum, & ex eorum productione censetur per producentem acceptatũ, ad validandum acta per eum facta:

facta: *Bart. in l. vulgo, in fin. ff. de adminiſtr. tut. Iaſ. in l. 1. ſub nu. 12. verſ. item vltra, C. de procur. Caſſad. deciſ. 3. ſub nu. 3. verſ. & ſi apud aliquem, de procur. Caputaq. deciſ. 185. num. 3. part. 2. Put. deciſ. 358. lib. 1. & 214. lib. 2. Greg. deciſ.* 86. *num. 2. & deciſ.* 176. *nu.* 8. *Rota in recentiſs. deciſ. 72. nu. 4. part.* 1. quando ſcilicet de ſcriptura doceri non poteſt: *Rota diuerſ. part. 5. deciſ.* 140. *nu.* 13. præſertim ſi doceatur principalem ſciuiſſe: *Seraphin. deciſ.* 1326. *nu.* 2.

Vt autem ex traditione iurium inferri poſſit ad mandatum, neceſſe eſt, quod non poſſit conſiderari alia cauſa, propter quam iura penès eum reperta ſint. Et ideò ſi reperiantur penès domeſticam perſonam, non præſumitur mandatum; quia potuit ſubrepſiſſe Domino: *Caput. deciſ.* 187. *num. 6. part. 2. Alciat. de præſump. regul. 1. præſumpt. 33. nu. 6. Addent. ad Greg. deciſ. 44. num.* 10.

Si verò reperiantur penès perſonam ſolitam agere cauſas, quæ eas produxiſſet, benè preſumitur mandatũ etiam ad præiudicium Domini, qui iura illi conſignauit, vel conſignari fecit: *gloſſ. in l. fin. C. de pact. conuent.* in verbo *ratibabitione*, ibi *vel verius tacitè fuit hic mandatum, eo ipſo quod cautiones viro erant traditæ*, ex qua *gloſſ.* not. ibi *Bald. num.* 1. quod traditio inſtrumentorũ includit tacitum mandatum de agendo, adde *Vant. de nullit. tit. quib. mod. ſententia nullit. reparari, n. 96. & Menoch. de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 33. nu.* 13. Et debet eſſe veriſimile, quod iura non ab alio, quàm à principali habuerit: *Seraph. deciſ. 973. num.* 4. ante verò litem cęptam ſi quis habeat iura in manibus ad cauſam facientia, debet admitti ſaltem cum cautione de rato: *Imol. in l. mauia 50. num. 2. ff. ſolut. matrim. Greg. deciſ. 44. Rota in recent. par. 2. deciſ. 211. num. 4. & in recentiſs. par. 1. deciſ. 722. num.* 4.

353 Aduerte tamen, quia ſi procurator habens facultatem ſubſtituendi conſignaſſet ſcripturas alteri, antequam litem fuiſſet conteſtatus; tunc ex tali conſignatione non præſumeretur ſubſtitutio; quia licet vigore mãdati poſſit ſubſtituere expreſsè, non tamen tacitè: cùm hoc non habeat in mandatis, vt in ſimili dixit

*Rota in nou. deciſ.*38. *in fin. de procurat.* & cenſuit *Rota in recentiſs. par.*2. *deciſ.*211. *nu.*4.

354 Ex impenſa in lite facta, & pro ſportulis inducitur non leuis præſumptio mandati; *l. cùm de indebito, ff. de probat.* ibi, *qui enim ſoluit, nunquam ita reſupinus eſt, vt facilè ſuas pecunias iactet, & indebitas effundat.* Et propterea dum aliquis fecit impenſas in lite, & ſportulas depoſuit tanquam procurator, præſumendum eſt, quod ſit talis: *Menoch. de præſumpt. lib.* 2. *præſumption.* 33. *num.*5. & hanc præſumptionem ſępiùs *Rota* amplexa fuit in *antiq. deciſ.*2. *de cauſ. poſſ. & propr. Caſſador. deciſ.*3. *num.*1. *de procur. Caſ. de Graſſ. deciſ.*3. *nu.*4. *de procur. Greg. deciſ.*44. *num.*5. *& deciſ.* 324, *nu.*2. & ibi *Adden. num.*6. *Caual. deciſ.*83. *num.*5. *Duran. deciſ.*9. *nu.*24. *&* 27. [illegible] ſufficit etiam expẽſa vnius ducati; quæ in priuato cenſetur conſiderabilis in hac materia: *Put. deciſ.*339.*lib.*2. *Rota in recentiſſ. deciſ.*440. *numer.*6. *par.* 2. Impenſa tamen aliundè probari debet, quam ex ſola litis ſubſtentatione [illegible], licet ea nõ ſoleat fieri abſque impenſa: *Caſ. de Graſs. dec.*3. *de procurat. Rota in recentiſs. deciſ.*706.*nu.*10. *par.*1. & quæ requirunt impenſam non modicam præſumuntur facta ad inſtantiam partis: *Felin. in cap.* 1. *vbi Aret. de iud. Put. deciſ.*132. *lib.*1. & quando concurrunt aliæ coniecturæ ſufficit modica: *Sarnen. ad reg. de impetran. quæſt.*5. *Rota in recentiſs. deciſ.*174. *nu.*2. *par.*1. Si autem ille, qui feciſſet actum cum impenſa, poteſt ex illo actu conſequi aliquod cõmodum, vel aliquod intereſſe habere, tunc ceſſat præſumptio mandati: vt ſępiùs Rota cenſuit, & not. *Adden. ad Greg. deciſ.*324. *nu.*6.

355 Ex ſcientia, & patientia principalis deducitur præſumptio mandati, vtpotè ſi principalis ſciuiſſet cauſam nomine ſuo agi per procuratorem, & deindè ipſe comparuiſſet cum proteſtatione citra reuocationem procuratoris: *Rota in recentiſs. deciſ.* 486. *nu.*3. *par.*2. vel alio modo conſtaret de ſcientia, & patientia Domini ſcientis alium nomine ſuo comparere, & litem proſequi: *Innoc.* & *alij in cap. ex parte Decani, de reſcrip. Bal. in l. Iulianus, in* 5. *q. ſub nu.*11. *verſ. ſed ego dico, ff.* qui

qui satisd.cog. Abb. consi.7. numer.3. & 4. par.2. Gregor. decis.44. nu.2.

Quod procedit etiã si procurator fuisset reuocatus, quia dum principalis sciret, & pateretur eandem litem prosequi, censeretur tacitè eundem de nouo procuratorem constituisse: *Mantic. de tac. lib.7. tit.21. num.1. Adden. ad Greg. d. decis.44. nu.9.*

Item pone, quod procurator cum amplo mandato substituerit aliquem ad causas criminales tantum, qui substitutus posteà comparuit in alia causa ciuili, & contra eum fuit lata sententia; & posteà verus procurator comparuit in Rota, & prosecutus fuit causam appellationis simpliciter, & absque protestatione nullitatis, quia tunc verus procurator censetur ratificasse, & sententia non potest dici nulla: *Vant. de nullit. tit. quibus mod. sent. nullit. reparari possit, num.103. Caual. decision.4.* & est *text.* in *l. Paulus respondit, ff. rem Rat. haberi Paulus respondit non tantum verbis ratum haberi posse; sed etiam actu. Denique si eam litem, quam procurator inchoasset, Dominus comprobans prosequeretur, non esse commissam stipulationem.*

356 Ex assertione Notarij inducitur præsumptio mandati, vtpotè quando Notarius asserit mandatum fuisse rogatum à tali Notario, tali die, & à se lectum; quamuis non exhibeatur, quasi incidenter non principaliter de eo dubitetur: *Curt. Iun. in auth. si quis in aliquo, numer.54.* & ibi *Cagnol. numer.96. C. de eden. Rota in recentiss. part.1. decis.503. num.3. Gregor. decis.111. num.2.* Item quando Notarius asserit mandatum rogatum esse per acta sui ipsius, cui & si plenè non credatur: *Innoc. in cap. quoniam contra, de probat.* attamen iunctis alijs coadiuuat probationem: *Afflict. decis.48. numer.3. & 4. Rota diuers. decis. 140. num. 14. par. 5.* Et licet Notarius faciat fidem de præsentatione, non tamen facit fidem de tenore, nisi tenor alibi esset insertus: *Put. decis.342. nu.2. lib.3.* & quando in aliquo instrumento antiquo mandatum enunciatur; tunc præsumitur adfuisse, ex pluribus cumulatis per *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 33. num. 25.* & asser-

tio Notarij multum facit ad præsumendum mandatum; *Rota in recentiss. part. 2. decis. 440. num. 5.*

Et quando in actis legitur mandatum fuisse productum, re vera non probatur mandatum, quando eius tenor non est descriptus, & mandatum non reperitur: *cap. quoniam contra, de probat.* tamen si cum assertione Notarij concurrant alia adminicula, ea fidem facit: *Bal. in l. vltima, num. 4. C. quod met. caus. Angel. cons. 261. nu. 4. Crauett. cons. 73. nu. 19. Mant. decis. 352. nu. 4. Duran. decis. 33. nu. 15.*

Et quando in actis fit substitutio per procuratorem, de cuius mandato non constat, nisi ex assertione Notarij; tunc præsumendum est mandatum præcessisse substitutioni; iuxta not. per *Bart.* & *Ias. in l. licet, C. de procur.* & per *Felin. in cap. quoniam contra, col. fin. de probat. Mohed. decis. 1. de procur.* & in actu, qui verisimiliter expediri non potest sine mandato, præsumitur mandatum præcessisse: *Rota decis. 2. de caus. poss. & propr. in antiq. Cassad. decis. 3. nu. 4. de procur. Felin. in cap. sicut, nu. 35. de re iud. Menoch. de præsumpt. lib. 2 præsumpt. 33. nu. 3. Rota in recent. decis. 591. nu. 3. par. 2.*

357 Ex assertione ipsius procuratoris non probatur, nec præsumitur mandatum; non enim creditur dicenti commissionem habuisse ad aliquid agendum: vt not. *Doct.* in *l. 2. C. de eden. Put. decis. 289. nu. 2. lib. 1.* Concurrentibus autem aliquibus ex prædictis coniecturis, seu adminiculis creditur asserenti de suo mandato: vt per *Rot. in recentiss. dec. 169. nu. 2. & seqq. par. 2.*

358 Ex approbatione partis inducitur etiã præsumptio mãdati, vtpotè si pars litigauit cum procuratore, de cuius mandato nunquam opposuit ante litem contestatam; quia si lite contestata opponat, ei incumbit onus probandi eum non esse procuratorem: *gloss. in l. licet,* in verbo *inueniatur*, vbi *Bal. num. 10. Salicet. Fulgos. Castr. & Alex. nu. 5. C. de procur. Felin. in cap. quoniam contra, nu. 53. vers. septimo quæro, de probat. Natt. cons. 126. n. 8.* vbi de communi, & *cons. 162. nu. 8. Rota in recent. decis. 530. n. 15. par. 1.* Item quando quis citauit aliquem vti procuratorem, non potest amplius impugnare, & controuertere

eius

eius mandatum: *Salicet. in l. licet, C. de procur. nu.*5. & ibi *Iaſ. nu.*8. *Surd. deciſ.* 104. *n.* 10. *&* 11. & quatenus controuerteret, ad eum ſpectaret probare illum non eſſe procuratorem: *Rota in recent. deciſ.* 169. *nu.*3. *par.*2.

359 Ex ſolo etiam longi, vel longiſſimi temporis ſpatio an præſumatur mandatum quæſtio eſt inter Doctores: vt per *Cagnol. in l. velle, nu.*12. *ff. de reg. iur. Menoch. de præſumpt. lib.*2. *præſumpt.* 33. *nu.*14.

Sed quod ex longo temporis curſu cũ adminiculis mandatum præſumatur videntur omnes ſentire: *Menoch. ibid. nu.*18. *&* 27. *Boer. deciſ.*281. *nu.*15. *& ſeqq. par.*2. *Caſſad. deciſ.*3. *de procur.* cum alijs adductis per *Caſ. de Graſſ. deciſ.* 2. *de reb. Eccleſ. non alien.*

360 Ex depoſitionibus autem teſtium nedum præſumi, ſed etiam probari poteſt mandatum: *l. in exercendis, C. de fid. inſtr.* cuius verba ſunt hæc, *in exercendis litibus eandem vim obtinent, tàm fides inſtrumentorum, quàm depoſitiones teſtium*; vbi *gloſſ.* plures limitationes ponit remiſſiuè: *Rot. in recent. par.*2. *deciſ.* 166. *n.*7. Et quamuis ſint ſingulares, nihilominus probant, quando ſingularitas non eſt obſtatiua, ſed adminiculatiua, quæ ad vnum finem tendit, & dictum vnius reſpondet alteri, & dicto alterius coadiuuatur: *Dec. conſ.* 650. *num.*10. *Pariſ. conſ.*57. *num.*43. *lib.*1. *Cephal. conſ.*141. *nu.*12. *lib.*1. *Rota diuerſ. part.*4. *deciſ.* 274. *num.*2. *&* 3.

361 Secunda exceptio, non potes eſſe procurator in hac cauſa, ſicut ex pluribus capitibus poteſt deduci, ita ex pluribus capitibus poteſt excludi; ſed vtiliter exemplificando, multis alijs prætermiſsis, ſi procurator habet mandatum ad vnam cauſam, non poteſt eſſe procurator in alia: *Anchar. conſ.* 242. *nu.* 3. *&* 4. *Rota in recentiſs. deciſ.*18. *nu.*2. *par.*1. ſi tamen conſtat de voluntate conſtituentis procuratorem mandatum extenditur etiam ad lites, & cauſas etiam futuras, dummodò non requirant ſpeciale mandatum, vt ſi dixerit ad omnes, & quaſcunque lites, & cauſas: *Rota deciſ.* 1. *nu.* 1. *verſ. hoc verum, de procurat. in nou. Grauat. ad Veſtr. lib.*4. *cap.*5. *nu.*38. *Ioſeph. Lud. deciſ. Peruſ.*37. *nu.*2. *parte* 1. *Rota in recentiſsimis,*

decis. 789. num. 5. par. 1.

362 Sic etiam procurator cõstitutus à Capitulo Canonicorum non est procurator singulorum, tamen quando fuit constitutus contra quendam, qui mouit litem contra constituentes, & Capitulum, ad prosequendũ tàm cõiunctim, quàm diuisim, censetur etiam procurator singulorum: *Achil. decis. 3. de procur.* adde *Bellam. decis. 10. per tot.*

363 Sic pariter procurator generalis Ordinis non est procurator singulorum Monasteriorũ, quod tamen fallit in ordine Prædicatorũ, & Carmelitarũ, propter facultatem à Põtifice datam eorum procuratori generali comparendi pro quolibet Monasterio particulari: *Coccin. dec. 169. nu. 8.* & idem est in procuratore generali Societatis Iesus: vt per *Rot. in recent. decis. 201. nu. 2. par. 2.*

364 Et deniq; procurator habens commune mandatum cum alio, etiam cum clausula cum libera, non potest solus comparere; nisi quando adsit clausula insolidum: *l. si quis cũ procuratorio, §. penult. ff. de procur. cap. si duo, de procur. in 6. Gregor. decis. 280. num. 3.* & ibi *Adden. nu. 9.*

365 Tertia exceptio, aduersarius non potuit te procuratorem constituere, excluditur docendo de habilitate, & facultate constituentis.

Quod enim in criminalibus non admittatur procurator, non procedit, quando de aliquo crimine agitur ciuiliter, prout in actione furti, & iniuriarum ad restitutionem rei, vel ęstimationem iniuriarum: *Maran. de ord. Iud. par. 4. vers. an sit iudicium ciuile, vel criminale, nu. 53.*

366 Sic procurator à minore constitutus volens agere audietur, si ostenderit se cũ auctoritate tutoris, vel curatoris fuisse constitutum: *l. neque tutores, §. pupillus, C. de procur.*

367 Sic etiã substitutus à procuratore cum mandato generali ad substituendum, ad causam prosequendam non admittitur, nisi doceat onus procurationis ante substitutionem acceptasse: *Clem. 1.* cũ ibi not. *de procur. Rota in nou. decis. 7. nu. 1. de procur.*

368 Et procurator Vniuersitatis, quando docet de mandato, in quo interuenerunt sono campanæ præcedente duæ ex tribus partibus Vniuersitatis, admittitur, & opponens

nens contra mandatum debet probare; *Capic. decis.4. nu.1. Seraph. decis.1247.nu.1. Rota in recent. par.2. decis.692.n.6.*

369 Quarta exceptio, te Dominus procuratorem reuocauit, excluditur pluribus modis; quia vt dicitur in *l. ante litē contestatā, ff.de procur. ante litem contestatam libera potestas est, vel mutādi procuratores, vel ipsi Domino iudicium accipiēdi*; sed vt subiungitur in *l. seq. post litem autem contestatā reus, qui procuratorem dedit mutare quidem eum, vel in se litē transferre inuito procuratore, vel in Ciuitate manēte potest, causa tamen prius cognita*; non solū autem ipsi, qui dedit procuratorē hoc permittitur; sed etiam hæredi eius, & cęteris successoribus.

Et hic cōsidero, quod procurator, vel remanet simplex procurator, vel efficitur Dominus solius instantiæ, vel totius litis, & causæ, vel constituitur procurator in rem propriam, vel adijcitur solutioni.

Procurator, quando res est integra, scilicet ante litē contestatam, remanet simpliciter procurator, & potest reuocari, siue tacitè, siue expressè, vt supra.

370 Sed quando procurator est constitutus ad omnes causas, si reuocetur quoad vnam, nō censetur reuocatus quoad alias: *Rot. in nou. decis.18. de procur.* nisi reuocatio sit generalis, & eo tempore nulla alia causa ageretur: *Coccin. decis. 341. nu.4.*

371 Atq; reuocatio debet intimari eidē procuratori, ne se ingerat, & etiā aduersario de cuius præiudicio agitur; alias reuocatio etiam expressa per aliud instrumentum, nō valet: *Vant. de nullit. ex defect. mand. nu.159. Caual. dec.67.nu.5.*

372 Et procurator habens facultatem substituendi, nō potest substitutum reuocare, nec causā reassumere, nisi hoc habeat expresū in mandato: vt per *Rot. in nou. dec.14. de proc.*

373 Per constitutionē secundi procuratoris primus censetur reuocatus: *l. si quis cum procuratoris, S. vltimo, ff. de procur. Rot. in nou. eodem tit. decis.2. Put. decis.259. num. 3. lib.2. Caual. decis.480. nu.3.*

374 Sed mandatum primum non censetur reuocatum per secundum etiam ab hærede factum, nisi in casu, quo ille procurator reuocari potuisset: Secùs si effectus esset dominus litis,

litis, vel quando secundum mandatum contineret idem, quod primum; quia tenderet magis ad augendum, quàm ad minuendum: *Bal. Angel. & Alex. in l. si quis procuratore, S. Iulianus, ff. de procur. Achil. decis. 14. de procur.*

375 Sic per comparitionem principalis in iudicio, sine clausula citra, non censetur reuocatus procurator, quando ex prosecutis apparet de illius non reuocatione: *Cas. de Grass. decis. 15. de testib.*

Item quando comparuit in iudicio, procuratore absente, quia tunc non censetur reuocatus, secùs si procuratore præsente: *Rota in antiq. decis. 22. de procur.* vbi dicitur etiam quãdo Dominus venit ad iudicium faciendo actum necessarium, quod erat per Dominum sufficientiùs faciendum, quàm per procuratorem, non videtur reuocare procuratorem per eius præsentiam; secùs si faceret actum voluntarium: *Arg. l. fideicommissa, S. si rem, ff. de legat. 3.* & sic dicit intelligi *cap. penult. de procur. lib. 6.* vbi fit differentia, an Dominus compareat, vt, vel procuratori assistat, vel causam tractet; quia primo casu non reuocatur; secundo autem sic: & ibi not. *gloss. & Doct.*

376 Quando verò res non est integra, scilicet post litem contestatam; tunc si procurator est constitutus ad solam instantiam, tunc non efficitur Dominus litis; sed solius instantiæ, qua instantia durante non potest reuocari; sed ea finita expirat eius mandatum. Si verò est constitutus ad omnes instantias, tunc per contestationem remanet Dominus litis, & lite durante non potest reuocari: *Achil. decis. 13. de procur. Seraphin. decis. 195. nu. 1. & decis. 1180. nu. 1. Greg. decis. 548. nu. 3. & ibi Addent. num. 12.*

377 Non potest inquam, siue Dominus instantiæ, siue Dominus litis reuocari, nisi ex iusta causa: *l. post litem contestatam, ff. de procur. cap. 2. de procur. in 6.* & quando dicatur iusta causa, relinquitur arbitrio Iudicis, ex adduct. per *Coccin. decis. 288. nu. 2.* vel nisi ipse procurator, & aduersarius cõsenserit: *Castr. in l. quæ omnia, num. 2. in fin. ff. de procur. Seraph. d. decis. 195. num. 1.* subiungens *nu. 2.* quod de consensu procuratoris non multum curatur; quia eius contra-

traditio non impedit effectũ reuocationis in præiudicium reuocantis, sed operatur, vt pro conseruatione suæ famæ cognoscatur, an sit iustè reuocatus, aliàs si se ingereret esset suspectus: *l. quæ viam, ff. de procur. Cassad. decis. 2. de appell. num. 4. & 5. Put. decis. 303. lib. 2.*

378 Debet autem procurator se opponere reuocationi, sed interim abstinere, neque pro salario potest retinere litem, siue scripturas, sed benè pro expensis: *l. quæ omnia, §. planè,* vers. *item si retentione,* & ibi *gloss.* in verbo *item, ff de procur. Coccin. decis. 288. nu. 5. & 6. & dec. 341. nu. 2. Addent. ad Greg. decis. 548. nu. 13.*

379 De consensu autem aduersarij multum curatur, quia procurator non potest reuocari etiam ipso volente in præiudicium partis aduersæ, ad not. per *gloss.* in *l. mutari, C. de procur.* in verbo *volente: Angel. in l. post litem, ff. eodem, Felin. in cap. ex parte Decani, col. penult. de rescript. Mohed. decis. 4. nu. 2. de procur.*

380 In iudicijs autem summarijs, quibus lis non contestatur, tunc procurator efficitur Dominus litis, & sic irreuocabilis statim cùm incipit tractare merita causæ: *Bart. in l. ab executore, §. si procurator, nu. 2. ff. de appell. & in l. post litem, num. 3. ff. de procur. Bald. in l. nulla, nu. 3. C. eodem. Crescent. decis. 14. de procur.*

381 Et in iudicijs ordinarijs, quando procurator fuit constitutus post litem contestatam, tunc efficitur Dominus, & irreuocabilis per actum, quem posteà cœpit exercere: *Alex. in l. nihil arbitramur, n. 2. C. de procur.*

382 Quando verò quis constituitur procurator in rem propriam, tunc reuocari non potest: *Castr. in l. fin. num. 1.* vers. *& sic facta procuratio ff. de donat. Rota in recent. par. 1. decis. 443. num. 4. par. 1.* nec etiam reuocatur per mortem: *l. illam, C. de donat. Bal. in l. 1. C. de act. & oblig. nu. 12.* & dicitur constitutus in rem propriam, quando Dominus illum posuit in locum suum: *Alex. in l. in prouinciali, §. si ergo, n. 6. 7. & 8. ff. de oper. nou. nunc. Paris. cons. 107. num. 35. lib. 3. Seraph. decis. 541. num. 4.* prout etiam dicitur constitutus in rem propriam, quando fuit constitutus, vt sibi satisfaceret de suo credito: *Castr. in*

in dict. l. fin. num. 2. verſ. *& ſic facta procuratio*, *ff. de donat. Rota in recentiſs. deciſ.* 129. *nu.* 2. *par.* 1.

383 Adiectus ſolutioni ſimpliciter non poteſt agere: *l. eũ qui ita*, §. *qui ſibi*, *ff. de verb. oblig.* ſed poteſt ſolutionem recipere: *l. quod ſtipulatus*, *ff. de ſolut. Dec. conſ.* 543. *nu.* 11. *in fin.*

Sed quando eſt adiectus, vt in rem propriam, tunc ratione intereſſe poteſt agere: *Pariſ. conſ.* 107. *num.* 30. *lib.* 3. *Carthar. deciſ. Ianuenſ. cauſ. ciuil.* 126. *nu.* 5. *&* 6. *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 49. *num.* 22. & tunc cenſetur adiectus vti in rem propriam, quando ita adijcitur ſolutioni, & intereſt adijcientis, vel adiecti, vt ipſi adiecto ſoluatur, & ſolutum apud eum remaneat: *Ruin. conſ.* 209. *num.* 9. *lib.* 1. *Pariſ. dict. conſ.* 107. *num.* 32. *lib.* 3. *Coccin. deciſ.* 402. *nu.* 2. *&* 3.

384 Quinta exceptio, mandatum tuum expirauit morte conſtituentis, excluditur pluribus modis; quia ſi conſtituens moritur ante litem conteſtatam, & ſic re integra; tamen mandatum non expirat per mortem mandantis, quando per procuratorem fuiſſet præſtita cautio iudicatum ſolui: vt in *l. ſi defunctus, in princip. ff. de procur.* Satiſdatio enim quoad omnes inſtantias operatur litis conteſtationem, & facit deſinere rem eſſe integram: *gloſſ.* & *Doct.* ibidem. *Caputaq. deciſ.* 192. *num.* 2. *&* 3. *par.* 2. & idem eſt, ſi in mandato adſit clauſula releuans, quæ operatur ſatiſdationẽ iudicio ſiſti: *Seraph. deciſ.* 1180. *num.* 2.

385 Si verò poſt litem conteſtatam moritur, & ſic re non integra, tunc mandatum non expirat: *gloſſ. in Clem. fin.* in verbo *pro Eccleſia*, *de procur.*

Sed hoc vltimum recipit plures diſtinctiones; nam ſi procurator eſt conſtitutus ad ſolam inſtantiam, & poſt litem conteſtatam moritur mãdans, tunc per mortem expirat mandatum, quia procurator erat effectus Dominus inſtantiæ, nòn autem litis; *gloſſ. in dict. Clem. fin.* in verbo *conteſtata*. Ita tamen, quod poteſt proſequi primam inſtantiam, non autem litem in alijs inſtantijs; quia lata ſententia finitur inſtantia, & ſic mandatum; *Achil. deciſ.* 13. *de procur. Seraph. deciſ.* 324. *num.* 1. *&* 3. & procurator conſtitutus

in

in vna causa eo ipso, quod est lata sententia desinit esse procurator: *l. inuitus*, & ibi *gloss. C. de procurat. Mohed. decis. 6. nu. 2. de procur.*

387 Si verò procurator erat effectus Dominus litis, non obstante morte mandantis, potest prosequi litem in omnibus instantijs: *Seraph. decis. 1180. per tot.* & *decis. 1188. num. 2.*

Quando scilicet non constat ab aliquo fuisse aditam, nec repudiatam hęreditatem: quia interim procurator potest continuare: *Angel.* & *Imol. in l. non solum, §. morte, in princ. ff. de nou. oper. nunc. Dec. in cap. relatum, vsque ad nu. 15. de offic. delegat. Seraphin. decis. 1151. num. 1.*

388 Item si certum est mandantem decessisse cum hærede; tunc mandatum procuratoris effecti Domini litis non expirat duplici ratione; prima, quia procurator post litem contestatam expressè reuocari non potest; secunda, quia post litem contestatam procuratoris potestas non dependet ex mera voluntate Domini, & ideò eius potestas non potest finiri, licet per mortem mandantis finiatur eius voluntas, vt considerat *Bald. in l. nulla, nu. 1. C. de procur.*

Si verò certum est mãdantem decessisse sine hærede; tunc mandatum procuratoris etiam Domini litis effecti per mortem mandantis expirat, cùm nulla remaneat defuncti imago: *Doct. in l. 1. C. de act. & oblig.* & ibi *Bal. Ias. cons. 138. col. 2. vers. sed præmissis non obstan. lib. 4. Marescott. variar. resol. lib. 2. cap. 62. nu. 2.* cumque non reperiatur hæres, in cuius persona possit sustineri, & repræsentari procurator; bona enim vacantia non repræsentant hæredem: *l. 1. ff. de iure Fisci, Vant. de nullit. ex defect. mandati, nu. 173.* & ideò tunc cum procuratore etiam litis Domino effecto sententia proferri non potest: *Grauat. ad Vestr. lib. 4. cap. 4. num. 41. circa fin.* addo rationem, quia procurator fit Dominus litis non ad sui commodum; sed ipsius mandantis, vel hæredis: *l. qui proprio, §. procurator vt in certis, ff. de procur.* Ideò non existente Domino, nec hærede, non est ratio, ad cuius commodum procurator existere debeat.

389 Hinc quia in beneficiali-

bus

bus non datur hæres, Ideò per mortem mandantis expirat mandatum; etiamsi procurator fuisset Dominus litis effe-ctus: *Clem. fin. de procur. Vant. de nullit. ex defect. mand. num.* 171. & ideò in causis beneficialibus, mortuo reo in quacunque parte iudicij vlterius non citatur procurator, etiam dominus litis effectus; sed fit processus per contradictas cõtra interesse putantes: *Vestr. in praxi lib. 4. cap. 4. nu. 12.*

390 Et prædicta intelliguntur nedum de morte naturali, sed etiam ciuili, & propterea si beneficiatus, siue naturaliter, siue ciuiliter mortuus fuit, vtpotè si ad aliam Ecclesiam translatus fuerit, vel resignauerit, semper expirat mandatum procuratoris etiam re non integra: vt tradunt *Doct. in dicta Clem. fin. Rota in nou. decis. 28. de procur. Cassad. decis. 2. de appellat. nu. 3. Grauat. ad Vestr. d. lib. 4. cap. 4. nu. 37. Vant. de nullit. ex defect. mandati, num. 171. Marescot. var. resol. lib. 2. cap. 62. nu. 4.*

Si tamen mandatum fuisset nomine Ecclesiæ datum, non expiraret per mutationem Prioris; quia Ecclesia nõ moritur: vt not *Doct.* in *dict. Clem. fin. Anchar. in cap. si duo, n. 5. de procur. in 6. Rota diuers. decis. 554. nu. 2. par. 1.* & sententia lata mortuo Abbate valet, quando sententia lata fuit sub nomine dignitatis, quæ nunquam moritur: *cap. quoniam Abbas, cum gloss.* in verbo *substitutum, de offic. deleg.* & in *l. quod principi, ff. de legat. 2.* & mãdatum procuratoris per mortem Abbatis non expirat in ijs, quæ pertinent ad Monasterium: *gloss.* in d. *Clem. fin.* in verbo *reuocari, de procurat. Mant. decis. 74. num. 2. & 3.*

391 Et regulare est, quod per mortem ciuilem expirat mandatum: *Doct. in Clem. fin.* vbi *Zabarel. quæst. 14. de procur. Laderch. cons. 94. nu. 1.* & ideò si mandans fuisset condemnatus in pęnam vltimi supplicij, expirasset mandatum ab eo datum: *Rota decis. 28. de procur. in nou. Seraph. decis. 1362. nu. 1.* Si verò fuisset condemnatus ad triremes perpetuò, absque confiscatione bonorum, tamen mandatum non expiraret *Rota in recent. decis. 492. nu. 4. par. 2. ex deductis in ea.*

392 Et quando pater, vti legitimus administrator bonorum sui filij, constituit procura-

curatorem; si posteà pater fuerit bannitus; nihilominus mādatum procuratoris nō expirat; quia banniti nostri tēporis non amittunt patriam potestatem; ex pluribus adductis per *Rot. diuers. decis.* **394.** *nu.* **2.** *& seqq. par.* **5.**

393 Per mortem autem substituentis non expirat mandatum; quia substitutus habet potestatem à primo mandante, non autem à substituente: *gloss. in cap.* 1 *§.* 1. in verbo *substituen. de procur. in 6. Rot. decis.* 33. *nu.* 1. *& decis.* 38. *nu.* 2. *de procur. in nou. Dec. in cap. relatum*, circa princ. *de offic. deleg. Gabr. de procur. concl.* 2. *nu.* 9. *Rota in recent. par.* 1. *decis.* 521. *nu.* 8.

394 Per superueniētem etiam inimicitiam reuocatur mandatum: *l. vel exilio, ff. de procur. Bar. in l. si cùm Cornelius, ff. de solut. Ladersb. consil.* 94. *nu.* 4. *in fin.*

DE EXPRIMENDA causa, propter quam quis citatur.

395 Nisi in citatione exprimeretur, ad quid, quare seù ob quam causam quis in ius vocetur, vtique citatio diceretur sub nube, vt ait *Bal. in l. consentaneū, C. quom. & quando Iudex sub nu.* 4.

396 Ideòque, si Iudex simpliciter, & nulla expressa causa citaret aliquem, vt coram eo compareret, citatus non teneretur comparere; quia pręceptum non valet sine causa; quod verum est in delegato; secùs autem in ordinario, qui semper præsumitur citare ex causa; & ideò est comparendum, dummodò sit citatus ad petitionem actoris, vt declarat *Bald.* in d. *l. consentaneum, num.* 4.

397 Sed hoc videtur intelligendum, vt citatus sine causa debeat cōparere, ad effectum ne propter Iudicis contemptum posset puniri; non autem ad effectum, vt posset cōtra ipsum procedi ad vlteriora in causa, tanquam contra contumacem; *Socin. de citat. art.* 20. *num.* 9. in fin. *vers. ego verò arbitror.*

398 Ego autē considero, quod Iudex ordinarius si, vel verbo, vel scriptis, citari faciat aliquem, vt coram eo compareat, nulla expressa causa, est quædam vocatio, quæ non potest haberi pro citatione; præceptum enim Iudicis factum sine causa non facit citatum

tum contumacem: *Afflict. decis.* 194. *num.* 7. sed potiùs pro ambasciata, ad dicta per *gloss.* in *dict. l. consentaneum*, in verbo *commonefacto*, ibi *& nota, quod hic est ambasciata*, cui si vocatus non obediat, poterit, vel per Iudicem puniri, vel eius mandato ad sui præsentiam adduci, ad *tex.* in *l.* 1. *ff. si quis iusdicenti non obtemperauerit*, ibi *omnibus Magistratibus secundum ius potestatis suæ concessum est, iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio.* Iudex autem antequam mulctet non comparentem, debet ipsum de nouo citare, ad se defendendum: *Bar.* in *l.* 2. *num.* 17. *ff. si quis in ius voc. non ierit.*

399 Vt autem vocatio alicuius ad Iudicem valeat in vim citationis, necesse est vt contineat causam, & plenam instructionem, aliàs citatus non tenetur comparere, nec Iudex contra eum potest excandescere: pro hoc adduco *tex.* in *cap. prætereà, de dilat.* ibi *vt eo viso deliberare valeat, qui ab altero conuenitur*, & in *cap.* 1. 5. *quæst.* 2. ibi, *nisi canonicè vocatus fuerit*, & in *cap. si primates. eadem* 5. *quæst.* 2. ibi *& non priùs, quam eis per scripta significent, quid eis opponitur, vt ad responsionẽ præparati adueniant*, & in *Clem. fin. vt lite pend.* ibi *dum tamen in citatione prædicta talia sint expressa, per quæ plenè possit instrui super quibus in iudicio conuenitur*: adduco insuper *tex.* in *l.* 2. *ff. si quis in ius voc. non ierit*, ibi *ex quacunque causa ad Prætorem, vel alios Præsides, qui iurisdictioni præsunt, in ius vocatus venire debet.* Ergo causa est exprimenda, alias non dixisset I. C. ex quacunque causa vocatus. Expressio autem causæ in citatione debet esse clara, non autem obscura: *l. aut. qui aliter, ff. quod vi, aut clam*, ibi *debebit enim, & diem, & horam denunciatione complecti, & vbi, & quod opus facturus sit; neque quidem perfunctoriè, aut obscurè dicere, vel denunciare.* idem habetur, in *cap. fin.* in princ. *de dilat.* ibi *vt super iure primatiæ se cõspectui nostro præsentaret*, & hæc causæ expressio fieri debet, siue in ciuilibus, siue in criminalibus, iuxta *cap. cùm dilecti, de dolo, & contumac.* ibi *quædam crimina proponebat*, quoad citationes enim equiparantur iudicium ciuile, & criminale; *l. absentem*, §. 1. *ff. de pœn.* *Vant. de nullitat. ex defect.*

defect. citat. nu. 53. & secundum veriorem opinionem, siue citatio mittatur in partes remotas, siue propinquas causa debet exprimi in citatione: *Clar. in §. fin. quaest.* 31. *vers. quaero nunc. nu.* 5. *& vers. quaero nunquid in citatione*, *nu.* 7. siue etiam in causis Sanctae fidei; *cap. cùm contumacia, de haeret. in* 6. ibi, *vt de fide respondeat*; siue etiam in causa feudali, vt in *extrauag. ad reprimendum. quomodo, in crim. laesa Maiest. procedatur in lib. feudorum*, ibi *ad hoc si qua Communitas, Corpus, Collegium, vel alia quaeuis persona cuiuscũque status, dignitatis, vel conditionis existat, super dicto crimine per Nuncium, vel per litteras, seù etiam per edictum publicè propositum citata, vel citatum neglexerit in termino personaliter, vel legitimè comparere*.

Hinc tria considero, primum est, quod expressio causae in citatione potest fieri, vel in genere, vel in specie, vel per relationem.

Secundum, quod causa expressa in citatione, vel est erronea, vel iniusta, vel insolita.

Tertium, & vltimum, quod citatio potest fieri, vel ad totam causam, vel ad aliquos actus, vel ad vnicum actum.

400 Quoad primum, expressio causae in genere propter incertitudinem non valet, vt putà si fieret citatio ad audiendum volũtatem Domini: *Rot. in nou. decis.* 17. *de re iud. Felin. in cap. consuluit, nu.* 16. & *Marant. de ord. Iud. par.* 6. *vers. & rectè concipiatur citatio, nu.* 70. citatio enim requirit exactã specificationem: ex alleg. per *Rot. diuers. decis.* 151. *n.* 2. *par.* 2. & debet continere plenam instructionem: *Rota diuers. decis.* 1. *nu.* 19. *par.* 2.

401 Et ideò si fieret citatio ad audiendum voluntatem Iudicis, vel ad videndum fieri quamcũque prouisionem super petendis, vel super petitione porrigenda, talis citatio adhuc remaneret generalis, & incerta, neque induceret praeuentionem: *Marant. d. vers. & rectè concipiatur citatio, nu.* 71. Citationes enim debent esse clarae: *Vital. in tract. clausularum, vers. nil. nouari inuentarij confectione pendente, nu.* 78. Si verò fieret ad audiendum volũtatem, & videndum fieri prouisionem super petitis, seu productis, tunc

valeret, quoad interlocutoriam ferendam, quia remaneret certificata per relationem ad petitionem, vel ad acta, vt per *Bald.* in d. *l. consentaneum, n.* 4. *C. quom. & quando Iudex.*

Certum enim, & determinatum illud etiam est, quod per relationem certificari potest: *Bar. in l. qui liberis, §. hac verba, nu.* 8. *ff. de vulg. & pupil. Ruin. cons.* 29. *nu.* 4. *lib.* 2. *Paris. cons.* 94. *n.* 96. *li.* 1. Secùs est autem, quoad sententiã diffinitiuam, quia ad eam citatio debet esse præcisa ad sententiam: *Clem. sæpè, vers. sententiam verò,* & ibi *gloss.* in verbo *ad id, de verb. signific.*

Et citatio debet esse specificata, & clara in indiuiduo, non confusa, nec in genere, sed debet continere etiam causam causæ: *Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.* 54. *Laderch. cons.* 93. *nu.* 6.

402 Quoad secundum; si causa expressa in citatione est erronea, citatio non arctat ad comparendum: *Alex. in l. à Diuo Pio, §. in venditione, num.* 14. *ff. de re iud.* Vtputà si exprimatur, quod veniat responsurus seruo, vel excommunicato, vel alteri non habenti personam standi in iudicio. Item si citat super eo, de quo quæstio esse non potest, vtputà de Sole, vel Luna, & sic de similibus: vt per *Innoc. in cap. prætereà, nu.* 3. *de dilat.*

403 Si verò est iniusta, arctat; quia semper debet quis venire ad iudicium, siue iustè, siue iniustè vocetur, nisi iniustitia esset euidens, vtputà si quis citaretur, vt veniret responsurus die feriato, nisi exprimeretur causa iusta, vt per *gloss. in cap. veniens*, in verbo *propter contumaciam de accus.* adde *pract. Papien. in for. libell. in act. nou. oper. in gloss. quendam parietem, sub nu.* 2.

404 At quando citatio continet insolitum, seu facta est contra formam solitam; tunc vel non arctat citatum ad cõparendum, vel non comparentem excusat: *Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.* 74. & 75. & ideò citatio debet semper fieri secundum antiquam, & consuetam formam practicandi, quia si fit secundum nouam, & inconsuetam practicam, non tenetur citatus comparere; *Felin. Ripa, & Ias. in locis allegatis* per *Alciat. de præsumpt. reg.* 2. *præsump.* 30. *nu.* 4. *in addit. Mars. sing.* 118. *incip. Stylus Curiæ,* & quod stylus

lus Curiæ sit attendēdus, *tex.* est in *l. Labeo, ff. de statu liberis*, ibi *morem agentium sequi debemus*, vbi *gloss.* supplet *agētium, idest secundum morem in ciuilibus obtentum ab āgentibus, scilicet hominibus in causis.* & est etiam *tex.* in *l. 3. §. final. ff. de testib.* ibi *iudicantis est explorare, quæ consuetudo in ea prouincia, in qua iudicat, fuerit.*

405 Et citatio nō valet, quando est facta contra stylum Principis, qui non solet in præceptis suis pœnam confiscationis bonorum apponere, nisi contra rebelles, & facinorosos: *Rol. cons. 39. nu. 28. lib. 1. Natt. cons. 594. num. 18. lib. 3. doctr. est Angeli in l. fin. C. de Canone largition. titul. 1. lib. 10.* Vbi dicit, quod si de stylo Palatij est quod Iudex citet aliquem, quod compareat coram eo sub pœna decem librarum, & emanet citatio sub pœna corporali, excusatur non comparens, propter stylum alteratum, quod dictum refert, & sequitur *Felin. in cap. causam quæ, il 2. nu. 11. de testib.*

406 Et quod posset puniri de falso, qui inseruit clausulas insolitas, *tex.* est in *cap. porrecta, de confirmat. vtili, vel inutil.* ibi *mandamus quatenus illos, qui tales litteras exhibuerunt, in quibus Prioratus, vel Administrationes, tanquam Religiosis confirmantur, eosdem punias, tanquā falsitatis auctores. Petr. Gherard. sing. 77.* incip. *clausulæ insolitæ, nu. 4.*

Et vbi etiam Principis rescriptum deuiat à ratione, & cōmuni stylo est præsumptio falsitatis: *Dec. in cap. ex parte, vers. not. 3. nu. 6.* de rescript. & litteræ Apostolicæ contra stylum, habentur pro falsis: vt in *cap. quàm graui, de crim. falsi.*

407 Sic etiam citatio facta, non obseruata forma Statuti non valet: *Bald. in l. non sunt liberi, in prima lect. in princip. ff. de stat. hom. & in l. 2. nu. 8. C. quom. & quan. iud. Tiraq. de retract. consanguin. §. 8. gloss. 3. per tot.*

408 At si citatio contineat aliqua verba obscura, tunc recipere debet interpretationē à consuetudine: *Innoc. in cap. cùm nobis, col. 2. nu. 5. de elect. Abb. in cap. consuluit, nu. 5. de offic. deleg. Bald. in cap. 1. nu. 5. de mil. vassal. qui contumax. Port. Imolen. lib. 4. conclus. 20. vers. etiam citatio recipit interpretationem*; & consuetudine

cessante inspici debet cõmunis vsus loquendi: *Felin. in rubr. de constit. nu.7.*

Et in omnem euentum citationis verba dubia interpretari debent ad fauorem citantis: *Seraph. decis. 415. nu.3.*

Immò citationis obscuræ declaratio ad eum pertinet, ad cuius instantiam emanauit: *Specul. tit. de citat. §.1. num.10. Aurel. Dauid in tract. de verb. signific. cap.9. nu.80.*

409 Quoad tertium, citatio potest fieri, vel ad totam causam, vel ad singulos actus: *Innoc. in cap. auditis, de procurator. num.1. vers. dicimus ergo. Specul. in tit. de citat. §. viso, vers. item si constare potest, num.5. Capella Tholos. decis.428. Seraph. decis.455. n.8.* cum hac tamen distinctione, quod contra absentem potest fieri ad totam causam, non autẽ contra præsentem *Aufr.* ad *decis.428. Capel. Tholos.*

Ratio est, quia propter difficultatem viarum, & locorũ, distantiam difficilè, & dispendiosum esset citare absentem de longinquo, scilicet in quolibet actu, quæ ratio cessat in præsente, ex adductis supra in *cap.7. num.113. & 123. vers. de citat. generali.*

Absens itaque de longinquo citatus ab initio ad totam causam, siue cum expressione singulorum actuum, cum peremptorio tamen, seu cum comminatione, quod procedetur ad sententiam, arctatur ad comparendum, & dicitur citatio generalis, & eo non comparente contra eum proceditur tanquam contra contumacem, quod si compareat per se, vel per procuratorem debet particulariter citari ad singulos actus, & dicitur citatio singularis, vt supra in dict. *cap.7. nu.114. & seqq.*

410 Citatio si vel haberet insertum tenorem libelli, vel in causis, quibus libello opus nõ est, contineret id, ad quod actor agere intendit, diceretur citatio libellata: vt per *Rebuff. de citat. artic.3. gloss. vn. nu.4. Magon. in decis. Lucens. decis.48. sub nu.11.*

Et quicquid sit de iure, an libellus sit in citatione inserendus: *Soc. da citat. art.20. num.10.* certum est, quod ex consuetudine non inseritur, siue in criminalibus, siue in ciuilibus: *Vant. de nullitat. ex defect. citat. nu.52.*

411 Post cœptum iudicium potest fieri citatio, vel ad plu-

plures actus insimul: *gloss.* in *cap.2.* in verbo *etsi nec veneritis, de test. lib. cog.* ibi *in vna citatione possunt fieri plures citationes, sicut etiam fit de consuetudine propter difficultatem citationum, & gloss. in Clem. sæpè,* in verbo *post dilationem, de verborum signific.* ibi *poterit dare terminum pone 10. dierum ad ponendum, & articulandum, & ex tunc dare alios decem, vel mensem ad producendum,* adde *Socc. de cit. artic. 28. nu. 1.* & *Rotam diuers. decis. 199. nu. 16. par. 5.*

Vel ad vnum actum: *l. de vno quoque, ff. de re iudic.* & tunc aduertendum est, quod actus explicandus debet nominatim exprimi in citatione: *Vant. de nullitat. ex defect. citat. num. 54. & 55.* & si actus gereretur aliter, quam exprimeretur in citatione, non valeret: *Bart. in l. aut qui aliter, ff. quod vi, aut clam. Ruin. consil. 102. col. 2. lib. 5. Felin. in cap. 1. num. 34. de re iudic. Caputaq. decis. 123. numer. 2. part. 3. Rota in recentiss. decis. 18. numer. 2. in fin. par. 1.* & censeretur factus clam, & parte non citata: *Natt. cons. 214. num. 8. lib. 1.*

Hinc seruatur in Curia, quod quando citatio fit ad certum actum, si fortè Iudex vellet illum alio modo expedire, quam exprimeretur, in citatione addatur, & aliud quodcunque decretum desuper necessarium, & opportunum per Dominum fieri, & interponi, quæ verba operãtur, vt petitio non sit restricta ad vnum remedium tantum, sed ad magis proficuũ, qua ratione censuerunt *Domini in vna Romana Vineæ 26. Februarij 1601. coram Litta;* quod licet venditor, qui reseruauit sibi dominium, donec fuerit solutum integrum debitum, citauerit ad videndum sibi adiudicari vineam, & aliud quodcunque decretum desuper necessarium, & opportunum fieri, & interponi; tamen talis petitio non est restringenda ad venditionem; sed ad consecutionem residui pretij, prout petenti magis proficuum erat, propter illa verba, & aliud quodcunque decretum.

412 In fine iudicij fit citatio ad sententiam diffinitiuam, quæ vt valida sit debet specificè ad sententiam fieri: *cap. eum qui, de dol. & contum. in 6.* & ibi *gloss. Gemin.*

& *Franc. gloss. in Clem. sapè*, in verbo *ad id*, *de verb. signific. gloss.* in *cap. cùm contumacia*, *in verbo respondeat, de haeretic. in 6. Rota in nouis decis.* 17. *de re iud. Seraph. decis.* 1118. *n.* 2. *Rota in recent. par.* 1. *decis.* 18. *num.* 2. *& part.* 2. *decis.* 141. *nu.* 3.

Quod si fieret ad videndũ mandari procedi ad vlteriora, & fieri quamcumque ordinationẽ, siue prouisionem, seu ad videndum fieri, quod de iure debet, non sufficeret; & sententia exinde lata esset nulla ex defectu citationis, quae debet esse certa: vt sçpiùs *Rota* resoluit in pluribus causis, vt per *Caual. decis.* 376. *nu.* 1. *&* 2.

Nec etiam sufficeret pro citatione ad sententiam monitio per Iudicem facta ad informandum de iure suo infra triduum; quia monitio debet fieri praecisè ad sententiam: *Rota in recentiss. decis.* 429. *nu.* 1. *par.* 1.

Prout nec sufficeret citatio ad audiendum voluntatem, etiam cum verbo peremptoriae: *Rota in recentiss. dec.* 651. *nu.* 2. *par.* 1. nec etiam cum clausula, quod certis diebus effluxis Iudex determinabit causam: *Rota in recent. par.* 2. *decis.* 486. *nu.* 7. *Greg. dec.* 209. *nu.* 4. *& ibi Adden. nu.* 7.

Sed in casu, quo fuit facta citatio ad videndum pronunciari, decerni, & ordinari prout iuris fuerit, Rota, stante rescripto pro sanatorio cum clausula arbitrio, censuit non adesse defectũ citationis, cùm per dicta verba pars fuisset admonita, Iudicem pronunciare voluisse, & quamuis de rigore iuris citatio huiusmodi pro sententiae validitate non sufficeret, cùm specialis ad eam audiendam requiratur, stante tamen arbitrio, quod de rigore iuris minuit, illa sustinetur: vt in *recentiss. dec.* 486. *nu.* 2. *par.* 2.

DE POENA IN CItatione exprimenda.

413 In primis citationibus solent Iudices cõtumacibus pçnas comminari, vt enim dicitur in *l.* 1. *ff. si quis ius dicen. non obtemper. omnibus Magistratibus concessum est, iurisdictionem suam defendere poenali iudicio*, vbi *gloss.* explicat, *poenali*, idest *mulcta*; notans differentiam esse inter *mulctam*, & *poenam*: mulcta enim imponitur à Iudice eius arbitrio, pçna

pœna autem à lege, iuxta *tex.* in *l. aliud est fraus*, §. 1. *ff. de verb. signific.* & ferendum non est, vt citatus impune Iudicis citantis iurisdictionem contemnat: *l. ex quacunque causa*, §. *si quis ff. si quis in ius voc. non ierit* ibi *si quis in ius vocatus nō ierit, ex causa à competenti Iudice mulcta pro iurisdictione Iudicis damnabitur*, vbi *gloss.* in verbo *mulcta* explicat, id est *pœna*, quæ dabitur iuxta *tex.* in *l. mulctarū, C. de modo mulct.*

414 Solent etiam Iudices in eisdē primis citationibus citare peremptoriè, & eidem citato, si non compareat, pœnam comminari: vt .n. quis possit reputari contumax, necesse est, vt peremptoriè citetur ante ingressum litis: *cap. de illicita. 24. quæst. 3.* ibi *quicūque tribus auctoritatibus Iudicis conuentus, vel tribus Edictis ad Iudicem fuerit prouocatus, aut vno pro omnibus peremptorio, id est, quod causam extinguit, fuerit euocatus, & præsentiam suam apud eum Iudicem, à quo denunciatum est, exhibere noluerit, aduersus eum, quasi in contumacem iudicari potest*; idem habetur in *cap. consuluit, de offic. deleg.* ibi *congruè possis procedere, ad exequendum id, propter quod eis legitimè terminum peremptorium assignasti, ex tunc exequi poteris, quod intendis*. Solet apponi in edictis hæc clausula, si in die præscripto non veneris, quasi cōtumax condemnaberis, vel reputaberis, vel similia; *l. in peremptorio, ff. de iudicijs* ibi *in peremptorio autem comminatur is qui edictum edit etiam absente diuersa parte cogniturum se, & pronunciaturum*; & in *cap. tum ex litteris, in fin. de in integr. restit.* ibi *si ad præmissum terminum, quem vobis peremptorium assignamus iniūcta vobis contēpseritis adimplere; nos nihilominus in ipso negocio, quantum de iure poterimus, procedemus*: hodie autem solent dicere Iudices citamus peremptoriè, & hoc sufficit.

415 Post ingressum verò litis non est opus citare cum his, vel similibus verbis; quia post litis ingressum, quilibet terminus intelligitur peremptorius; *Specul. in tit. de citat.* §. *viso, nu. 4. Bart. in constit. ad reprimendum*, in verbo *super dicto crimine, nu. 5.* Sed de hac citatione peremptoria plura diximus supra; *cap. 7. n. 379. versic. de citatione conuentionali, monitoria, & peremptoria,*

ria, vsque ad finem.

416 In monitorijs, seu citationibus solet apponi comminatio sub pœna 500. ducatorum, quæ ponitur potiùs ad terrorem, quàm ad effectum illos exigendi: *Mandos. de commiss. form. 2. de cõmiss. causæ super beneficio*, in verbo *sub pœnis*; qui laudat hanc consuetudinem pęnas non exigendi, tanquam iuri Canonico conformem; ad *tex.* in *cap. suam ad nos, de pœnis*, & in *cap. fraternitas* 12. *quæst.* 2. iuncta *gloss.* in verbo *cum augumento, ad fin.* ibi *quæsitum fuit si aliquis confessus fuit se furtum fecisse Sacerdoti suo: an in pœnitentia debeat ei iungi, vt illam rem restituat cum pœna; respondeo, quod non*. quam glossam dicit esse singularem reputatam: *Alex. in l. si pœna, ff. de condit. indeb.*

417 Sed ad glossæ prædictæ declarationem, an, & quando etiam in foro conscientiæ pœna possit exigi: vid. *Dec.* & *Cagnol.* in *l. quod à quoquam, ff. de reg. iur.* & *Rotam diuers. decis.* 279. per tot. *part.* 2. & quod pœnæ etiam conuentionales, de æquitate canonica, exigi non possint; nisi quatenus concurrant cum interesse, & non vltra: tenet *Rota*, vt in *decis.* 371. *nu.* 3. *par.* 1. *diuers Seraphin. dec.* 794. *num.* 24.

Immò, quod etiam pœnæ in citationibus comminatæ, de iure ciuili, non exigantur; sed per Iudicem remittantur, quando non concurrit interesse actoris: *tex.* est in *l. ex quacunque causa, ff. si quis in ius voc. non ier.* ibi *item si nihil interfit actoris eo tempore in ius aduersarium venisse; remittit Prætor pœnam*,

418 Iudices Ecclesiastici in citationibus solent censuras comminari; sed de iure communi canonico debent potiùs comminari pœnas pecuniarias, quando illæ magis timerentur, quàm censuræ ecclesiasticæ, easque applicare locis pijs, ad tollendam auaritiæ suspicionem: *Archidiac. in cap. ea vindicta*, 23. *quæst.* 4. *num.* 2. *Abb.* post alios in *cap. irrefragabili*, *§. cæterum*, *nu.* 1. *de offic. Ord. Mandos. de form.* 2. *commiss. causæ super benef. dict. versic. sub pœnis*. Hinc *Sac. Concil. Tridentin. sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* mandauit, vt Iudices ecclesiastici in causis iudicialibus, quandocunque executio realis, vel persona-

lis,

lis, in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tàm in procedendo, quàm definiendo à censuris ecclesiasticis, seù interdicto.

419 Sed si quis citaretur ad comparendum sub pœna excommunicationis, & citatus non comparuisset, tunc, si habuisset iustam causam absentiæ, non esset simpliciter excommunicatus, ea enim censetur Iudicis intentio puniendi duntaxat contumacem; *Arg. l. si seruus decem, in fin. ff. de solut.* ibi, *nec enim hoc egit testator, vt quoquomodo esset datum, expleta videatur conditio* : & qui non est contumax, non debet sentire pœnam contumaciæ: *cap. querelam, de procurator.* ibi *mandamus, quatenus si vobis constiterit, quod Vigoren. Episcopus præfatum A. in restitutione expensarum pro nulla alia rationabili causa condemnauerit, nisi pro eo tantum, quod in termino constituto ad eius præsentiam non accessit infirmitate detentus: cùm non possit quis cogi, nisi velit, in grauibus causis procuratorem constituere, & ipse ad probandum infirmitatem suam Presbyterum, & Diaconum destinauerit, eum absoluere ab eadem sententia minimè differatis.* Immò si Iudex pronunciaret sententiam contra contumacem, probata causa legitima absentiæ, deberet retractari sententia: *cap. cùm Bertoldus, de sent. & re iudic.*

420 Item si Iudex decernat citationem contra eum, quem scit non esse de sua iurisdictione, sub pœna excommunicationis; illumque non comparentem excommunicet: sententia non tenet; quia ille non tenetur venire; secùs si dubium sit: *l. 2. ff. si quis in ius voc. non ier.* & *cap. si duobus, de appellat. Specul. in tit. de citat. §. iam de citatione, nu. 20.* atque si Iudex excommunicaret exemptũ ex eo quod citatus non venisset, sententia esset nulla; etiamsi ignorasset eum esse exemptum; quia talis ignorantia non potest facere eum Iudicem, qui non est; *Specul. d. n. 20. in fin.*

421 In criminalibus etiam potest in monitorijs, seu citationibus imponi pœna reo cõtumaci; *Clar. in §. fin quæst. 31. vers. item quæro nunquid, nu. 6.* vbi dicit, quod in criminalibus reus non potest

citari

citari sub pœna confiscationis omnium bonorũ, & quod pœna cõfiscationis bonorum pro sola contumacia recessit ab aula, ex alleg. per eum.

422 Et in feudalibus citatio continens pęnam publicationis bonorum feudalium, & allodialium, etiam emanata à Principe non tenet respectu feudalium; quando præceptum fit super his, quæ non pertinent ad naturam feudi, sed si fieret ad faciendam recognitionem, vel ad exhibendum seruitium, vel ad præstandum iuramentum fidelitatis, & sic super his, quę pertinent ad naturam feudi valeret: *Natt. conf. 593. nu. 2. lib. 3. & conf. seq. nu. 18.*

423 Et si Rex faciat citare suum Baronem, vt ostendat iura, quæ habet in castris, quę possidet, aliàs auferret sibi ea. talis citatio est nulla: vt not. *Bart. in l. vn. C. de conduct. & procur. siue exactor. lib. 11.* sequitur *Iaf.* in §. *actionum, nu. 202. instit. de act.*

424 Nemo enim cogi potest, vt ostẽdat titulũ suæ possessionis; *l. cogi, C. de pet. hæred.* ibi *cogi possessorem ab eo, qui expetit titulum suæ possessionis dicere, inciuile est; præter eum, qui dicere cogitur, vtrum pro possessore, an pro hærede possideat.*

425 Et tandem in hac materia dicere possumus, quod citatio, siue in criminalibus, siue in ciuilibus non valeat, quando continet pœnam insolitam, citatus enim aliter, quàm secundum stylum, & solitam formam practicandi, non tenetur comparere, nec dicitur contumax. *Natt. conf. 594. nu. 18. & 19. lib. 3.* & dictum est supra *cap. 8. nu. 128.*

Solet præcipi in monitorijs, seu citationibus, vt citatus, monitusue compareat sub pœna ducentorum, vel alterius summæ. Si verò in citatione diceretur sub pœna æris, & personæ, citatio non valeret: *Angel. in l. fin. C. de can. largit. lib. 10. Iaf. in l. 1. §. is videtur, ff. si quis iusdicenti non obtemperauerit, Felin. in cap. ex parte, col. 8. vers. stylus curiæ, de rescr.* & ibi *Dec. in 3. not. Natt. conf. 593. nu. 5. lib. 3.* Item si quis citaretur in ciuilibus sub pœna amissionis causæ, vel in criminalibus, sub pœna confessati criminis, citatio non valeret: *Alex. in l. 1. §. fin. nu. 8. ff. si quis ius dicen. non obtemper. Farinac. de* de-

delict. quaest. 18. n. 36. M. Ant. var. resolut. resol. 28. n. 7. lib. 3.

426 Quando Iudex in comminatione grauat partem, tunc ab eo potest appellari; sed si grauamen reuocaret, appellatione non obstante, posset ad vlteriora in causa procedere; sed posset cessante effectu appellationis vti suspectus recusari, *cap. cùm cessante, de appellat.* ibi *statuimus, vt siue Iudex ordinarius, siue delegatus aliquid comminando, vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium grauaretur; & sano vsus consilio ab huiusmodi interlocutionis, vel comminationis effectu destiterit, liberè in causae cognitione procedat, non obstante si à tali comminatione, vel interlocutione fuerit appellatũ, dummodò non sit ex alia legitima causa suspectus: ne processus negocij friuolis occasionibus retardetur;* vbi *gloss.* not. quod etiam si Iudex proferat parti verba comminatoria; non tamen ob id appellari potest; quia Iudex ex officio suo cõminari debet, nec debet quis statim moueri propter asperitatem verborum: *cap. si quando, de rescript.* ibi, *si quando aliqua tuae fraternitati dirigimus, quae animum tuum exasperare videntur, turbari non debes;* adde *tex.* in *l. si quis ab alio, ff. de re iud.* ibi *neque enim vani timoris vlla aestimatio est.*

Sed aduerte; quia quando Iudex extraiudicialiter comminatur, tunc videtur esse locus recusationi potiùs, quã appellationi; quae enim extra iudicium committuntur, & odium, & inimicitias pariunt, ex quibus Iudex recusatur: *cap. quod suspecti. 3. quaest. 5.* ibi *quod suspecti, & inimici Iudices esse non debeant, & ipsa ratio dictat, & pluribus probatur exemplis.* Sed quando in iudicio, vel iudicialiter Iudex comminatur iniustè, & grauat, tunc locus est appellationi: *cap. vt debitus, de appel. Io. And. in d. cap. cùm cessante. sub nu. 3. vers. sed Host. dicit de appellat.* adde *Franc. ibidem nu. 6.*

DE LOCO IN CITAtione exprimendo.

427 Litigator coram Iudice debet comparere, non Iudex coram litigatore quauis dignitate fulgeret: *l. iubemus, §. fin. C. de Episc. & Cleric.* & propterea necesse est, vt intelligat citatus, ad quem locum

cum venire, & comparere debeat; & quia Iudex ordinarius habet suum Tribunal, in quo ipse, & sui maiores consueuerunt ius reddere; ideò si citat sine expressione loci, intelligitur citare, vt compareat ad suum Tribunal, ad locum maiorum, seu consuetum, in quo ius reddi solet: *Bar. in l. si vt proponis, la 2. C. quom. & quando iud. Doct. in cap. final.* & ibi *Abb. nu. 6. de rescript. Caputaq. decis.* 274. *num. 4. par. 3. Vant. de nullit. ex defect. citat. num.* 61. aliàs si Iudex faceret actum in alio loco, quàm in suo Tribunali consueto, nulliter ageret: *l. cùm sententiam, C. de sent. & interloc. omn. Iud.* cuius verba sunt hæc: *cùm sententiā Præsidis irritam esse dicis: quod non publicè; sed in secreto loco officio eius non præsente sententiam suam dixit: nullum sibi ex his, quæ ab eo decreta sunt, præiudicium generandum esse constat*, vbi *gloss. prima* notat; sententiam latam ab ordinario alibi, quàm in loco maiorum, non valere.

428 Sic etiam si quis citatus fuerit coram Præside Prouinciæ, qui habet Tribunal in tota Prouincia, & in quolibet loco Prouinciæ: *Geminian.* & *alij*, in *cap. si Episcopus, de offic. deleg. lib. 6. Vant. de nullit. ex defectu citat. nu. 64. l. ex omnibus causis*; cū *duabus seqq. ff. de offic. Præsid.* intelligitur citatus in loco certo, vbi consueuit ius reddere, quod si sētentiam ferret in alio loco, sententia non valeret: iuxta tex. in *l. si vt proponis la 2. C. quomod. & quando iud.* vbi dicitur *si, vt proponis, Præses Prouinciæ, cùm certum locum causæ cognoscendæ dedisset, alibi per obreptionem aditus sententiam aduersus te absentem protulit: quod ita gestum est, ad effectum iuris spectare minimè oportet*; Et Præses posset deputare locum in propria Camera adius dicendum: *Bald.* in *dict. l. si vt proponis la 2. C. quom. & quando iud. Marant. part. 6. versic. rectè concipiatur citatio, nu. 64.* & ibi *additio*.

429 Delegatus autem certum Tribunal non habet, & ideò delegans, si non exprimit certum locum, censetur mandare, vt iudicet in loco consueto, & partibus non incommodo: Sic dicitur in *l. si locus, ff. de iudic. si locus in iubendo iudicare non est comprehensus: videtur eo loco iudicare iussisse, quo solet iudicari sine incōmodo litigantiū*.

In

430 In quo autem loco velit iudicare: postquam elegerit, debet illum parti intimare, seu in citatione inserere,& ita illum designare, ne resultet locorum æquiuocatio ad *tex.* in *cap. fin. de rescript.* ibi *aut reus actorem eodem tēpore ad diuersa loca, vel indeterminatè ad Villam, quæ commune cum pluribus eiusdē Prouinciæ Villis habet vocabulum, citari procurat*; aliàs vel nō expresso loco, vel æquiuocè designato, citatio delegati non arctaret ad comparendum: *Alex. conf.71.n.5. lib.7. Marant. d. verf. rectè cōcipiatur citatio, nu.64.* iuncta *additione.*

431 Atque ordinarius si solitus fuisset in duobus locis ius reddere, vtputà ad Tribunal maiorum suorum, & in sala domus suæ, citatio non valeret vno loco non expresso, tanquam incerta, cùm Iudex eodem tempore nequeat duobus in locis sedere: *Roland.cōsil.94. nu.26.lib.2.*

432 Et ideò citatio Iudicis delegati, qualis est etiam Iudex remissoriæ, si sit nimis incerta, & vaga ratione locorum nō valet: *Rota diuers.decis.415. nu.1.par.1.*

433 Et nedum exprimendus est in citatione locus examinis testium; sed etiam locus loci: *Bar. & alij in l.de pupillo, §. qui nunciat, ff. de nou. oper. nunc. Felin. in cap.1. nu.12. de fide instrum. Put.decis.262.lib.1*

Quod est verum, quando ex alijs circumstantijs nō potest intelligi, secùs autē quando locus loci ex præcedentibus actis, aut alijs circumstantijs percipi potest: *Bar. in l. si quis ex argentarijs, §. si initium, nu.27. ff. de eden. Bal.conf.208. num.2.lib.1. Mantic. decis.64. num.1.*

434 Et citatio, quādo expressè fit ad certum locum, non potest ad alium locum extendi: *Felin. in cap.1. nu.22. de iud.*

435 Et facta citatione pro iuramento testium ad certū locum, si testes iurent extra illum parte absente, examen est nullum: *Felin. in cap. in nomine Domini, nu.37. verf. vltimo secùs, de test.lib. Vestr. in praxi lib.6.cap. 2.nu.16. & 20.*& ibi *Addent. nu.53. Rota in Beneuentana decimarum, die 23. Iunij 1600. coram Litta*, apud *Marches. de commiss. parte 3.fol. 102.*

436 Et citatus non reputatur contumax, quando ad aliquē actum

actum fuit citatus ad vnũ locum, qui posteà in alio gestus fuit: *Felin.* in *cap. consuluit, col. 1. de offic. deleg. Bal. in cap. cùm M. col. 4. vers. item nota, de constit. Alex. in l. qui ante, col. fin. ff. de verb. oblig. Rolan. cons. 94. nu. 25. lib. 2.*

437 Neq; etiam valeret citatio facta ad videndũ iurare testes alternatiuè ad hunc, vel ad illũ locum, propter incertitudinem: *Specul. in tit. de citat. §. 1. nu. 12. vers. quid si fiat alternatiuè.*

438 Alternatiua enim regulariter parit incertitudinem, & ambiguitatem: *l. sed etsi ita, ff. de stipulat. seruorum,* ibi *Titio decem, aut Meuio fundum dare spondes? quia incertum est vni eorum acquisierit actionem, idcircò inutilis stipulatio existimanda est.* Et sanè citatus alternatiuè ad vnum, vel alium locum incertus esset, quo loco deberet comparere, cùm electio loci iuris dicẽdi ad Iudicem spectet, non ad citatũ: *Natt. cons. 18. nu. 2. lib. 1.*

439 Et idem esset, si citatio fieret copulatiuè ad vnum, & ad alium locum; quia tunc copulatiua resolueretur in disiũctiuam ratione incompatibilitatis, cùm non possit eodem momento Iudex esse in diuersis locis: *Bart. in l. si is qui ducenta, §. vtrum, ff. de reb. dub. Ruin. cons. 150. col. 2. vol. 5. Rolan. cons. 94. nu. 27. lib. 2.*

440 Cùm autem, vt supra diximus, litigator debeat comparere coram Iudice, non solum sufficit, vt citatus sciat, ad quem locum debeat accedere; sed necesse est, vt vocetur ad locum tutum: *Clem. pastoralis, de re iud.* ibi *nũquid etiam debuit comparere in loco admodum populoso, multum potenti, ac præfato in eum odio prouocato? quis enim auderet, vel qua ratione audere aliquis teneretur concistorij talis subire iudicum; & se in hostium sinu reponere, ac ad mortem per violentã iniuriam, non per iustitiam inferrendam vltroneum se offerre? hæc quidem iure timentur, hæc de more vitantur, hæc humana fugit ratio, hæc abhorret natura. Desiperet igitur, qui citationem huiusmodi saperet arctasse citatum.*

Firma itaque conclusio est, neminem, siue per Iudicem, siue per Principem, siue per Imperatorem posse citari ad locum non tutum, neminemque arctari ad comparendum in loco non tuto: *Soc. de citat. art.*

art.18. Vant. de nullit. ex defect. iurisdict. ordin. nu.165. Marſ. ſing.261. incip. *quotidie, Afflict. deciſ.289.n.24. Rolan. conſ.68. nu.21. lib.2. Clar. §. fin. q.34.* latè *Menoch. conſ.100.l.1. Maſtrill. deciſ.235. num.14. Iacob Laurent. in tract. de Iud. ſuſpecto, cap.10. nu 1. cum ſeqq.* Et ratio euidens eſt, quia citatio fit, vt quis ſe defendere queat, quæ ſi fieret ad locum non tutum, inutilis eſſet, cùm non pateret tutus acceſſus, & ſine mortis periculo accedere citatus non auderet; *cap. accedens, il 2. vt lit. non conteſt.* & Princeps facultatem ſe defendendi, quam natura omnibus animantibus conceſſit, nemini poteſt auferre, vt latiſſimè deduximus ſupra *cap.8.* quibus accedant dicta per *Oldrad. conſil.43. nu.1.*

Sed vt hanc rem clarè, & breuiter explicem, quinque diſcutiēda propono. Primum, quādo quis dicatur citatus ad locum non tutum; ſecundum, an & quando exceptio loci non tuti ſit proponenda; tertium, an à reiectione exceptionis loci non tuti ſit appellandum; quartum, an & quando per ſaluum conductum prędicta exceptio loci non tuti excludatur; quintum, & vltimū, an citatus ad locum nō tutum teneatur comparere, ſaltem per procuratorem.

441 Quantum ad primū, quando quis dicatur citatus ad locum non tutum, certum eſt, quod citatus dicitur quis ad locum non tutum, quando illuc accedere nō poſſet abſque timore necis, vel alterius violentiæ. *l.3. ff. quibus ex cauſ. maior.* ibi *metus autem cauſa abeſſe videtur, qui iuſto timore mortis, vel cruciatus corporis cōterritus, abeſt*; & *l. fulcinius, §. quid ſit autem latitare, ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur,* ibi *poteſt enim quis latitare non turpi de cauſa, veluti qui tyranni crudelitatem timet; aut vim hoſtium; aut domeſticas ſeditiones.*

Quod autem citatus non habeat tutum acceſſum ad locum, ad quem citatur, ex pluribus contingere poteſt.

442 Vel quia ſit rebellis Principis, ad cuius locum citatur: d. *Clem. paſtoralis, de re iudic.* coram quo cùm non poſſet iuſto timore comparere; ſententia lata non valeret: *Bal. in tit. de pace conſtantiæ,* in verbo *ſententiæ quoque, n.1. Ladercb. conſ.94. nu.1.*

443 Vel quia ſit bannitus, relegatus,

gatus, seù exititius eiusdem loci, ad quem citatur: *gloss. in l. de ætate*, in verbo *liceat*, ibi *quia non sit inde relegatus, ff. ad Senat.Consult.Trebell. Bald. vbi supra*.

444 Vel quia timet potentiam citantis: *l.3 ff. de don.caus.mor.* ibi *sed periculi etiam propinquæ mortis ab hoste, vel à prædonibus, vel ab hominis potentis crudelitate, aut odio*.

445 Vel quia citans est amicus inimicorum eiusdem citati, vel eos habet inter familiares: *l. liberi, C. de inoff. testam.* ibi, *vel inimicis eius suas amicitias copulauit*, & *l. sciendum, §. si accusatio, ff. de legation.* ibi *non est compellendus accusator ad eum legationem suscipere, qui se amicum, vel domesticum dicit eius, qui accusatur*.

446 Vel quia in eo loco timet potentiam sui aduersarij: *cap. statutum, §. cùm verò, de rescr. in 6.* ibi *eandem Ciuitatem, vel Diœcesim intrare nō audens, aut sui aduersarij potentiam meritò perhorrescens*.

447 Vel quia ibidem cum alijs ciuibus habet graues inimicitias: *cap. cùm R. de offic. deleg.* ibi *& idem ciuis propter multas, & graues inimicitias Ciuitatis suæ, in tua nequeat præsentia comparere*; & *cap. accedens, il 2. vt lit. non contest.* ibi *nunquam ei voluerunt, nisi in terra inimicorum suorum, locum, & terminum assignare, vbi sine mortis periculo accedere nō audebat*.

448 Vel quia habet inimicitias graues in locis, per quæ, necessario deberet transire: *l.4. ff. de donat. caus. mort.* ibi *aut per insidiosa loca iturus*; *cap. de cætero, de sent. excom.* ibi *si habet capitales inimicitias, quibus ab itinere rationabiliter excusetur. d. cap. accedens, il 2. vt lit. non contest.* ibi *nec ipsi per districtū ipsius patea: accessus ad eos*.

449 Vel quando non esset tutus accessus propter guerras, hostilitates, & hostium incursus, cùm bella, & hostilitates iustè timeantur: *d. Clem. pastoralis, de re iud.*

450 Vel quando citatur ad locum morbosum, seu pestiferum: *cap. negociatorem*, ibi *quasi quandam pestem fuge 88. distinct. Rolan. cons. 81. num. 31. lib. 1.* seù ad locum mali aeris: *cap. ad supplicationem, de renunciat.* ibi *duximus absoluendum, eo quod ibi non poterat securè morari; & si accessum haberet ad illum, mortis sibi periculum imminebat*; vbi *gloss.* exem-

exemplificat, *forsitan propter intemperiem aeris*; & *gloss.* in *cap. communis filius*, in verbo *suorum 23. distinct.* ibi: *item nota, quod propter intemperiem loci aliquis excusatur*, & *tex.* est in *cap. quorundam 74. dist.* ibi *ita nimia tristitia, & loci qualitate vehementer afflictũ, vt vitã sibi pœnã existimet; & cõtritionis suæ fugam quærit auxiliũ.*

Et ad effectũ, vt citatus excusetur, satis esset, si à peritis diceretur aërẽ esse corruptũ: nemo enim tenetur se cõmittere periculo, nec cõfidere cõplexioni: *Felin. in cap. accedens, il 2. n. 11. concl. 6. vt lit. non cõtest.* & in *cap. ex transmissa, n. 3. vers. considera quinto, de præscr.*

Et vt dicitur in *cap. quæritur, 22. quæst. 2. Nemo debet tentare Deũ suum, dũ habet, quod rationabili consilio faciat; fecit quod potuit, quod nõ potuit Deo cõmisit, in quem sperauit*; Et idẽ dicitur in *cap. si nulla, 23. q. 8.* ibi *ne videlicet Deũ videatur homo tentare, si habet quod faciat, & suæ, ac aliorũ saluti nõ procurat.*

451 Sed quid de æstiuo calore? dic quod nõ excusat, iux. *tex.* in *cap. cũ dilecti, in fin. de dol. & contum.* ibi, *vtcunq; excusauerat moram suam & calores æstiuos formidabat*, vbi *gloss.* in verbo *calores* refert vulgatũ carmen.

Nos genus ignauũ tecto gaudemus, & vmbra.

Et notat, quod mensis Augusti non excusat, quin teneatur quis prosequi appellationem ad Curiam.

Verumtamen est, quod aliquibus populis periculosum est tempore æstiuo ad aliqua loca accedere, cuius rei duplex exemplum adduco: primũ de Ciuitate Neapolis, ad quam Brutij, nõ sine periculo vitæ, vt experiẽtia docuit, accedebant: & ideò Regijs cõstitutionibus illis indultũ est, ne teneãtur de mense Augusti, & Septembris cõparere in Tribunalibus Neapolitanæ Ciuitatis; sed possint excipere de aëris intẽperie: *Foller. in prax. crim. par. 1. 2. par.* in verbo *audiantur excusatores. Viu. decis. 323. n. 17. par. 2. Iacob de Laurent. de Iud. suspect. cap. 13. n. 10*

452 Alterum de Ciuitate Romana, ad quam Gallis, & Vltramontanis æstiuo tempore peruenire periculosum fuisse, iamdiù compertũ est; & ideò si aliquis Vltramontanus iuraret se Romæ moraturum, non teneretur de mense Augusti, propter periculum vitæ: *gloss. in cap. si verò*, in verbo *sa-*

 lutis

lutis æternæ, de iur.iur. ibi *putà si aliquis Vltramontanus, siue Gallicus, iurat se moraturum Romæ in augusto, occasione talis iuramenti posset vita temporalis adimi, si tunc Romæ moraretur.*

Sed generaliter dicit altera *gloss.* in *cap. qualiter*, in verbo *quadriennio 7. quæst.1. Romæ non est sanum morari*. Et quod hoc proueniat ex cloacarum numerositate, & immunditia, deducitur ex *l. vn. ff. de cloac.* ibi *curauit autem Prætor per hæc interdicta, vt cloacæ purgentur, & reficiantur; quorum vtrunque ad salubritatem Ciuitatum, & ad tutelam pertinet; nam & Cœlum pestilens, & minas minantur immunditiæ cloacarum, idest si non reficiantur*; vnde dicit *Ripa* in *tract. de peste, tit. de præseruatiuis remedijs, n.51.* quod donec Roma cloacis vsa est, sanum fuit, & salubre ibi habitare: Antiqui enim Romani maximam cloacarum curã habebant; sed postquam Roma cloacis caret, periculosum est ibi habitare; sed hoc nostris temporibus ob maximam Pontificum curam nequaquam experimur.

453 Vel tandem, quia quis citatur ad locum inhonestum: *l. si cum dies, §. si arbiter, ff. de recept. arbitr.* ibi, *sed si in aliquem locum inhonestum adesse iusserit, putà in popina, vel in lupanari, vt Iulianus ait, sine dubio impune ei non parebitur:* adde *Bart.* in *repet.l.2. nu.8. ff. si quis in ius voc. non ierit.*

454 Quantum ad secundum, an, & quando exceptio loci non tuti sit proponenda, distinguendum est, aut notoriũ est, locum non esse tutum, aut non: *Vant. de nullit. sententia ex defectu iurisdictionis, nu. 166.* tũc autem dicitur locus notoriè nõ tutus, quando impedimentũ prouenit ex causa generali, videlicet ex causa pestis, aëris infecti, belli, & publici banni; at quando impedimentũ prouenit ex causa particulari, nempè ex causa inimicitiarum, & hostium inincursionis; tunc locus non dicitur notoriè non tutus: addicta per *Dec. in cap. ex parte, il 2. de appellat. nu. 1. & seqq.* & per *Menoch. cons. 100. nu. 204.* Itaque quando quis citatur ad locum pestis, aërisue infecti, vel belli, vel banni; citatio ipso iure est nulla, absque alia missione excusatoris, vel propositione exceptionis loci non tuti: d. *Clem. pastoralis, vers. notorium, de re iud. Afflict. decis.*

29.nu.3.Vant.de nullit.sent.ex defect. iurisdict.n.166.Innoc.in cap.2.nu.3.de dilat.Bar.in l.fin. ff. de restit.in integr.nu.8.& 9.

Quando verò quis citatur ad locum non tutum propter inimicitias, vel hostium incursiones; tunc debet exceptio loci non tuti allegari per excusatorem, & probari etiam cum protestatione, quod stantibus impedimentis ad vlteriora non procedatur: *Franc. in cap. ex parte, il 1. de appell. Abb. in cap. 2. de procurat. Felin. in cap. accedens, il 2. vers. septima cõclusio, vt lit. nõ contest. Vant. d.n.166. Dec. in d.cap. ex parte, Menoch. cons.100.n.204*

455 Quæ exceptio loci non tuti, licet sit dilatoria, tamen quãdocunque potest opponi, etiam post litis contestationẽ; quia continet grauamen successiuum, non autem momentaneum: *Felin. in d. cap. accedens, il 2. num.13. vt lit. non cõtest. Gail. obseru. 52.n.3.lib.1.*

456 Adde, quod non sufficit, si excusator excipiat de loco non tuto, seù impedimento; nisi etiam probet adhibitam fuisse diligentiam pro eo remouendo, vtputà, quod citatus ingressus fuerit iter, & vi tempestatis fluminis, vel incursu militum, seù insidijs hostium non potuerit vlterius progredi: *Bar. in l.2.§.quod diximus, num.2. ff. si quis caut. Vant. de nullitat. sent. ex defect. iurisdict. d. nu.166. Boer. decis. 40. nu. 4.*

457 Ratio est, quia impedimẽtum debet esse necessarium, & ineuitabile, ad hoc, vt prosit: aliàs si potuisset aliquo pacto euitari, non prodesset; non enim dicitur impeditus, qui de facili potest impedimentum remouere, & qui non agit, vt impedimentum remoueatur, dicitur illud velle, & pati: *Bald. in l. sed etsi, §.1. ff. ex quibus causis maior*, & in *l. quibus diebus*, in princ. *ff. de condit. & demonstrat. Dec. cons. 677.n.3.lib.4.* & qui vult excusari propter impedimentũ, debet probare nedùm impedimentum, sed etiam diligentiã pro eo remouendo: *Felin. in cap. ex transmissa*, in princ. *de præscript.* cum alijs per *Greg. decis.501.nu.1.* qui *sub n.2.* ait quod talis probatio debet esse clara, & liquida, vt in decisionibus per eum relatis.

458 Cæterũ, an exceptio loci non tuti probari debeat testibus, vel solo iuramento, cõtrouersia est inter Doctores; qui ta-

tamen pro maiori parte cõsẽtiunt; relinquendum fore arbitrio Iudicis, qui considerata qualitate personæ, & impedimenti, & alijs circumstantijs quandoq; requiret plenã probationem, quandoq; semiplenam, & quandoq; solũ iuramẽtum: euenit enim sæpè, vt impedimenta occursa in remotis regionibus probari nequeant; vel testibus, vel instrumentis; adeò, vt prudentia, & arbitrio Iudicis opus sit; *Guid pp. q. 64. nu. 1.* & ibi *Adden. Menoch. de arbitr. Iud. cas. 118. per tot.*

459 Excusator regulariter dicitur ille, qui nõ proponit ius, seù defensiones citati; sed proponit factũ, seu solam causam, propter quã citatus nõ potest comparere: vtputà absentiã, infirmitatem, carcerationem, & locum non tutũ; & ideò admittitur excusator sine mãdato; quia huiusmodi exceptiones, quæ consistunt in facto, & tendunt ad excusationem nõ comparentis, potest quilibet proponere etiam sine mãdato, & absq; satisdatione, alias verò exceptiones, quę concernunt ius, & defensionẽ citati, vtputà declinatoriam fori, non potest opponere, nisi procurator cũ mandato: *l. pen. §. ad crimen, ff. de publ. iud.* ibi *ad crimẽ iudicij publici prosequẽdũ frustrà pro curator interuenit, multòq; magis ad defendendũ; sed excusationes absentiũ ex Senatuscõsulto Iudicibus allegantur;* & si iustã rationẽ habent, sententiã differunt, & ibi latè not. *Bar.* & post alios, *Clar. in § fin. q. 33. in prin.* & *vers. sed nunquid excusator.* iũctis alijs duobus vers. seqq.

460 Quantum ad 3. ap. à reiectione exceptionis loci nõ tuti sit appellandũ, dicendũ est, quòd si locus est notoriè nõ tutus, citatio ipso iure nõ teneret. etiã absq; alia allegatione, vel appellatione, nec fit cõtumax; iux. *tex. in d. Clem. pastoralis, §. notorium, de re iud. Innoc. in c. 2 de dilat.* cũ alijs per *Rolan. cõs. 68. lib. 2. nu. 21. 22. & 29.* sed quando locus non est notoriè nõ tutus, tunc si exceptio loci non tuti proposita reijciatur, potest appellari: *Bar. in l. recusare, §. si quis alio, in fin. ff. ad Trebel.* & est *tex. in cap. ex parte, il 1. de appellat.* ibi *tu, vel tui, quoties ad illos Iudices vos euocari contigerit ad quorum præsentiã vobis periculosum est ire, liberè poteritis appellare, etiãsi in litteris cõmissionis appellationis fuerit remedium interclusum; nisi vobis assignent locum idoneum*

neum, & securum; atque quod citatus ad locum non tutum possit appellare, etsi non petat locum securum: dixit *Rot. in antiq. decis. 5. de dol. & contum.* Et quoties quis est citatus ad locũ non tutum, toties poterit appellare, licet prima, vel secunda vice nõ appellauerit; quia hoc grauamen reiteratur, & successiuum est; & à grauamine successiuo semper appellatur: *Abb. in d. c. ex parte, il 1. de appell.* & ibi *Dec. nu. 3.*

461 Quantũ ad 4. an per saluũ cõductũ tollatur exceptio loci non tuti, considerandũ est, quod si locus non sit tutus, vel quia morbosus, vel inhonestus nemo est, qui saluum cõductũ dare queat; sed solum quando locus nõ est tutus, vel ratione rebellionis, & banni, vel ratione inimicitiarum, vel ratione belli, vel hostium incursus.

Itaq; si rebellis Principis, vel bannitus, seù expulsus à Ciuitate citetur pro nouo delicto, & ei offeratur saluus cõductus ab eo, cuius est rebellis, vel à Ciuitate, à qua fuit expulsus, seù bãnitus, nihilominus quod non arctetur ad cõparendum: est *tex. in 1. reg. cap. 24.* circa finem, ibi *quis enim, cùm inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona.*

Referunt Historici, quod Alphõsus Tarracõẽsis quendã odio prosequebatur, eumq; cũ ad se fraude quãdã adduxisset data fide, prꝗstitoq; iuramẽto, mox eũ morti tradidit, & quasi par pari referens, hoc argumẽto eum delusit, cùm mihi fidẽ sæpissimè fefelleris, si semel, quod pactus sũ, nõ obseruem, iniquo animo pati non debes.

Quo exemplo benè cõprobatur dictum Imperatoris in *§. nouissimè, instit. de suspect. tut. vel curat.* ibi *satisdatio propositum maleuolum non mutat.*

Et Põtifex rectè admonuit, non esse credendũ huiusmodi inimicorũ promissionibus, in *cap. accedens, il 2. vt lit. nõ cõtest.* ibi, *& licet litteras nõ habuerit de cõductu: si tamen missæ ei fuissẽt, nõ debebat se credere suis capitalibus inimicis*; & vt legitur in *c. 1. 22. q. 2. in dolo iurat. qui aliter facturus est, quã promittit.*

462 Re vera saluus conductus per Principes datus deberet omninò obseruari omni procul cauillatione, & tergiuersatione: *l. 1. ff. de pactis*, ibi *quid enim tàm congruum est fidei humanæ, quàm ea, quæ placuerunt seruare.* & *l. conuentionum ff. de pactis*, ibi *publica conuentio*

alio delicto post bannum sibi imputato, vel vt confrõtetur cum alio bannito carcerato, vel vt alios trãsfugas detegat, vt post alios explicat *Menoch. de arbitr. Iud. cas. 337. nu. 2.*

465 Tertia est ratio, quod liceat Principi, & Iudici, ne delicta maneant impunita, dissimulare, & cauillari, vt delinquentem debitæ pœnæ subijciant; & promittere delinquẽti impunitatem, si delictum confiteatur, & eundem posteà confessum condemnare; vtilis enim est dissimulatio, & in tẽpore assumẽda: *cap. vtilem 22. q. 2.* vbi ponuntur duo exempla, vnũ de Iehu Regis Israel, qui vt legitur *4. Reg. cap. 10.* cùm non potuisset interficere Sacerdotes Baal, nisi finxisset velle Idolum colere, dixit cõgregate mihi omnes Sacerdotes Baal; si enim Rex Achab seruiuit Baal in paucis, ego seruiam ei in multis. Alterum Dauidis, qui vt legitur *1. Reg. cap. 21.* mutauit faciem suam coram Abimelech, & dimisit eum, & abijt.

Et quod Iudex, Principesue ad eruendam veritatem possit partes tentare, aliquid asserendo: adducitur exemplũ de Salomone, vt per *gloss.* in *cap. afferte*, in verbo *ait*, *de præsumpt.* ibi *scilicet Rex Salomon, sed non diffiniendo, sed potiùs tentando causa inquirendi veritatem*; vt enim legitur *3. Reg.* & refertur in eodẽ *cap. afferte*, dixit Rex Salomõ, *Afferte mihi gladiũ, cùmq; attulissent, ait; diuidite infantem viuum, & date dimidiam vni, & dimidiam partem alteri:* Rex non diffiniuit, sed tentauit affectũ vnius, & alterius, vt, cuius viscera commouerẽtur, cognosceret matrem: tunc enim, vt subiungitur in textu; *Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus ad Regem, commota sunt quippè viscera eius super filio suo, obsecro Domine, date illi infantem viuum, & non occidatur. E contrario alia dicebat, nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur. Respondit Rex, & ait; date huic infantem viuum, & non occidatur; hæc est enim mater eius.*

Adducitur aliud exemplũ de Alexãdro IV. qui promisit impunitatem, & dispensationem cuidam Episcopo simoniaco, & secretè confesso: si idem cõfiteretur coram Cardinalibus; quod cùm fecisset, deposuit eum: vt per *Archid.* in *d. cap. vtilem 22. quæst. 2.* qui

ibidem *nu.* 8. notat, quod excusatur quis de dolo adhibito propter vtilitatem indè sequentem.

Cæterum neque hæc ratio subsistit, quia damnari non potest, nisi quis sponte, non autem dolo inductus, cõfiteatur: *cap.* 1. 2. *quæst.* 1. vbi dicitur, ***Nos in quenquam sententiã ferre non possumus, nisi aut conuictum, aut spontè confessum***, vbi *glossa* notat, quod si quis metu tormentorũ aliquid cõfiteatur dum est in carcere, tali confessioni non statur; nisi post tormenta in confessione perseueret: & dicitur in *l.* 1. §. *si quis vltrò, ff. de quæst. si quis vltrò, de maleficio fateatur: non semper ei fides habenda est; nonnunquam enim aut metu, aut aliqua alia de causa in se confitentur*.

466 Et propterea in hoc Doctores tria firmare videntur; vnum, quod quidquid fit in foro contentioso, In foro tamen conscientiæ non est licitum cauillari, & dolosè inducere reum ad confitendum. Alterum, quod Iudex nõ potest reum ex huiusmodi confessione extorta condemnare, nisi eam iterum ratificasset: *Doct. in d. cap. afferte, de præsumpt.* & in *d. cap. accedens, il* 2. vbi *Felin. n.* 3. *vt lit. nõ contest. Dec.* post alios in *l. ea est natura, ff. de reg. iur. num.* 6. & 7. cum alijs ibidem per *Addentes* cumulatis.

467 Postremum est, quod saluus conductus concessus, siue per Iudicem, siue per Principem debet obseruari, siue de iure concedendus esset, siue non: cùm nemo debeat decipi sub fide publica: *Cagnol.* qui plures allegat in d. *l. ea est natura, ff. de reg. iur. nu.* 7. *Franc. March. decis.* 68. *num.* 3. *par.* 2. *Menoch.* latè, *de arbitr. Iud. cas.* 336. *nu.* 33.

468 Sed strictè ad rem nostrã, an, & quando citatus ad locũ non tutum teneatur comparere sub saluo conductu. dic, quod citatus à Principe, cuius est rebellis, seù à Iudice sibi inimico, vel ad Ciuitatem, à quà fuit expulsus, vel vbi habet inimicos valdè potentes, non tenetur comparere, etiam dato sibi saluo conductu, & data etiam per inimicos cautione de non offendendo; quia quando agitur de periculo capitali non tenetur quis credere inimico, nec litteris salui conductus, nec fragili cautioni, quæ propositum maleuolum

lum nõ mutat, iuxta præmissa: *Pelin.* in dict. *cap. accedens, il 2. nu. 2. vt lit. non contest. Clar. in in praxi crim. §. fin. quæst. 34. vers. allegatur etiam.*

Sed si citaretur ad locum non tutũ, nõ propter inimicitias, vel cum Principe, vel cũ Iudice, vel cum Potentibus, sed quia esset bãnitus propter delictum, cuius ratione inimicitia cum Principe, vel Iudice, non posset considerari, teneretur sub saluo conductu, concesso ratione primæ condemnationis, comparere ad se defendendum pro secundo delicto: *Bar. in l. is qui reus, nu. 12. ff. de publ. iud.*

469 Qui saluus conductus, siue per Principem, siue per Iudicem nõ potest denegari, aliàs esset tollere defensionem: *Bar. ibidem. Clar. d. §. fin. quæst. 32. vers. tu scis.*

470 Si verò citaretur ad locũ tutum; sed locus, per quem necessariò deberet transire, nõ esset tutus, propter guerras, teneretur comparere, & impetrare saluum conductum à Principe illius loci, seù à Ducibus: sic respondit *Rota in nou. decis. 12. de dol. & contum.* Quod licet guerræ, & inimicitiæ capitales, & personales, quem fortè à personali comparitione excusarent, tamen generales guerræ patriæ non excusant, præsertim si detur, & probetur, quod tales personaliter citati cũ litteris saluiconductus Principis illius Patriæ, vel inimicorum guerram facientium possent venire, & illas obtinere, sicut aliàs obtinuerunt, & cum illis ad Curiam illorum, vel aliorũ Principum transierunt: *Boer. decis. 40. sub nu. 1.*

Hic non omitto, quod notat *ibidẽ Boer.* videlicet vitam hominis regulari altero ex tribus modis, quia viuunt homines, aut in pace, aut in bello, aut in tregua, Tẽpus pacis cõsistit in lenitate, & libertatis tranquillitate, ac rerum, & personarum securitate. Tempus guerræ consistit in calamitate; quoniam homines inuicem se lacessunt, & deprædantur. Tempus verò treguæ est medium, seù dubiũ inter pacem, & guerram: & potiùs dici potest Tempus guerræ, quàm pacis, ex iuribus per eum allegatis.

Similiter si locus, per quem transire deberet citatus, non esset tutus, propter inimicitias particulares deberet compa-

parere, & prius à Iudice loci requirere, vt vel ipsũ associari faceret, vel vt cõpelleret inimicos eius ad præstandum fideiussionem de non offendendo: *Bal. in l. data opera, C. qui accus. non poss. Bar. in l. illicitas, §. ne potentiores, nu. 1. ff. de offic. Præsid. Socc. de citat. artic. 18. 5. quæst. nu.* 10. aut si fortè posset per alia loca etiam remotiora, tuta tamen, deberet transire, & iter facere: *Soc. d. quæst. 5. nu. 6. vers. Item non solum debet esse securus, Boer. dict. decis. 40. nu. 10.* Sic Magi, responso accepto in somnis ne redirẽt ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in Regionem suam: vt in *Euangel. Matth. cap. 2.* & est *tex.* in *l. 2. §. penult. ff. si quis caut.* ibi, *aut quid si tempestas quidem in mari fuit, terra autem iste potuit venire, vel flumen circuisse; aquè dicendum est, non semper exceptionem prodesse; nisi angustiæ non patiebantur terra iter metiri, vel circuire.*

471 Impetrans saluum conductum, ne decipiatur tria cauere debet. Primo, vt illum publicari faciat in loco, ex quo bannitus est, ne vigore eiusdẽ banni offenderetur: *Boss. in praxi crim. tit. de citat. nu. 36.* Occidens enim bannitum affidatum, qui suã securitatem nõ publicauit, itaut verè affidatus ignoraretur, non punitur: *Bellus in tract. de re milit. par. 9. tit. de saluis conductis, num. 11. Menoch. de arbit. Iud. cas. 337. num. 9.*

Secundo cauere debet, vt quando debet impetrare saluũ conductum à Principe, nõ sat habeat illũ impetrasse à Iudice, vtpotè quando delictum est atrox, vel cõdemnatio fuit facta à Principe: *Menoch. de arbitr. Iud. d. cas. 337. num. 10.* Subiungens, quod inferior à Principe potest dare securitatem bannito, quando à se ipso, vel suo antecessore in officio fuit bannitus, secus si ab alio eius superiore, vel Principe.

Hinc, vt refert *Afflict. dec. 4.* Aduocatus Fiscalis sine speciali mandato D. Regis concessit saluum conductum cuidam rebelli Regis pro certis negocijs tangentibus Fiscum Regium, fuit decisum in Concilio Neapolitano, illi rebelli fidantiam non prodesse; tum ob criminis atrocitatem, tum quia inferior non potest contra factum Superioris dispensare.

Et testatur *Cagnol.* in dicta

l. ea

l. ea est natura, nu. 18. *ff. de reg. iur.* vidisse alias factum saluum conductum per Senatum sui Principis, sub nomine eiusdẽ Principis, cuidam insigni latroni, & seditioso; qui sub fiducia ipsius securitatis datæ venit in Ciuitatem Taurini, vbi captus fuit, & in continenti traditus iustitiæ saluo conductu ad collum eius appenso; subiungens ita visum illustri Cancellario tunc existenti, quod tamen factum, vt ait, multi damnabant.

Tandem cauere debet, vt saluus cõductus sit conceptus verbis claris, & apertis; non autem dubijs, & amphibologicis; ne aliàs contra ipsum strictè, minusque benignè cõtingeret interpretari. Retulit Iulius Ferrettus in tract. de gabellis, & publicanis, *nu.* 95. Leonem Decimum, cùm ad se euocasset Io. Paulum Balleonũ concesso saluo conductu, vt posset ad eum tutè venire; iussit illi caput amputari, interpretans securitatem datam, vt posset accedere tutè, non autem recedere, cuius dicti alij etiam Doctores meminerunt. Quod factum si verum fuisset, illud enim controuertit *Menoch. consil.* 100. *nu.* 224. durior fuisset interpretatio; quia saluus conductus concessus simpliciter, vt ire possit, intelligitur etiam, vt possit redire, non enim venit securè ille, qui nõ potest recedere: *Bar.* in *l. vltimur, ff. de sepulchr. viol. Abb. in cap. ego, de iure iur. n.* 5. *circa med. Felin. in cap. vlt. num.* 1. *de treug. & pace*, & priuilegium concessum euntibus ad nundinas, ne gabellas soluant, intelligitur etiam pro redeuntibus: *Alex. cons.* 46. *lib.* 2. *Gozad. cons.* 27. *nu.* 23. *Ferret. d. tract. de gabellis, & publican. nu.* 95. *Menoch. de arbitr. Iud. cas.* 136. *num.* 12.

472 Quantum ad quintum, & vltimum, an citatus ad locum non tutum teneatur comparere, saltem per procuratorem. Dico breuiter, si rebellis, vel bannitus, qui vt supra per se accedere non tenetur: *l. de ætate, ff. ad Trebell. cap. accedens, il* 2. *vt lit. non contest.* citatur ad locum non tutum pro alio delicto, non tenetur mittere procuratorem; quia in causa criminali non admittitur procurator: *d. l. pen. §. ad crimen, ff. de publ. Iud.* quam conclusionem latè declarat *Clar. §. fin. quæst.* 32. *per tot.* Et quatenus admitteretur, non posset cita-

citatus, vti odiosus Principi, & Ciuitati reperire procuratorem, qui auderet comparere pro illo, & eius causam audacter defendere: d. *Clem. pastoralis, de re iud. Bal. in feudis, tit. de pace constantiæ*, in verbo *sententiæ quoque, nu.* 1. *Ladercb. d. cons. 94. nu.* 1. Si verò citarentur ciuiliter pro debito, neque tenerentur procuratorem cõstituere, quia cõtra rebelles, & bãnitos, quibus bona adêpta sunt, & confiscata; iudicium non potest consistere: *Bal. in d. verbo sententiæ, num.* 2. cùm tanquam nudi exulare videantur: *l. tutelas*, §. *fin. ff. de capit. dimin.* ibi *cùm amissa est Ciuitas, nulla restitutionis æquitas est aduersus eum, qui amissis bonis, & Ciuitate relicta nudus exulat*, cùmque loco mortuorum habeantur: *l.* 1. §. *fin. ff. de bon. poss. cõtra tab.* ibi *deportatos enim mortuorum loco habendos*.

1 At si alter bannitus, non rebellis Principis, nec hostis patriæ, citaretur ad locũ banni pro alio delicto, teneretur, vt supra diximus, personaliter comparere, non autem posset mittere procuratorem; quia vbi agitur de crimine, vt veritas habeatur, requiritur præsentia personæ: nam vt dicitur in *l. de minore*, §. *plurimum quoque, ff. de quæst. plurimum quoque in excutienda veritate, etiam vox ipsa, & cognitionis subtilis diligentia, affert: nam & sermone, & ex eo, quo quis constantia, qua trepidatione quid diceret; vel cuius æstimationis quisque in Ciuitate sua est: quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt*.

Quod si citaretur pro debito posset procuratorem mittere, cùm in ciuilibus liceat cuilibet, vel per se, vel per procuratorem litigare; §. 1. *instit. de ijs, per quos ag. poss.*

Si verò quis citatur ad locum pestis, vel mali aëris, sicut iuxta prædicta non tenetur per se comparere; ita nec per procuratorem: Si enim mitteret procuratorem eodẽ modo locus non esset tutus procuratori, sicut nec principali: *l. de ætate, ff. ad Trebell.* cũ alijs per *Menocb. d. cons.* 100. *nu.* 201. Et locus debet esse tutus, non solum quoad partem citatam; sed etiam quoad eius Aduocatũ, & Procuratorem, aliasque personas interesse habentes, nec nõ quoad testes examinandos, cùm locus iudicij debeat omnibus esse tutus: *cap. ex parte, il* 1. & ibi

ibi *gloss.* in verbo *periculosum*, & ibidem *Franc.de appell.Gail. obseru.52. nu.9. lib.1.*

Nec obstaret, quod quis se obligasset; vt in illo loco, seù vbique locorum posset côueniri: nàm si locus non erit tutus, obligatio erit nulla: *Felin.* in d. *cap.accedens*, il 2.*nu.3. vt lit.non contest. Marsin l.de vno quaque,n.179.ff.de re iud.Gail. d.obseru.52.nu.10.lib.1.* si verò cõstitueret procuratorem degẽtem in eodem loco, vel pestis, vel mali aëris, tunc censeretur locus tutus procuratori, licet non principali; sed si causa esset grauis, non teneretur constituere procuratorem; sequs si causa esset leuis, iuxta distinctionem: *Soccin. in tract. de citat. art.*18. *quast.*5. *num.6. vers.aut locus est tutus, circà finem*, & ita videntur intelligenda, quæ dixit *Abb.* in *cap.ex parte, il 2.nu.5.de appel. & Angel. in sua disputat. incip. Bononiẽsis quidam.in quarto dubio, & Menoch dict. conf.*100. *nu.*201. & 205.

DE TEMPORE IN citatione exprimendo.

473 Parum esset, quod citatus sciret coram quo, & ad cuius instantiam, & ad quid, & ad quem locum vocaretur; nisi etiam intelligeret, quo tempore deberet comparere. verum quia nedũ quod expressum est, sed etiam quod tacitè inest intelligimus: *l. cùm quid, ff. si cert. pet.* Ideò inter Doctores contigit dubitari, an citatio sine expressione termini sit nulla, an verò sustineatur pro tempore cõgruo, quasi sub intellecto, quæ visa est difficilis, & intricata: vt per *Soc.* in *tract.de citat.art.* 19.*q.6. nu.*17. *Boer.decis.*235. *Vant.de nullit. ex defect. citat. num.*71. *Grauat. ad Vestr.lib.*4. *cap.*2. *lit.6. num.*11. quam nolo sine aliqua discussione prætermittere.

474 Notauit *Bar.* in *l. liber homo, §. decem hodie, ff. de verb. oblig.* quod terminus, quando est incertus, non valet, & sententia exinde lata est nulla: & in *l.qui ante Kalendas*, *nu.*5. *in fine, ff. eodem, de verb. oblig.* admonet, quod reus volens probare, debet facere citari actorem, vt veniat ad videndum testium iuramenta, & articulorũ productiones, quia, vt inquit ipse, ego actor benè scio, quod tu posses probare intra octo dies; sed nescio qua die, vel hora hoc facias; &

ideò

ideò, nisi mihi dies, & hora denuncietur, non imputatur mihi. Et super *constitutione ad reprimendum*, in verbo *per edictum*, *nu.* 5. notat, quod in citatione per edictũ debet poni terminus congruus, vt possit venire in notitiam citati, vt possit posteà ad locum citationis comparere.

475 Et quod citatio sine appositione termini, tanquam incerta, non arctet citatum ad comparendum, deducitur ex pluribus iuribus: Et primo ex *l. aut qui aliter*, §. 1. *ff. quod vi, aut clam*, ibi *debebit enim, & diem, & horam denunciatione complecti, & vbi, & quod opus facturus sit: neque tàm arctare aduersarium, vt intra diem occurrere ad probibendum non possit*.

Secundo, ex *l. fin.* § *sin verò, C. de iure dominij impetrando* ibi *quatenus ille eum requisierit certo tẽpore, super hoc ab eo statuendo, vt fiat debitori manifestum per apparitionem Iudicis, quod à creditore petitum est; & certum tempus statuatur*.

Tertio, ex *l.* 2. *C. vbi in rem actio*, ibi *debet statim in iudicio dominum nominare, vt siue in eadem Ciuitate degat, siue in agro, siue in alia prouincia sit, certo dierum spacio à Iudice finiendo, eoque ad notitiam eius perducendo, vel ipse in locis, in quibus prædium situm est perueniens, vel procuratorem mittens, actoris intẽtiones excipiat*.

Quarto, ex *l. consentaneum*, *C. quom. & quando Iud.* ibi *consentaneum iuri fuit, temporibus ad præsentiã partis aduersæ præscriptis, Præsidem prouinciæ, impleta iuris solemnitate, & aduersario tuo, trinis litteris, vel vno pro omnibus peremptorio edicto, vt præsentiam sui faceret commonefacto: si in eadem contumacia perseuerauerit, præsentis allegationis audire, quod vel successor eius facere curabit*.

Quinto, ex *Clem.* 1. *de Iud.* ibi *sic valeant, atque arctent citatos post lapsum terminũ, quem, considerata distantia locorum, citationibus ipsis apponi cõuenit competentem, ac si ad eos personaliter deuenissent*.

476 Cõtradicit *Speculator lib.* 2 *par.* 1. *tit. de citat.* §. *sequitur, vers. quid si non præfixeris diem certam, num.* 20. dicens, quod non præfixo termino in citatione, debet citatus venire infra tamen modicum tempus, quod tamen est cũ quodam tẽperamento intelligendum, & hoc ne contemnens, sed

ſed potiùs obediens videatur illud enim certò certius eſſe ſubiungit, quod nemo præciſè citari poteſt, ſed ſub modo præſcripto, ſcilicet ſi vult cōparere, & refert ſe ita in Curia obſeruaſſe, licet quidam Aduocati coram eo defendere niſi fuiſſent, quod nullo modo teneretur comparere citatus ſine appoſitione termini.

Accedit *Bald.* in *l. 2. num. 7. C. de annali except.* dicēs, quod in citatione expectatoria, ſi nullus terminus præfigatur, tamen arctatur citatus ad cōparendum, & dicit eſſe caſum in *cap. eos qui, §. fin. de ſent. excom. in 6.* ſubdens non obſtare iura in contrarium allegata, quia non loquuntur in citatione ſimpliciter expectatoria.

Putat *Alex.* in *d. l. liber homo, §. decem hodie, num. 5. ff. de verb. obligat.* quod licet paſſus videatur dubius, tamen opinio Speculatoris ſit indiſtinctè vera, quam dicit tenuiſſe omnes Canoniſtas communiter, quod citatus ſine termino debeat comparere intra modicum tempus, ideſt quamprimum poterit ſine magno incommodo; & reſpondet ad iura in contrarium allegata, quod licet faciant mētionem de certa dilatione ſtatuenda, nō tamen negant, quin etiam valeat, licet ſine die actus factus ſit, & ad *l. aut qui aliter*, reſponderi poſſe dicit ſecundum *Imol. in l. qui ante Kalendas, ff. de verb. oblig.* quod aliud eſt in citatione, quæ Iudicis auctoritate fit, quæ magis arctat, quàm nunciatio noui operis, de qua illa lex loquitur. Nàm in Iudice veriſimile eſt, quod volet expedire, quàm citiùs poterit, cùm hoc officio eius incumbat: *l. properandum, C. de iud. cap. fin. de dol. & contum.* Sed non eſt ſic veriſimile, quod pars voluerit facere opus cùm primū poterit, quia illud à mera ipſius voluntate pendet.

477 Ommiſſis alijs, *Felin. in cap. conſuluit, de offic. deleg. ſub nu. 5.* dicit, quod valet citatio ſine termino, & quod hoc cōmuniter tenetur per omnes, & intelligitur, quàm citò commodè poteſt. Deducitur pariter hæc opinio ex pluribus.

Et primo, ex *cap. eos qui, de ſentent. excomm. in 6.* ibi *ſe illi, à quo bis ceſſantibus abſolui debebant, quàm citò commodè poterunt, contempſerint præſentare.*

Se-

Secundo, ex *cap. cùm dilecti, §. prætereà, de dol. & contum.* ibi *cùm mandatur alicui, vt ad certum terminum se Iudici repræsentet; duo sub hac forma mandantur, vt ad Iudicem veniat, & ad diem sibi præfixam accedat. Vndè si venire non possit ad diem assignatam, tenetur nihilominus se Iudici præsentare*. Ergò citatio valet sine termino, dum etiam arctat termino elapso.

Tertio, ex *cap. cũ parati*, in fine, *de appell.* ibi *præcipimus, quatenus vel in persona propria, vel per nuncios idoneos apostolico te conspectui repræsentes, innocentiam tuam, si poteris, ostensurus*. In quo præcepto Papa non apposuit terminum. ergo.

Quarto, ex *cap. 2. de testib. cogen.* ibi *cùm super causa, quæ vertitur inter Prænestinũ Episcopum, & Sublacen. Abbatem sit testimonium vestrum necessarium: Mandamus, quatenus perhibituri testimonium veritati, apostolico vos conspectui præsentetis. Si verò non veneritis, sciatis vos ab officio, & beneficio ecclesiastico apostolica auctoritate suspensos*. Et nihilominus prædictum mandatum, seù citatio, terminum expressum non continet, ergo.

Quinto, ex *cap. accedens, de procur.* ibi *tu ergo super sponsalibus, quæ inter natam tuam, & filium eiusdem nobilis contracta proponuntur, procuratorẽ idoneum ad præsentiam nostrã mittas, qui ad agendum, & respondendum plenam habeat potestatem*; Et id Papa mandat sine vlla termini præfixione: ergò.

Sexto, ex *cap. quamuis, de offic. Ord. in 6.* ibi *quàm citò cõmodè poterint se apostolico conspectui repræsentent*.

478 Idcircò Doctores pro cõciliatione duarum opinionũ, varias excogitarũt distinctiones.

Distinguit *Angel.* in *d. l. liber homo, §. decem bodie*, quod citatio sine termino non valet ad effectum, vt possit procedi contra non comparentem, tanquã contumacem ad alios actus iudiciales, iuxta *l. properandum, §. etsi quidem, C. de iud.* Valet autem ad effectum, vt Iudex possit mulctare non comparentem, quem sequitur *Paul. Castr.* in dict. *l. liber homo, §. decem bodie, nu. 3.*

Alex. autem *ibidem sub n. 5. circà fin. vers. non obstat Concord. Ang.* dicit prædictam distinctionem non esse veram per

per eadem iura, quæ superiùs deduxi, & considera, quod eadem ratione, qua contra non comparentem posset, tãquam contra contumacẽ procedi ad mulctã, eadem ratione deberet posse procedi ad alios actus.

Aliter distinguit *Butr.* in *cap. fin. nu. 25. de ferijs*, quod si dies fuit in citatione ommissa, non per errorem; sed ex certa scientia, tunc citatio valet, & citatus debet comparere quanto citiùs potest.

Si verò dies fuit ommissa per errorem, tunc posset dici quod citatio non valeret, iuxta tex. in *l. ita stipulatus, ff. de verb. oblig.* ibi *si dies in stipulatione per errorẽ ommissus fuerit, cùm id ageretur, vt certo die sisteres: imperfecta erit stipulatio, non secus ac si quod pondere, numero, mensuraué continetur, sine adiectione ponderis, numeri, mensuraeuè stipulatus essem, vel insulam ædificari, non demonstrato loco; vel fundum dari, non adiecto nomine*; subdit tamen *idem Butr.* secus se putare in actibus iudicialibus, in quibus lex supplet, ex iuribus per eum allegatis.

Alterã cõciliationem posuit idem *Angel.* in *repet. l. hæc stipulatio, ff. si cui plus quam per l. Falcid.* quã refert *Soc. de cit. d. art. 19 n. 17. in fin. verf. quã opinio secũdum. Ang.* quod aut Iudex mandat vni, vt coram alio Iudice compareat; & tunc non apposito termino debet comparere, quàm citiùs poterit, & ita intelligitur *tex.* in supra adducto; *cap. eos qui, §. fin. de sententia excommunicationis*; qui loquitur de absoluto ab excommunicatione in casu mortis, vel alterius periculi, ab eo, qui aliàs absoluendi potestatem non habuisset, vt cessante periculo debeat pro absolutione, quàm citò poterit adire habẽtem facultatem absoluendi.

Aut citat aliquem, vt coram se compareat ad contradicendum actui iam celebrato, & tali casu dicit intelligendum esse dictum: *Specul. de citat. § sequitur, d. verf. quid si non præfixeris*.

Aut citat ad cõparendũ, & cõtradicendum actui fiendo, & tunc debet apponi dies, & ita procedit *d. l. aut qui aliter, §. 1. ff. quod vi, aut clam*, & *d. l. final. C. de iur. domin. impetran.*

Aliam distinctionem ponit *Henric. Boich.* in d. *cap. cùm*

M pa-

parati, de appellat. quam etiam refert *Soc. d. artic. 19. num. 18.* quod citatio iuris valet sine termino, de qua loqui videtur *tex.* in d. *cap. quamuis, de offic. Ordin. in 6.* Citatio verò hominis si emanat à Principe, valet sine termini appositione; & ita loquitur *tex.* in dict. *cap. cùm parati.* Aut emanat ab inferiore, & tunc non valet, nisi expressus sit locus; sed hoc non placet eidem *Soc. d. art. 19. nu. 18.*

Qui propterea subdistinguit, quod quis à Iudice inferiore, aut citatur ad aliquem actũ, qui vel ex sui natura, vel ex statuto, vel ex consuetudine debet expediri certo tempore, & tunc intelligitur citatus ad illum terminum.

Aut citatur ad actum, qui non habet certum tempus, & tunc possunt verificari, vt ipse inquit, prædictæ Angeli distinctiones. Consulit tamen, quod ad tollendam omnem dubitationem, & opiniones fugiendas, quia articulus est valdè dubius, & intricatus, Iudex in citatione terminum apponat, & idem cõsuluerant *Imol.* in *cap. cùm parati*, & ibidem *Franc. nu. 21. in fin. de appellat.*

479 Adhæreo opinioni Bartoli, de qua supra *n. 474.* quã de iure puto veriorem; certum enim est, quod cõparitio citati debet fieri in tempore, seù termino; cùm nihil nisi in termino fiat, vel tempore: modò dicit *Bartol.* quod terminus, quando est incertus non valet, & quod citatus debet scire, quo tempore debeat comparere, & qua die citans velit fieri id, ad quod citat, iux. *tex.* in d. *l. aut qui aliter, §. 1. ff. quod vi, aut clam*, & in *l. fin. C. de iure dominij impetr.* & in alijs supra allegatis, aliàs citatio, tãquam incerta non arctat, & non valet.

Responsio Baldi, quod dicta iura non loquuntur in simplici citatione, & expectatoria; apud me nõ stringit. Quià verùm est, quod dict. *l. aut qui aliter*, loquitur in denunciatione noui operis; sed verùm est etiam, quod eadem lex cõcludit terminum debere esse certum. At quoniam exempla non restringunt regulam: *l. damni infecti stipulatio pertinet, in fin. ff. de damn. infect.* ibi *quod dictum est aquæducendæ causa; exempli gratia rescriptũ est. Cæterum ad omnia opera stipulatio accomodabitur.* Non

ideò

ideò inferri potest; quod ex quo lex vult terminum debere esse certum, hoc restringat de termino in denunciatione, itaut regula non sit generalis, & non debeat intelligi etiam de termino in citatione.

Maximè, quia ratio diuersitatis non potest considerari; inter denũciationem noui operis, & inter citationem, quæ fit ad instantiam partis; nam sicut pendet à voluntate denunciantis, quando velit facere nouum opus, ita etiam pendet à voluntate partis citantis, quando ipsa velit comparere coram Iudice, & quando velit actum in iudicio fieri, vel per se ipsum, vel per partem, vel per Iudicem, & ideò sicut pars debet denunciare diem noui operis, ita & diem quo citatus debet comparere: vbi enim eadem est ratio, ibi idem ius esse debet: *l. illud, ff. ad l. Aquil.* ibi *cùm enim circa furti actionem hoc idem sit, ne ex vno delicto tota familia dominus careat, eaque ratio similiter, & in actione damni iniuriæ interueniat: sequitur, vt idem debeat æstimari*.

Sed insuper *text.* in *d. l. consentaneum, C. quom. & quando Iudex*; loquitur expressè de citatione peremptoria ad cõuincendã citati cõtumaciam, quæ fit cum tribus terminis; vel cum vno pro tribus: vt ibi. Atque *text.* in d. *Clem. 1. de Iud.* loquitur de citationibus, quibus, vt ibi dicitur, debet congruus terminus apponi.

Responsio data, vt supra per *Imol.* & *Alex.* quod licet prædicta iura faciant mentionem de certa dilatione statuenda; non tamen negant, quin etiam citatio valeat sine die: non me mouet; quia dum prædicta iura volunt terminum debere statui, & terminum debere esse certum, vtique negant tàm denunciationem, quàm citationem fieri posse sine die: cùm pars citata scire non possit, quando pars citans velit cõparere, & instare, vt Iudex decernat, & interloquatur, seù pronũciet.

Et dum subiungunt ijdem *Imol.* & *Alex.* aliud esse in citatione, quæ Iudicis auctoritate fit; quia magis arctat, quã nunciatio noui operis, ex eo quod in Iudice verisimile est, quod volet expedire, quam citiùs poterit cùm hoc officio eius incumbat, iuxt. *l. properandum, §. sed etsi, C. de Iud.* &

M 2 cap.

cap. fin. de dol. & contum.

Respondeo, quod licet citatio fiat Iudicis auctoritate, non tamen fieri potest, nisi ad instantiā partis: *gloss. in l. sancimus*, in verbo *per contumaciam*, *C. ad Trebell.* ibi *sed Iudex rediget in scriptis per Tabellionem qualiter, & pro quo, & ad cuius petitionem ille est vocatus*. *Lanfranc. in cap. quoniam contra, tit. de vitat. nu. 11. & seq. de prob.* Immò illa pariter denunciatio, quæ fit iuxta terminos: *l. 2. C. vbi in rem actio*, fit auctoritate Iudicis; & nihilominus fit certo dierum spacio à Iudice finiendo, vt ibi; & quamuis verisimile sit, quod Iudex volet expedire quamcitiùs, Respondeo hoc verisimile intrare, quando Iudex præfigit terminum, non autē quando sine termini prefixione citat, & sic retorqueo tex. in alleg. *l. properandum*, *§. etsi quidem, C. de Iud.* ibi *etsi per tres vices hoc fuerit subsecutum decem dierum spacio per vnumquemque introitum destinato: & nec ita actoris pars fuerit inuenta; & neque per se, neque per procuratorem instructum peruenerit, tunc Iudicem negocij acta apud se confecta conspicere censemus.* Ergò si Iudex terminum non præfigeret, nullatenus esset verisimile, quod vellet causam quàm citò expedire: Sic etiam in allegato, *cap. cùm dilecti, de dol. & contum.* Papa præfigit, & mandat præfigi terminum ad initiū proxime venturę Quadragesimæ peremptoriè, vt per se, vel per procuratorem idoneum ad litem contestandum, & ad alia Apostolico cōspectui se præsentet. Ergò sine termini prefixione non est verisimile Iudicē velle quàm citò ad expeditionem deuenire.

Immò sicut verisimile non est, quod pars denuncians nouū opus sine termini adiectione velit id facere quamprimum, cùm id pendeat ab eius voluntate; ita nec verisimile est, quod pars citās velit quàmcitò iura producere, & inducere testes, cùm id ab eius voluntate pendeat, non autem ab arbitrio Iudicis, qui nec suum officium impartitur, nisi petentis *l. 4. § hoc autem iudicium, ff. de damn. infect.* ibi *hoc autem iudicium certam conditionem habet si postulatum est, cæterum qui non postulabit, experiri non potest. postulare autem hoc propriè dicitur pro*

tri-

tribunali petere non alibi.

Neque obstare existimo, quod considerauit *Butr.* in d. *cap. fin. de ferijs, n. 25.* nempè legem in iudicialibus supplere, ex iuribus per eum allegatis; vndè sequitur, vt terminum in citatione omissum lex suppleat, vt citatus arctetur ad comparendum quantò citiùs. Ego enim animaduerto, quod quando lex supplet, adhibet Iudicis ministeriũ, vt in *l. de die, per eũdem Butr. allegata, ff. qui satisd. cog.* ibi *de die ponenda in stipulatione solet inter litigatores conuenire: Si non conueniant, Pedius putat in potestate stipulatoris esse; moderato spacio de hoc à Iudice statuendo*; & ita apparet legem defectum diei non appositæ supplere facto Iudicis, qui diem statuere debet: Sic etiam in *l. 1. in fin. ff. de Prat. stipulat.* quam pariter *Butr.* allegat, id quod deest debet Iudex supplere: ibi *etsi quid vel addi, vel detrahi, vel immutari in stipulatione oporteat, prætoriæ erit iurisdictionis*.

Sed vlterius ex eo, quod lex suppleat, nõ ideò infertur terminum in citatione nõ requiri, quia lex etiã supplet vbi terminus sit præfixus. Quod autẽ dicitur de cõditione potestatiua, quæ debet impleri quantòcitiùs, siue consistat in dando, siue in faciendo: *l. hac cõditio si in Capitoliũ, ff. de cõdit. & demonstr.* ibi *hac cõditio si in Capitoliũ ascenderit, sic recipienda est, cùm primùm poterit*: & ibidem notat *Bart.* Non applicatur quæstioni nostræ de citatione, & cõparitione, in qua non requiritur solum factũ citati; sed etiam factũ Iudicis, & partis, quando velint actũ iudicialẽ fieri inter tres personas: ad *tex.* in *c. forus, §. in omni negocio, de verb. signific.* & in iudicijs Iudex semper dare debet inducias certas: §. *igitur ne latente, in Auth. de exhib. reis*.

Superest videre qualiter iura adducta pro opinione Specul. & Canonistarum loquantur, & quid probent.

Tex. in *cap. eos qui, de sent. excommunicat. in 6.* loquitur de eo, qui in mortis periculo constitutus, ab excommunicatione absolutus fuit pereũ, qui aliàs absoluendi facultatem non habuisset; vt cessante periculo, nisi habentem facultatem absoluendi adiuerit quàm citò cõmodè poterit pro absolutione, in eandem sententiã re-

recidat ipso iure. Et ita cùm loquatur de absoluto cũ conditione, vt quàmcitò debeat conditionem adimplere, non applicatur casui nostro, quo agitur an citatus sine termino arctetur ad comparendũ quãtò citiùs. Et quatenus ille *tex.* posset aptari ad citationem legis, quod scilicet lex censeatur citare absolutum in periculo mortis ad comparendum, cessante periculo, coram habente facultatem absoluendi, vt talis citatio arctet quantò citiùs commodè poterit: non tamen posset aptari ad citationem hominis, quia lex tali casu non potuisset citare infrà certum terminum; cùm pendeat à futuro euentu, quãdo quis euaserit periculum, quod non est in citatione hominis, qui scire potest an quis possit comparere, vel non, vt sic eum vocare ad certum, & determinatũ tempus valeat.

Tex. in *cap. cũ dilecti, §. prætereà, de dol. & contum.* non dicit, quod quis possit citari sine termino; sed solum, quod cùm mandatur alicui, vt ad certum terminũ se Iudici presentet, si in illo non veniat, tenetur nihilominus venire post terminum, & rationem ponit, quia duo sub hac forma mandantur, vt ad Iudicem veniat, & àd diem præfixam accedat; vnde si venire non possit ad diem assignatam, tenetur nihilominus se Iudici præsentare, & ita non loquitur de citatione, quæ fit ad instantiam partis; sed de præcepto, quod fit à Iudice ex officio.

Text. in *cap. cùm parati*, in *fin. de appellat.* pariter non loquitur de citatione facta ad instantiam partis; sed de præcepto facto per Papã ex propria potestate, ei, qui propter contumaciam, & Sedis Apostolicæ contèmptũ, fuerat excommunicatus: quem ad eandem Sedem vocauit, vt suam innocentiam ostendat.

Tex. in *cap. 2. de teslib. cog.* loquitur de præcepto, quod fieri potest officio Iudicis testibus, ne veritatem occultẽt, quando scilicet odio, vel timore se subtrahunt ad ferendum testimonium, vt dicitur in *cap. 1.* & in *cap. 3. eod. tit.*

Tex. in *cap. accedens, de procur.* loquitur in præcepto facto per Papam ex propria auctoritate, non autem de citatione ad instantiam partis.

Tex. deniq; in *cap. quamuis, de offic. Ord. in 6.* loquitur de cita-

citatione legis, vt diximus supra *cap. 7. nu. 2. vers. alterum est, in cap. quamuis, pag. 307.*

480 Hanc itaque materiam ità distinguendam, & declarandam censeo; aut citatio fit à lege, aut à Principe, aut à Iudice.

Si fit à lege, præfixio termini non est necessaria: cũ enim lex sit generalis, & det formã futuris negocijs: *l. leges, C. de legibus*, & de futuris contingentibus non sit determinata veritas: Ideò non est mirùm si lex citat sine præfinitione temporis, cùm scire non possit impedimenta, quæ possint citato contingere, & ei excusationem præstare; & ideò citatio legis, quando fit sine termino, arctat citatum ad cõparendum quàmcitò commodè poterit: & ita procedit *tex.* in *d. cap. eos qui, de sententia excom. in 6.* & in d. *cap. quãuis, de off. Ord. in 6.*

Si fit à Principe, aut procedit de plenitudine potestatis, & motu proprio, aut auctoritate ordinaria, & via iudiciaria ad partis instantiam. Primo casu potest præcipere, seù citare non apposito termino; & tunc citatus arctatur ad comparendum quantò citiùs, & ita procedit *tex.* in d. *cap. cùm parati*, in fine, *de appellat.* & in *cap. accedens, de procur.* Princeps enim quando procedit de plenitudine potestatis, iuxta ea, quæ dicta sunt supra *cap. 8. nu. 167. pag. 468.* potest omittere citationem in ijs, quæ sunt iuris positiui.

Secundo verò casu, sicut debet partem citare: vt diximus supra dict. *cap. 8. nu. 196. pag. 473.* ita debet citationi terminum adijcere ad comparendum; & ita procedit *tex.* in d. *cap. cùm dilecti, §. præterea in fin. de dol. & contum.* & in *cap. final. eodem tit.* Citatus enim ad iudicium, & ad partis instantiam debet esse certus, quo tempore id, ad quod citatur, agendum sit: & ita loquitur *Bar.* in d. *l. liber homo, §. decem hodie, ff. de verb. oblig.* & in d. *l. qui ante Kalendas, nu. 5.* in fine, *ff. eodem tit. de verb. oblig.* & in d. *constit. ad reprimendum* in verbo *per edictum, nu. 5.*

Si fit à Iudice, aut procedit extraiudicialiter, aut iudicialiter: Primo casu, sicut potest omittere citationem, iuxta ea, quæ supra dicta sunt in d. *cap. 8. n. 260. cum seq. pag. 487.*

Sic etiam poteſt termini pręfixionem prætermittere, & arctare citatum quam cito; & hoc caſu procedit dictum *Angel.* in ſua diſtinctione, quod citatio valet ſine termino ad effectum mulctandi non comparentem; non autem ad effectum procedendi ad actus iudiciales. Secundo caſu, aut procedit ex officio, aut ad partis inſtantiam, ſi ex officio, aut ad publicam, aut ad priuatam vtilitatem.

Si procedit ex officio ad publicam vtilitatem, ſicut tali caſu poteſt omittere citationem, iuxta ſupra deducta in d. *cap.* 8. *n.* 264. & in *cap.* 3. *num.* 9. *pag.* 71. ita & termini præfixionem.

Si verò ad priuatam vtilitatem, tunc ſicut non poteſt omittere citationem, vt ſupra in d. *cap.* 3. *nu.* 8. *pag.* 70. vbi dictũ eſt quod in his quæ pertinent ad priuatam vtilitatem, etiã ſi Iudex procedat officio nobili, tamen procedit ad partis inſtantiam; quia in his quæ reſpiciunt priuatam vtilitatem Iudex nõ impartitur officium ſuum niſi petẽti: *l.* 4. *§. hoc autem Iudiciũ*, & *l. cũ poſtulaſſem*, *ff. de damn. infect.* & ſuccedit loco actionis, *ca.* 2. & ibi *Doctores de offic. Iud.* ita nec poteſt ſine termini pręfixione citare, iuxta prædicta.

Si denique procedit officio Iudicis mercenario actioni deſeruienti, & ſic ad partis inſtantiam, tunc procedit vel in caſu quo requiritur cauſæ cògnitio, vel in quo non requiritur. Si requiritur cauſæ cognitio, requiritur etiam citatio reſpiciens defenſionem iuris naturalis gentium, vt ſupra *cap.* 8. *nu.* 273. *pag.* 488. & ſucceſſiuè requiritur termini præfixio, vt citatus ſciat quãdo debeat cõparere ad actus iudiciales.

Si non requiritur cauſæ cognitio, neque etiam citatio vt d. *cap.* 8. *num.* 269. *pag.* 488.

481 Et hic conſidero quod in Iudicialibus, & ad partis inſtantiam, aut quis citatur à principio ad totam cauſam, aut poſteà ad ſingulos actus, vtpotè ad contradicendum, vel actui fiendo, vel actui facto, aut ad aliquid faciendum, aut ad aliquid videndum fieri, vel per Iudicem, vel per partẽ ad audiendum ſententiam diffinitiuam.

Quãdo quis generaliter citatur ad totam cauſam, tunc vt non comparens reddatur con-

contumax debet citari cum peremptorio, vt supra diximus in *cap. 7. n. 115. pag 331.* & ita procedit d. *l. cōsentaneū, C. quom. & quando Iud.* & in hoc verificatur dictum *Angel.* in prædicta sua distinctione, quod citatio non valet sine termino ad effectum, vt possit procedi contra non comparētem, tanquam contumacem ad alios actus.

482 Quando quis generaliter citatur ad contradicendum alicui actui fiendo, vtputà ad dicendum contra Iura, contra Articulos, & Positiones, & contra Protestationem, tunc citatio non valet sine expressione termini; quia actus gerendus, nempè productio, & protestatio, pendet à voluntate citantis, & ita procedit d. *l.* aut qui aliter, *§. 1. ff. quod vi, aut clam*, & in d. *l. fin. C. de iure dominij impetr.* & verificatur in hoc aliud dictum *Angel.* in altera sua distinctione, nempè quod quando quis citatur ad contradicendum actui fiendo, tunc debet apponi dies: aliàs contingere posset, vt citatus comparens, per citantem non producentem, vel nō protestantem, qui noluit se arctare ad certum terminum, derideretur; quod lex prohibet, vt in *Authen. de exhiben. reis, §. si verò per Iusiurandum*; ibi *vt cognoscant non ludere vitas alienas.*

Quando quis citatur ad contradicendum actui iam facto vel per partem, vtputà ad dicendum contra depositum, vel per Iudicem, vtputà contra decretum, vel quid simile; & hoc casu non apponitur dies: & ita verificatur aliud dictū *Angel.* in dicta distinctione, videlicet quod quādo Iudex citat aliquem ad cōtradicendum actui iam celebrato, tali casu intelligendus est: *Specul. de citat. in §. sequitur,* dict. *vers. quid si non præfixeris.*

Sed aduertēdum est, quod huiusmodi citatio ad cōtradicendū actui gesto propriè dicitur intimatio, quia ad notitiam partis deducitur, & demonstratur, quod vel per partem, vel per Iudicem actū est, & respicit defēsionem partis, vt actui possit cōtradicere; sic intimantur decreta, sententiæ, mandata executiua, & similia, vt latè de intimatione dictum est supra *cap. 6. nu. 68. & 71. cum pluribus seqq. pag. 263.* & dies in intimatione non

non apponitur, quia pendet ab eius volūtate cōtradicere, vel nō; & satis est, quod sciat veni re debere intra decem dies ad appellandū: ***Auth. hodie autem, C. de appellat.*** & in hoc casu procedit ***tex.*** in d. ***cap. cùm pa-rati, in fine, de appellat.***

484 Quando quis citatur ad aliquid faciendum, putà ad soluendum, implendum, restituendum, repræsentandum, & similia, non potest valere citatio sine termino, tanquam incerta; nisi expresso certo dierum spacio, & ita procedit ***tex.*** in ***l. 2. C. vbi in rē actio:*** & non debet esse in potestate partis arctare aduersarium sine termino ad probandum solutionem, seù implementum; sicut non est in potestate Iudicis dare, vel negare dilationem ad probandum: ***l. 1. C. de dilat.*** ibi ***quoniam plerunque euenit, vt Iudex instrumentorum, vel personarum gratia dilationem dare rerum necessitate cogatur, spacium instructionis exhibendæ postulatum dari conuenit.***

485 Quādo quis citatur ad videndum aliquid fieri per eandem partem, putà ad videndū deponi, videndum fieri interpellationem, & quid simile; debet apponi certa dies, cùm citetur ad actus pendētes à citantis voluntate; & ita procedit d. ***l. aut qui aliter, ff. de damn. infect.***

486 Quādo quis citatur ad videndum aliquid fieri per Iudicem, putà decerni, relaxari mandatum, deferri iuramentum testibus, committi Notario receptionem iuramentorum testium, & similia, & vt vno verbo dicam; quando citatur ad interlocutoriam, tunc si ea est modici præiudicij, valet sine citatione, & sufficit intimatio: vt supra dictum est in ***cap. 6. nu. 72. & seqq. pag. 264.*** & ***cap. 8. num. 276. pag. 489.*** & ideò valeret etiā sine expressione termini; quia intimatio suppleret: vt supra dict. ***cap. 6. n. 69. pag. 263.*** Si verò est magni præiudicij, tunc requiritur citatio, antequam fiat, & non sufficit intimatio: vt dict. ***cap. 6. num. 74. pag. 264. & d. cap. 8. nu. 276. pag 489.*** & successiuè citatio debet fieri cum adiectione termini: vt citatus sit certus, quando Iudex velit interloqui; & ita procedunt dicta per ***Bar. in d. l. qui ante Kalendas, num. 5. in fine, ff. de verb. oblig.***

487 Quando quis citatur ad au-

audiendam ſententiam, tunc pariter, iuxta prædicta, eſt neceſſaria appoſitio termini: cùm ſententia diffinitiua ſit actus maximi præiudicij, & ideò citatus debet eſſe certus, quo tempore ſit ferenda, cùm à voluntate partis pendeat, pro ea inſtare, & ab arbitrio Iudicis, illam ferre; & ita benè procedit d. *Laut qui aliter, §. 1. ff. quod vi, aut clam*; & in *d. l. fin. C. de iur. domin. impetr.* & dicta per *Bar.* in *d. l liber homo, §. decem hodie, ff de verb. oblig.* & in *dict. l qui ante Kalendas, num. 5. in fin. ff eodem*, & in d. *conſtit. ad reprim.* in verbo *per edictum, n. 5. ita e.iã procedunt.*

488 Sed hic animaduertendũ eſt, quia Rota modò vnum, modò aliud dixiſſe viſa eſt. Nam coram *Put. dec. 212. lib. 2.* dixit citationem ad ſententiam valere ſine die, quia intelligitur ad primã diem, ſiue quantò citiùs comparere poterit: allegat *Doctores* tenentes opinionem *Speculatoris*, & reijcit diſtinctionem *Præpoſiti*, quod citatio valeat ſine die ad cauſam diſponendam, non autem ad expediendum actũ: dicit enim, quod ſimpliciter talis citatio ſine termino tenet, & allegat *Alex.* in *l. liber homo §. decem, ff. de verb. oblig.* & concludit in ſuo caſu, citationem factam ad ſententiam ſine die, & executam die præcedente vltimam audientiam de menſe Iulij, fuiſſe intellectam de prima die iuridica. Quam deciſionẽ *Rota* approbauit ſimpliciter nulla alia ratione, allegationeuè addita, coram *Mantic. deciſ. 8 nu. 3. & deciſ. 155. nu. 3.* & coram *Seraphino deciſ. 857. nu. 23.* & coram *Pirouano in rec. part. 2. deciſ. 486. nu. 7.*

489 At coram *Seraphino deciſ. 597. num. 6.* diuerſum dixit nempè, quod citatio ſine die non tenet, quoad effectum, vt procedi poſſit ad actus iudiciales; ſed valet quoad effectum ſolum mulctandi non comparentem: iuxtà diſtinctionem *Imolæ*, innuens, quod ex ſtylo citatio ſine die poſſet ſubſtineri. Hanc deciſionem allegauit, & ſecuta fuit *Rota* coram *Caualerio deciſ. 376. nu. 5. & 6.* vbi diſtinguit inter citationem ad ſententiam, & ad videndum iurare teſtes concludens citationem ad ſententiam non valere ſine die; quia eſt magni præiudicij, citationem autem ad vidẽdum iurare teſtes, de qua loquuntur

tur prædictæ decisiones corã *Mantica*, *Seraphino*, & in *recent.* valere sine die, tanquam minoris præiudicij.

Qua in diuersitate existimo sic dicendum, quod citatio ad sententiam sine die non tenet, iuxta prędicta, & etiam secundum posteriorem opinionem *Rotæ*, *& decis. Put. 212. lib. 2.* puto non obstare, quia est intelligenda in casu suo, non autem in diuerso, de quo obiter loquitur, articulo non discusso.

Casus decisionis est, quod citatio sine die fuit executa die præcedente vltimam audientiam; & ideò non fuit incerta, cum alia audientia non superesset, & hac ratione incertitudinis cessantis potuit sustineri.

Casus autem diuersus est, quando citatio fit sine die, & supersunt plures audientiæ, in quo dicta decisio loquitur per functoriè articulo non discusso; & allegat *Doctores* tenentes opinionē *Speculatoris*, quæ vt supra latè diximus, verificari potest in sola citatione, quæ fit officio, & motu Iudicis, non autem ad instantiam partis.

490 Quantum autem ad citationem ad videndum iurare testes distinguendum puto, aut citatio fit sine vlla die, aut ad primam diem cũ sequentibus, aut fit generaliter pro singulis diebus, & horis.

Si fit sine vlla die, omninò ratione temporis incerta est: cùm nullum tempus contineat, & non valet: vt per *Bar.* in d. *l. aut qui aliter, ff. quod vi, aut clam*; & in d. *l. qui ante Kalendas, n. 5. in fin. ff. de verb. oblig. Caput. decis. 274. par. 3. Rota in recentiss. decis. 239. n. 5. par. 2.*

491 Si verò fit ad primã diem cum sequentibus, seu pro singulis diebus, & horis, dicunt Doctores quod est citatio incerta, & vaga speciem seruitutis inducens; quia non continet tempus determinatum, & non valet: vt per *Bal. cons. 268. incip. factũ tale, lib. 1. Aret. & Alex. in d. l. qui ante Kalendas, ff. de verb. oblig. Bar. in l. 2. lim. 4. ff. de iurisd. omn. Iud. & in tract. de test lib. nu. 37. & in extrauag. ad reprimen. in verbo, & per edictum, Franc. in cap. cùm parati, de appell. col. 4. vers. 2. quæritur*, & ibi *Præposit. col. 4. vers. cùm scriptum sit, Soc. de citat. art. 18. n. 13. & art. 19. n. 17. Caput. d. decis. 274. par. 3.*

Put.

Put. dec. 258. n. 5. lib. 1. Mohed. decis. 4. nu. 3. de test lib. Rot. post cons. Farinac. decis. 296. nu. 3. & decis. 307. nu. 1. par. 2. Greg. decis. 71. nu. 3.

Verũ quia huiusmodi citatio continet tempus indeterminatum, & incertum; quod tamen aliquo modo determinari, & certificari potest: Ideò practica admisit hũc modum citandi, & monendi partem pro omnibus, & singulis diebus, & horis, teste *Bal.* in *l. 1. nu. 5. vers. practica Aduocatorum, ff. si quis caut.* ibi practica Aduocatorum dictat, quod moneatur altera pars, quod singulis diebus, & horis assistat ad videndum testium iuramenta, quam etiam Rota approbauit *Capus. decis.* 108, *nu. 2. par.* 1. & post *cons. Farinac. decis. 355. nu. 3. par. 2.* & censuit, quod eadem citatio, quando in causa non fuit prefixus terminus probatorius intelligatur, & sustineatur per modicũ tempus; videlicet per duos solos dies: *Rota diuers. decis. 311. nu. 3. par. 1.* & in *recentiss. decis. 307. nu. 9. par. 1.* scilicet per duos dies immediatè sequẽtes post executionem eiusdem citationis: vt in *recentiss. decis. 52. nu. 8. par. 1.* & ad summum per tres dies, *Rota in recent. decis. 259. nu. 3. par. 1.* nõ autem per quinque: *Andr. decis. 65. nu. 7.* Sed quando in loco iudicij fuit præfixus terminus ad probandum, tunc sustinendã censuit prædictam citationem pro toto termino probatorio: ad not. per *Bald. in l. si quando, nu. 11. C. de test. lib.* & in *l. si ita relictũ, §. pegasus, ff. de leg. 2. Cas. de Grass. decis. 9. nu. 6. de re iudic,* quasi durante termino probatorio citatio prædicta nõ possit censeri incerta, nec vaga, neque seruitutis speciem inducere: *Rot. in recent. dec. 307. nu. 9. & decis. 392. nu. 6. & 7. par. 1.* Et quando extra locum iudicij fuit decreta remissoria; tunc sustinendam censuit citationem prædictam pro toto termino remissoriæ, & examini præfixo: *Gregor. decis. 453. nu. 7.* & non solum pro primo; sed etiam pro termino prorogato, non tamen pro nouo: *Greg. decis. 429. nu. 5.* ea tamen citatio ad videndum iurare testes, quæ esset restricta ad certam diem sine clausula, & successiuè pro alijs, nullatenus deseruiret pro toto termino; sed solũ pro ea die, qua caderet citatio: *Caual. dec. 410. n. 3.*

Quod

cap. fin. de dol. & contum.

Respondeo, quod licet citatio fiat Iudicis auctoritate, non tamen fieri potest, nisi ad instantiã partis: *gloss. in l. sancimus*, in verbo *per contumaciam*, *C. ad Trebell.* ibi *sed Iudex rediget in scriptis per Tabellionem qualiter, & pro quo, & ad cuius petitionem ille est vocatus*. *Lanfranc. in cap. quoniam contra, tit. de citat nu. 11. & seq. de prob.* Immò illa pariter denunciatio, quæ fit iuxta terminos: *l. 2. C. vbi in rem actio*, fit auctoritate Iudicis; & nihilominus fit certo dierum spacio à Iudice finiendo, vt ibi; & quamuis verisimile sit, quod Iudex volet expedire quamcitiùs, Respondeo hoc verisimile intrare, quando Iudex præfigit terminum, non autẽ quando sine termini pręfixione citat, & sic retorqueo *tex.* in alleg. *l. properandum*, *§. etsi quidem, C. de Iud.* ibi *etsi per tres vices hoc fuerit subsecutum decem dierum spacio per vnumquemque introitum destinato: & nec ita actoris pars fuerit inuenta; & neque per se, neque per procuratorem instructum peruenerit, tunc Iudicem negocij acta apud se confecta conspicere censemus.* Ergò si Iudex terminum non præfigeret, nullatenus esset verisimile, quod vellet causam quàm citò expedire: Sic etiam in allegato, *cap. cùm dilecti, de dol. & contum.* Papa præfigit, & mandat præfigi terminum ad initiũ proximę venturę Quadragesimæ peremptoriè, vt per se, vel per procuratorem idoneum ad litem contestandum, & ad alia Apostolico cõspectui se præsentet. Ergò sine termini prefixione non est verisimile Iudicẽ velle quàm citò ad expeditionem deuenire.

Immò sicut verisimile non est, quod pars denuncians nouũ opus sine termini adiectione velit id facere quamprimum, cùm id pendeat ab eius voluntate; ita nec verisimile est, quod pars citãs velit quàmcitò iura producere, & inducere testes, cùm id ab eius voluntate pendeat, non autem ab arbitrio Iudicis, qui nec suum officium impartitur, nisi petentis *l. 4. § hoc autem iudicium, ff. de damn. infect.* ibi *hoc autem iudicium certam conditionem habet si postulatum est, cæterum qui non postulabit, experiri non potest. postulare autem hoc propriè dicitur pro* tri-

tribunali petere non alibi.

Neque obstare existimo, quod considerauit *Butr.* in d. *cap. fin. de ferijs, n. 25.* nempè legem in iudicialibus supplere, ex iuribus per eum allegatis; vndè sequitur, vt terminum in citatione omissum lex suppleat, vt citatus arctetur ad comparendum quantò citiùs. Ego enim animaduerto, quod quando lex supplet, adhibet Iudicis ministeriũ, vt in *l. de die, per eũdem Butr. allegata, ff. qui satisd. cog.* ibi *de die ponenda in stipulatione solet inter litigatores conuenire: Si non conueniant, Pedius putat in potestate stipulatoris esse; moderato spacio de hoc à Iudice statuendo*; & ita apparet legem defectum diei non appositæ supplere facto Iudicis, qui diem statuere debet: Sic etiam in *l. 1. in fin. ff. de Prat. stipulat.* quam pariter *Butr.* allegat, id quod deest debet Iudex supplere: ibi *etsi quid vel addi, vel detrahi, vel immutari in stipulatione oporteat, prætoriæ erit iurisdictionis*.

Sed vlterius ex eo, quod lex suppleat, nõ ideò infertur terminum in citatione nõ requiri, quia lex etiã supplet vbi terminus sit prȩfixus. Quod autẽ dicitur de cõditione potestatiua, quæ debet impleri quantòcitiùs, siue consistat in dando, siue in faciendo: *l hæc cõditio si in Capitoliũ, ff. de cõdit. & demonstr.* ibi *hæc cõditio si in Capitoliũ ascenderit. sic recipienda est, cùm primùm poterit:* & ibidem notat *Bart.* Non applicatur quæstioni nostræ de citatione, & cõparitione, in qua non requiritur solum factũ citati; sed etiam factũ Iudicis, & partis, quando velint actũ iudicialẽ fieri inter tres personas: ad *tex.* in *c. forus, §. in omni negocio, de verb. signific.* & in iudicijs Iudex semper dare debet inducias certas: *§. igitur ne latente, in Auth. de exhib. reis*.

Superest videre qualiter iura adducta pro opinione Specul. & Canonistarum loquantur, & quid probent.

Tex. in *cap. eos qui, de sent. excommunicat. in 6.* loquitur de eo, qui in mortis periculo constitutus, ab excommunicatione absolutus fuit pereũ, qui aliàs absoluendi facultatem non habuisset; vt cessante periculo, nisi habentem facultatem absoluendi adiuerit quàm citò cõmodè poterit pro absolutione, in eandem sententiã re-

recidat ipso iure. Et ita cùm loquatur de absoluto cũ conditione, vt quàmcitò debeat conditionem adimplere, non applicatur casui nostro, quo agitur an citatus sine termino arctetur ad comparendũ quãtò citiùs. Et quatenus ille *tex.* posset aptari ad citationem legis, quod scilicet lex censeatur citare absolutum in periculo mortis ad comparendum, cessante periculo, coram habente facultatem absoluendi, vt talis citatio arctet quantò citiùs commodè poterit: non tamen posset aptari ad citationem hominis, quia lex tali casu non potuisset citare infrà certum terminum; cùm pendeat à futuro euentu, quãdo quis euaserit periculum, quod non est in citatione hominis, qui scire potest an quis possit comparere, vel non, vt sic eum vocare ad certum, & determinatũ tempus valeat.

Tex. in *cap. cũ dilecti, §. prætereà, de dol. & contum.* non dicit, quod quis possit citari sine termino; sed solum, quod cùm mandatur alicui, vt ad certum terminũ se Iudici presentet, si in illo non veniat, tenetur nihilominus venire post terminum, & rationem ponit, quia duo sub hac forma mandantur, vt ad Iudicem veniat, & àd diem præfixam accedat; vnde si venire non possit ad diem assignatam, tenetur nihilominus se Iudici præsentare, & ita non loquitur de citatione, quæ fit ad instantiam partis; sed de præcepto, quod fit à Iudice ex officio.

Text. in *cap. cùm parati*, in fin. *de appellat.* pariter non loquitur de citatione facta ad instantiam partis; sed de præcepto facto per Papã ex propria potestate, ei, qui propter contumaciam, & Sedis Apostolicæ contèmptũ, fuerat excommunicatus: quem ad eandem Sedem vocauit, vt suam innocentiam ostendat.

Tex. in *cap. 2. de testib. cog.* loquitur de præcepto, quod fieri potest officio Iudicis testibus, ne veritatem occultẽt, quando scilicet odio, vel timore se subtrahunt ad ferendum testimonium, vt dicitur in *cap. 1.* & in *cap. 3. eod. tit.*

Tex. in *cap. accedens, de procur.* loquitur in præcepto facto per Papam ex propria auctoritate, non autem de citatione ad instantiam partis.

Tex. deniq; in *cap. quamuis, de offic. Ord. in 6.* loquitur de cita-

citatione legis, vt diximus supra *cap. 7. nu. 2. vers. alterum est, in cap. quamuis, pag. 307.*

480 Hanc itaque materiam ità distinguendam, & declarandam censeo, aut citatio fit à lege, aut à Principe, aut à Iudice.

Si fit à lege, præfixio termini non est necessaria: cũ enim lex sit generalis, & det formã futuris negocijs: *l. leges, C. de legibus*, & de futuris contingentibus non sit determinata veritas: Ideò non est mirùm si lex citat sine præfinitione temporis, cùm scire non possit impedimenta, quæ possint citato contingere, & ei excusationem præstare; & ideò citatio legis, quando fit sine termino, arctat citatum ad cõparendum quàmcitò commodè poterit: & ita procedit *tex.* in *d. cap. eos qui, de sententia excom. in 6.* & in d. *cap. quãuis, de off. Ord. in 6.*

Si fit à Principe, aut procedit de plenitudine potestatis, & motu proprio, aut auctoritate ordinaria, & via iudiciaria ad partis instantiam. Primo casu potest præcipere, seù citare non apposito termino; & tunc citatus arctatur ad comparendum quantò citiùs, & ita procedit *tex.* in d. *cap. cùm parati*, in fine, *de appellat.* & in *cap. accedens, de procur.* Princeps enim quando procedit de plenitudine potestatis, iuxta ea, quæ dicta sunt supra *cap. 8. nu. 167. pag. 468.* potest omittere citationem in ijs, quæ sunt iuris positiui.

Secundo verò casu, sicut debet partem citare: vt diximus supra dict. *cap. 8. nu. 196. pag. 473.* ita debet citationi terminum adijcere ad comparendum; & ita procedit *tex.* in d. *cap. cùm dilecti, §. præterea in fin. de dol. & contum.* & in *cap. final. eodem tit.* Citatus enim ad iudicium, & ad partis instantiam debet esse certus, quo tempore id, ad quod citatur, agendum sit: & ita loquitur *Bar.* in d. *l. liber homo, §. decem hodie, ff. de verb. oblig.* & in d. *l. qui ante Kalendas, nu. 5.* in fine, *ff. eodem tit. de verb. oblig.* & in d. *constit. ad reprimendum* in verbo *per edictum, nu. 5.*

Si fit à Iudice, aut procedit extraiudicialiter, aut iudicialiter: Primo casu, sicut potest omittere citationem, iuxta ea, quæ supra dicta sunt in d. *cap. 8. n. 260. cum seq. pag. 487.*

Sic etiam poteſt termini præfixionem prætermittere, & arctare citatum quam cito; & hoc caſu procedit dictum *Angel.* in ſua diſtinctione, quod citatio valet ſine termino ad effectum mulctandi non comparentem; non autem ad effectum procedendi ad actus iudiciales. Secundo caſu, aut procedit ex officio, aut ad partis inſtantiam, ſi ex officio, aut ad publicam, aut ad priuatam vtilitatem.

Si procedit ex officio ad publicam vtilitatem, ſicut tali caſu poteſt omittere citationem, iuxta ſupra deducta in d. *cap.*8. *n.*264. & in *cap.*3. *num.*9. *pag.*71. ita & termini præfixionem.

Si verò ad priuatam vtilitatem, tunc ſicut non poteſt omittere citationem, vt ſupra in d. *cap.*3. *nu.*8. *pag.*70. vbi dictũ eſt quod in his quæ pertinent ad priuatam vtilitatem, etiã ſi Iudex procedat officio nobili, tamen procedit ad partis inſtantiam; quia in his quæ reſpiciunt priuatam vtilitatem Iudex nõ impartitur officium ſuum niſi petẽti: *l.*4. *§. hoc autem Iudiciũ*, & *l. cũ poſtulaſſem*, *ff. de damn. infect.* & ſuccedit loco actionis, *ca.*2. & ibi *Doctores de offic. Iud.* ita nec poteſt ſine termini præfixione citare, iuxta prædicta.

Si denique procedit officio Iudicis mercenario actioni deſeruienti, & ſic ad partis inſtantiam, tunc procedit vel in caſu quo requiritur cauſæ cògnitio, vel in quo non requiritur. Si requiritur cauſæ cognitio, requiritur etiam citatio reſpiciens defenſionem iuris naturalis gentium, vt ſupra *cap.*8. *nu.*273. *pag.*488. & ſucceſſiuè requiritur termini præfixio, vt citatus ſciat quãdo debeat cõparere ad actus iudiciales.

Si non requiritur cauſæ cognitio, neque etiam citatio vt d. *cap.*8. *num.*269. *pag.*488.

481 Et hic conſidero quod in Iudicialibus, & ad partis inſtantiam, aut quis citatur à principio ad totam cauſam, aut poſteà ad ſingulos actus, vtpotè ad contradicendum, vel actui fiendo, vel actui facto, aut ad aliquid faciendum, aut ad aliquid videndum fieri, vel per Iudicem, vel per partẽ ad audiendum ſententiam diffinitiuam.

Quãdo quis generaliter citatur ad totam cauſam, tunc vt non comparens reddatur con-

contumax debet citari cum peremptorio, vt supra diximus in *cap. 7. n. 115. pag 331.* & ita procedit d. *l. cōsentaneũ, C. quom. & quando Iud.* & in hoc verificatur dictum *Angel.* in prædicta sua distinctione, quod citatio non valet sine termino ad effectum, vt possit procedi contra non comparētem, tanquam contumacem ad alios actus.

482 Quando quis generaliter citatur ad contradicendum alicui actui fiendo, vtputà ad dicendum contra Iura, contra Articulos, & Positiones, & contra Protestationem, tunc citatio non valet sine expressione termini; quia actus gerendus, nempè productio, & protestatio, pendet à voluntate citantis, & ita procedit d. *l.* aut qui aliter, §. 1. *ff. quod vi, aut clam*, & in d. *l. fin. C. de iure dominij impetr.* & verificatur in hoc aliud dictum *Angel.* in altera sua distinctione, nempè quod quando quis citatur ad contradicendum actui fiendo, tunc debet apponi dies: aliàs contingere posset, vt citatus comparens, per citantem non producentem, vel nō protestantem, qui noluit se arctare ad certum terminum, derideretur; quod lex prohibet, vt in *Authen. de exhiben. reis*, §. *si verò per Iusiurandum*; ibi *vt cognoscant non ludere vitas alienas*.

Quando quis citatur ad contradicendum actui iam facto vel per partem, vtputà ad dicendum contra depositum, vel per Iudicem, vtputà contra decretum, vel quid simile; & hoc casu non apponitur dies: & ita verificatur aliud dictũ *Angel.* in dicta distinctione, videlicet quod quādo Iudex citat aliquem ad cōtradicendum actui iam celebrato, tali casu intelligendus est: *Specul. de citat. in §. sequitur*, dict. *vers. quid si non præfixeris*.

Sed aduertēdum est, quod huiusmodi citatio ad cōtradicendũ actui gesto propriè dicitur intimatio, quia ad notitiam partis deducitur, & demonstratur, quod vel per partem, vel per Iudicem actũ est, & respicit defēsionem partis, vt actui possit cōtradicere; sic intimantur decreta, sententię, mandata executiua, & similia, vt latè de intimatione dictum est supra *cap. 6. nu. 68. & 71. cum pluribus seqq. pag. 263.* & dies in intimatione non

non apponitur, quia pendet ab eius volũtate cõtradicere, vel nõ; & satis est, quod sciat veni re debere intra decem dies ad appellandũ: *Auth. hodie autem, C. de appellat.* & in hoc casu procedit *tex.* in d. *cap. cùm parati, in fine, de appellat.*

484 Quando quis citatur ad aliquid faciendum, putà ad soluendum, implendum, restituendum, repræsentandum, & similia, non potest valere citatio sine termino, tanquam incerta; nisi expresso certo dierum spacio, & ita procedit *tex.* in *l. 2. C. vbi in rẽ actio:* & non debet esse in potestate partis arctare aduersarium sine termino ad probandum solutionem, seù implementum; sicut non est in potestate Iudicis dare, vel negare dilationem ad probandum: *l. 1. C. de dilat.* ibi *quoniam plerunque euenit, vt Iudex instrumentorum, vel personarum gratia dilationem dare rerum necessitate cogatur, spacium instructionis exhibendæ postulatum dari conuenit.*

485 Quãdo quis citatur ad videndum aliquid fieri per eandem partem, putà ad videndũ deponi, videndum fieri interpellationem, & quid simile; debet apponi certa dies, cùm citetur ad actus pendẽtes à citantis voluntate; & ita procedit d. *l. aut qui aliter, ff. de damn. infect.*

486 Quãdo quis citatur ad videndum aliquid fieri per Iudicem, putà decerni, relaxari mandatum, deferri iuramentum testibus, committi Notario receptionem iuramentorum testium, & similia, & vt vno verbo dicam; quando citatur ad interlocutoriam, tunc si ea est modici præiudicij, valet sine citatione, & sufficit intimatio: vt supra dictum est in *cap. 6. nu. 72. & seqq. pag. 264.* & *cap. 8. num. 276. pag. 489.* & ideò valeret etiã sine expressione termini; quia intimatio suppleret: vt supra dict. *cap. 6. n. 69. pag. 263.* Si verò est magni præiudicij, tunc requiritur citatio, antequam fiat, & non sufficit intimatio: vt dict. *cap. 6. num. 74. pag. 264. & d. cap. 8. nu. 276. pag. 489.* & successiuè citatio debet fieri cum adiectione termini: vt citatus sit certus, quando Iudex velit interloqui; & ita procedunt dicta per *Bar. in d. l. qui ante Kalendas, num. 5. in fine, ff. de verb. oblig.*

487 Quando quis citatur ad au-

audiendam ſententiam, tunc pariter, iuxta prædicta, eſt neceſſaria appoſitio termini: cùm ſententia diffinitiua ſit actus maximi præiudicij, & ideò citatus debet eſſe certus, quo tempore ſit ferenda, cùm à voluntate partis pendeat, pro ea inſtare, & ab arbitrio Iudicis, illam ferre; & ita benè procedit d. *l. aut qui aliter*, §. 1. *ff. quod vi, aut clam*; & in *d. l. fin. C. de iur. domin. impetr.* & dicta per *Bar.* in *d. l. liber homo*, §. *decem hodie, ff de verb. oblig.* & in *dict. l. qui ante Kalendas, num.* 5. *in fin. ff eodem*, & in d. *conſtit. ad reprim.* in verbo *per edictum*, *n.* 5. *ita e. iā procedunt.*

488 Sed hic animaduertendū eſt, quia Rota modò vnum, modò aliud dixiſſe viſa eſt. Nam coram *Put. dec.* 212. *lib.* 2. dixit citationem ad ſententiam valere ſine die, quia intelligitur ad primā diem, ſiue quantò citiùs comparere poterit: allegat *Doctores* tenentes opinionem *Speculatoris*, & reijcit diſtinctionem *Præpoſiti*, quod citatio valeat ſine die ad cauſam diſponendam, non autem ad expediēndum actū: dicit enim, quod ſimpliciter talis citatio ſine termino tenet, & allegat *Alex.* in *l. liber homo* §. *decem*, *ff. de verb. oblig.* & concludit in ſuo caſu, citationem factam ad ſententiam ſine die, & executam die præcedente vltimam audientiam de menſe Iulij, fuiſſe intellectam de prima die iuridica. Quam deciſionē *Rota* approbauit ſimpliciter nulla alia ratione, allegationeuè addita, coram *Mantic. deciſ.* 8 *nu.* 3. *& deciſ.* 155. *nu.* 3. & coram *Seraphino deciſ.* 857. *nu.* 23. & coram *Pirouano in rec. part.* 2. *deciſ.* 486. *nu.* 7.

489 At coram *Seraphino deciſ.* 597. *num.* 6. diuerſum dixit nempè, quod citatio ſine die non tenet, quoad effectum, vt procedi poſſit ad actus iudiciales; ſed valet quoad effectum ſolum mulctandi non comparentem: iuxtà diſtinctionem *Imolæ*, innuens, quod ex ſtylo citatio ſine die poſſet ſubſtineri. Hanc deciſionem allegauit, & ſecuta fuit *Rota* coram *Caualerio deciſ.* 376. *nu.* 5. *&* 6. vbi diſtinguit inter citationem ad ſententiam, & ad videndum iurare teſtes concludens citationem ad ſententiam non valere ſine die; quia eſt magni præiudicij, citationem autem ad vidēdum iurare teſtes, de qua loquuntur

Put.dec.258.n.5.lib.1.Mohed.decis.4.nu.3. de teslib. Rot.post cons. Farinac. decis. 296.nu.3. & decis.307.nu.1.par.2.Greg. decis.71. nu.3.

Verũ quia huiusmodi citatio continet tempus indeterminatum,& incertum; quod tamen aliquo modo determinari,& certificari potest: Ideò practica admisit hũc modum citandi, & monendi partem pro omnibus, & singulis diebus, & horis, teste *Bal.* in *l.1. nu.5. vers. practica Aduocatorum, ff. si quis caut.* ibi practica Aduocatorum dictat,quod moneatur altera pars, quod singulis diebus, & horis assistat ad videndum testium iuramenta, quam etiam Rota approbauit *Caput. decis.108, nu.2. par. 1.*& post *cons. Farinac. decis.355. nu.3,par.2.* & censuit,quod eadem citatio, quando in causa non fuit prefixus terminus probatorius intelligatur,& sustineatur per modicũ tempus;videlicet per duos solos dies: *Rota diuers. decis.311. nu.3. par.1.* & in *recentiss. decis.307. nu.9. par.1.* scilicet per duos dies immediatè sequẽtes post executionem eiusdem citationis: vt in *recentiss. decis. 52.nu.8.par.1.* & ad summum per tres dies, *Rota in recent. decis.259.nu.3. par.1.* nõ autem per quinque: *Andr.decis.65.nu.7.* Sed quando in loco iudicij fuit præfixus terminus ad probandum, tunc sustinendã censuit prædictam citationem pro toto termino probatorio: ad not. per *Bald. in l. si quando,nu.11. C.de teslib.*& in *l.si ita relictũ, §.pegasus, ff. de leg.2. Cas.de Grass. decis.9. nu.6. de re iudic,* quasi durante termino probatorio citatio prædicta nõ possit censeri incerta, nec vaga, neque seruitutis speciem inducere: *Rot.in recent. dec.307. nu.9. & decis.392. nu.6. & 7. par.1.* Et quando extra locum iudicij fuit decreta remissoria; tunc sustinendam censuit citationem prædictam pro toto termino remissoriæ,& examini præfixo: *Gregor. decis.453. nu.7.*& non solum pro primo; sed etiam pro termino prorogato, non tamen pro nouo: *Greg.decis.429.nu.5.* ea tamen citatio ad videndum iurare testes, quæ esset restricta ad certam diem sine clausula, & successiuè pro alijs, nullatenus deseruiret pro toto termino; sed solũ pro ea die, qua caderet citatio; *Caual.dec,410.n.3.*

Quod

Quod si elapso termino vel citationis, vel probatorio testes iurarēt, examen esset nullum; cùm citatio ad videndū iurare testes sit necessaria de iure: *cap.2.de testib.& ibi Doct.*

492 At pro citatione ad vidēdum iurare testes, non sufficit citatio ad videndum inducere testes, cùm sint diuersa: *Caput decis.*108.*num.*1.*par.*1. neque etiam sufficeret citatio ad videndum committi Notario causæ receptionē iuramentorum testium cùm pariter sint diuersæ: *Vestr. lib.6. cap.2.nu.*11.*&* 12. *Rota decis.* 259.*par.*1. *in recentiss. nu.*4.

493 Si tamen iurassent in termino, vtiq; possunt examinari post terminū elapsum: depositio enim testis retrotrahitur ad diem iuramēti: vt notatur in *Clem.* 1.*de offic. delegat. gloss.& Bal.in l. damni*, §.*Sabini, col fin.in princ.vers.Oldrad. inducit istum textū ff.de damn. infect.Vestr.in prax.lib.6.cap.*2 *num.*21.*vers. quæ verba*, cum pluribus alleg. per *Adden.* ad eum ibidem, *nu.*59. *Rota de testib. in nou. decis.*3. *Caputaq. decis.*285.*num.*3.*part.*3. *Rota decis.*393.*num.*6.*part.*1.*in recentiss.*

Quod tamen intelligēdum est, quando sit datus terminus simpliciter ad probandū; non autem etiam ad probatū habendum, quia tunc intra illum terminum debēt testes deponere; quia talia verba, ad probatum habendū exigunt perfectam probationem: vt per *Vestr.d. cap.*2.*sub num.*21. & per *Addent.* ad eum *nu.*60.

494 Et quando citatio ad videndum iurare testes vaga esset, & nulla, in casu, quo scilicet non sustineretur aliquo ex prædictis modis, vel pro modico tempore, vel pro termino probatorio; nihilominus testes dicerentur benè examinati, si pars comparuisset, & dedisset interrogatoria, vel dare noluisset: quia per comparitionem ostendisset pars se certam de eo, de quo fuit facta citatio, licet nulliter: *Caput. decis.*293.*par.*3.

495 In citatione autem ad sētentiam non obseruatur idem quod dictum est de citatione ad videndum iurare testes. Citatio enim ad sententiam debet fieri pro certa die, ita vt non sufficiat citatio generalis, & incerta, tanquam speciem seruitutis inducens: *gloss. in Clem.sæpè*, in verbo *ad id,de verb.significat. Gemin.in cap.*2. *nu.*4.

num.4. de dol. & contum. lib.6. Felin. in cap. consuluit, num.16. de offic. deleg. Bar. in l. fin. in fin. C. de annal. except. Rot. post cons. Farinac. decis. 313. nu.7. par.2.

496 De stylo tamen potest induci, vt valeat citatio ad sententiam pro singulis diebus, & horis, qui tamen stylus, tanquam contra ius, plenè debet probari: *Greg. decis.* 140. *nu.* 1. & 2. & ibi *Addentes num.* 11. & 12.

497 Et propterea si fieret citatio pro certa die, & deindè pro sequentibus, valeret in prima parte; sed in secunda esset nulla, iuxta *cons. Bal.* per Rotam sæpiùs approbatum, *cos.*268.*vol.*1. & iux. dicta per *Abb. in c. fin. de dilat. col.*2. *in fin.*

498 Et licet talis citatio in prima parte valida possit operari, quod Iudex eam possit in diem sequentem prorogare prolationem sententiæ, & sine alia noua citatione pronũciare, ad *cap. consuluit, de off. deleg.* non tamen hoc facere potest in vlteriorem diem, quod si faceret, sententia tanquam sine citatione lata esset nulla, *Abb.* in *cap. dilecti, col.*7. *in princ. de dol. & contum.*

499 Facta igitur citatione ad sententiam pro prima die, & deindè vel pro octo sequentibus, seù pro singulis diebus, & horis, si sententia feratur in prima die, vtique valet non obstante illa additione incerta cum octo sequentibus: *Rota* in *recent. par.*2. *decis.*571. *n.*2. sed si non feratur in prima die, non potest ferri in alijs: *Put. decis.*152. *lib.*2. Etsi feratur est nulla; quia talis citatio post primam diem valet: *Mantic. decis.*243. *nu.*1.

500 In Curia non viget stylus citandi generaliter pro pluribus, vel pro singulis diebus; sed debet necessariò exprimi certa dies, vtpotè ad primam, vel ad secundam, vel ad tertiam, vel etiam pro vltima Rota ante ferias indicẽdas, atque etiam ad hodie per totam, quę intelligitur pro hora campanellarum, hoc est pro hora audientiæ: *Seraph. decis.*1115. *nu.*2. & 3. & sententia non potest ferri pro die, in qua non cadit citatio, nec ante, nec post: aliàs sententia corrueret ex defectu citationis: *Gregor. decis.* 546. *num.*6. & citatio facta pro vna die nõ seruit pro alia: *Rot. in recentiss. decis.*365. *nu.*3 *par.*1.

501 Viget tamen in Curia stylus

Ius habendi terminũ proseruato, quod idem importat, ac si Iudex diceret pronuncio, prout in cedula subscribenda, & hanc significationem satis vulgatam retulit etiam *Gonzalez reg. 8. gloss. 60. num. 82.* qui modus pronunciandi non est de iure; sed de stylo Curiæ non tamen admodũ antiquo; sed à certis annis introducto, vt ait *Vestr. in prax. lib. 7. cap. 1 nu. 12.* de eo enim nec *Felin.* qui & ipse fuit Auditor Rotæ, nec alius antiquus Doctor vllam fecit mentionem; vt dicit *Gonzalez d. gloss. 60. nu. 87.*

502 Quãdo autem Iudex vult, post habitum terminum proseruatô, pronunciare; consueuit citari pars ad videndum declarari terminum pro seruato habitum; sed huiusmodi citatio non reproducitur; quia nõ est necessaria, sed fit ex vrbanitate, & sufficit eam Iudici ostendere, vt videat partem de hoc notitiã habuisse, & ratio est, quia sententia cẽsetur lata tunc, quando fuit seruatus terminus in die citationis factæ ad sententiam.

503 Et quando sententiæ cedula subscribitur, non notatur dies subscriptionis; sed dies citationis, & termini pro seruato habiti, ad quem retrotrahitur: *Vestr. d. lib. 7. cap. 1. num. 13. Rot. diuers. decis. 705. num. 4. par. 3. lib. 3. Rota in recent. decis. 46. nu. 3. par. 1. & in recentiss. decis. 176. nu. 1. par. 1.* Et quia talis subscriptio est quędam declaratio nudum factum continens: Ideò citatione non indiget: *Mandos. in reg. de annali, quæst. 75. nu. 3. in fin. & nu. 4.* non enim subscriptio Iudicis habet vim sẽtentiæ: *Ias. in l. si ita stipulatus, §. Chrysogonus, num. 15. ff. de verb. obligat. Rota diuers. decis. 391. nu. 2. par. 3. lib. 3.*

504 Hinc si Auditor Rotæ habuit terminũ pro seruato, qui posteà vel morte, vel alio impedimento subscribere sentẽtiam nequit, ea potest ab alio Coauditore subscribi, absque citatione partis; & subscriptio retrotrahitur ad diem termini proseruato habiti: *Put. dec. 348 nu. 1. lib. 1.* rationem ponens, quia adest inter Auditores generalis cõmissio, quæ dat formam, vt defuncto vno Auditore, alius possit sententiam subscribere per defunctum latam, nondum subscriptam; & vnus Auditor non profert sententiam, nisi de consilio aliorum Coauditorum, & in fa-

fauorem certæ personæ, post negocium decisum; & cũ omnes dicantur proferre, non mirum si Auditor subscribẽs non tenetur aliquem citare, ex eo quod citatio non esset profutura.

505 Sic in simili, quando citata parte corã Iudice ad sententiam, idem Iudex alteri delegat prolationem sententiæ, non requiritur noua citatio: *Castren. & Iacob. de Sãcto Georgio*, in *l. edita, C. de eden.* Secùs autem in alio Tribunali, in quo tunc solet pronunciari prout in cedula, non in fauorem certæ personæ, & negocio non discusso; nam tunc defuncto Iudice, successor nõ potest sententiam subscribere, nisi parte citata, & ita *Put.* vbi supra dicit fuisse decisum.

506 Quod si, post mortẽ pronunciantis prout in Cedula, fuisset commissa alteri subscriptio sententiæ; tunc sufficeret partem citare ad dicendum contra commissionem, & non esset necessaria alia specialis citatio ad subscriptionem sententiæ: *Put. decis. 249. lib. 2.* & tali casu Iudex subrogatus nõ posset ferre contrariam sententiam illi, quæ fuit anteà lata ab eo, in cuius locum fuit subrogatus: *Mohed. decis. 2. in fin. vt lit. pend.*

507 Quando verò Iudex non vult in termino proseruato habito pronunciare, tunc finit illum labi, & illa pronuncia, & ille terminus proseruato remanet vti cancellatus; & circumductus: iuxta Cõstitutionem Pij IV. prout etiam circumductus remanet per productionem nouorum iurium: *Seraph. decis. 536. nu. 3. Rota in recentiss. decis. 576. num. 11. par. 1.* & sentẽtia habetur pro cancellata: *Coccin. decis. 414. nu. 4.* & idem si Iudex admittit exceptiones, si & in quantum: *Rota in recentiss. dec. 539. nu. 1. par. 2. & decis. 101. n. 10. par. 1.* idem si admitteret articulos releuantes: sed si eos reijceret vti calumniosos, vtique posset pronunciare: *Rota diuers. decis. 24. par. 3. lib. 3.* Et quatenus etiam Iudex admitteret noua iura, & articulos sine præiudicio termini proseruato habiti; nihilominus dictus terminus circumduceretur, vt in *Romana restitutionis in integrum 15. Decembris 1610. coram Orthembergo impress. per Marches. part. 3. fol. 104.* adde *Gratian. capit. 438. num. 4.*

N Si

Si Iudex non haberet terminum proferuato in die, qua cadit citatio, ea circumduceretur, & sententia deindè lata esset nulla: *Cas. de Grass. decis. 11. nu. 2. de sententia, & re iud. Rota in recentiss. decis. 448. nu. 9. par. 2.*

Similiter si Iudex durante termino proferuato non pronunciaret, sed illo expirato, sententia nulla esset, ex defectu citationis: *Rota in recent. decis. 252. nu. 1. & 2. par. 1.*

508 Durat autē terminus proferuato in Rota per quindecim dies, & in vltima anni audientia per mensem: sic enim *Pius IV. in sua Constit. incip. in throno iustitiæ, §. item sententia*, quæ in Bullario nouo est *Constit. 44.* Sanciuit, quod sentētiæ latæ per Auditores Rotæ, prout in cedula, vt moris est, vel per viam termini proferuato subscribantur, & publicentur in actis intra quindecim dies, & in vltima anni audientia latæ infra mensem alioquin pronunciationes huiusmodi pro circumductis habeantur; & idē repetit *Paul. V. in sua Constitutione super reformatione Tribunalium Vrbis, quæ est 71. in Bullario nouo in tit. de Auditorio Rotæ*. At corā A.C. & alijs Iudicibus tàm ciuilibus, quàm criminalibus, durat per decem dies: ita *Pius IV. in sua Constitutione incip. Cùm ab ipso nostri Pontificatus initio, quæ est 58. in Bullario nouo in §. 12.* Constituit, quod Iudices tàm in criminalibus, quàm in ciuilibus, qui sententias prout in cedula, & terminos proferuatis habere consueuerunt dictarum sententiarum cedulas subscribere, & terminos proferuatis habitos declarare intra decem dies omninò teneantur: alioquin sentētiæ, & termini ipsi, lapsis decem diebus, pro circumductis habeantur.

509 Quando autem, vel A.C. pronunciaret, & subscriberet sententiam intra decem dies termini proferuato habiti, vel Auditores Rotę infra quindecim, vel infra mensem, sententia transiret in iudicatum, nisi appellatum fuisset intra decem dies, à die termini proferuato habiti; quia decendiū ad appellandum currit à die prolationis sententiæ, non autem subscriptionis, cuius dies non notatur; sed retrotrahitur ad diem citationis, & termini proferuato habiti; & ideò inoleuit vsus appellandi

infra

infra decem dies termini, quatenus contra se ferri cōtingat, & non aliàs, idque ad cautelam; quia licet pars nondùm certò sciat se grauatam fuisse, debuit tamen cogitare casum posse euenire, quo grauata esset; iuxta *tex.* in *l. si quis domum, §. idem, ff. locati*, ibi *quia hoc euenire posse prospicere debuit. Rota diuersor. decis. 391. nu. 3. par. 3. lib. 3. Gonzalez in reg. 8. gloß. 60. nu. 92.*

510 Pronunciare prout in cedula est contra dispositionem *l. 2. & 3. C. de sententijs ex breuiloquo recitandis*; de stylo tamen potest sustineri; & stylus loci in hoc est seruandus, dūmodò probetur: *Roman. consil. 367. num. 12. Franc. in cap. vlt. nu. 6. de re iud. lib. 6. Rot. diuers. decis. 705. num. 4. par. 3. lib. 3. Seraph. decis. 536. num. 2. & 4.* At in Curia hic stylus, nec probandus est, nec vllam recipit dubitationem tāquam approbatus per Pontifices in prædictis eorum Constit. &c. Immò rationabilis est, & non videtur omninò deuiare à regulis iuris communis, ex quo secundum plurium Doctorum calculum valet sententia, quādo Iudex pronunciat, prout continebitur in consilio N. iuris periti, vel sapientis etiam in actis non producto: *Felin.* post alios, quos refert in *cap. cùm venerabilis, nu. 47. de except. Alciat. de communi* in *l. 1. §. si quis ita, nu. 14. ff. de verb. oblig. Afin. in prax. §. 20. cap. 12. Vant. de nullitat. ex defect. process. num.* 104. licet ipse contrarium teneat, quando consilium non est in actis productum: *Gōzalez d. gloß. 60. n. 84.* Si enim potest sustineri sententia secundum consiliū per alium ferendum, à fortiori potiùs stylus iustificatur, quando Iudex pronunciat, prout continebitur in cedula propria suæ sentētiæ postmodum subscribenda: *Gonzalez d. gloß. 60. nu. 86.*

511 Quando Iudex declarat terminum proseruato habitū Notarius notat actum, hoc modo, ex tunc Dominus pronunciauit prout in cedula, quam facto legit, & mihi Notario dedit tenoris, &c. super quibus, &c. ad hoc enim, vt talis pronunciatio valeat, necesse est, quod Iudex ad illam se referat: *Bartol. in l. 1. in fin. C. de sent. ex peric. recitan. Angel. in l. 1. ff. de re iud. Rota diuers. dec. 705. nu. 3. par. 3. lib. 3. Canal. decis. 563. nu. 1.*

512 Et propterea talis pronũciatio non sustineretur si constaret tunc cedulam non fuisse scriptam: *Franc. in cap. vltimo, num. 5. de re iud. in 6. Rip. in l. ait Prætor, §. si Iudex, col. 2. ff. de re iud. Rot. diuers. dict. decis. 705. sub num. 3. Paris. cons. 49. nu. 91. lib. 3. Gregor. decis. 546. nu. 7.* & ibi *Adden. nu. 16.* & si cedula non esset in actis, non posset talis pronunciatio certificari per relationẽ ad acta: *l. si quis ad exhibendum, ff. de except. rei iud. Crauet. cons. 202. num. 17. Rot. post cons. Farinac. par. 1. decis. 111. num. 2.* Quocirca rectè fuit stylo introductum, vt Notarius extendat prędicta verba in pede eiusdẽ citationis, ex tunc Dominus pronunciauit, prout in cedula, quam legit, & mihi Notario consignauit, tenoris, &c. ex quibus verbis vel constat, vel præsumi potest, tempore prolationis, & termini proseruato habiti datam fuisse cedulã; & stante attestatione Notarij, non potest de contrario constare ex actis, iuxta notat. per *Bal. in l. 1. nu. 11. C. de sententijs ex Breuil. recitan. Paris. cons. 49. num. 91. lib. 3. Rota in recentis. decis. 252. nu. 2. par. 1.*

513 Nec potest dici falsitas, licet Notarius notet illum actum post terminum proseruato habitum, quia non debet apponi dies subscriptionis, sed dies termini proseruato: *Rot. diuers. d. decis. 705. part. 3. lib. 3. Gratian. discept. for. cap. 438. num. 9. & 10. Addent. ad Greg. d. decis. 546. nu. 16.*

514 Quod si Notarius talem actum enotaret sub die post lapsum terminum proseruato, tunc sentẽtia esset nulla, & ex actis constaret tempore citationis, & prolationis nõ fuisse scriptam cedulam, neq; in actis datam: *Rota in recent. d. decis. 252. nu. 2. par. 1.*

Et si Notarius simpliciter notasset, tali die Iudicem pronunciasse prout in cedula, & deindè idem Notarius attestaretur tunc non fuisse datam cedulam in actis, illi non crederetur, cũ ageretur de damnando Iudicem: *Castr. in l. Seia, num. 2. ff. ad Velleian. Ias. in l. iusiurandum, §. procurator, nu. 2. ff. de iure iur. Coccin. decis. 183. nu. 6.*

515 Illa verba, quam facto legit, important implementum modi pronunciandi à iure traditi, de quo in *l. 2. C. de sententijs ex peric. recitan.* quod scilicet Iudices sententias forment

ment, scriptasque partibus legant: aliàs enim si appareret dicta, cùm scripta non esset, nomen sententiæ non mereretur: *l. 3. C. eodem, de sententijs ex periculo recitan.* Alia pariter verba subsequentia, & mihi Notario consignauit, sunt necessaria; quia aliàs sententia lata, prout in cedula, remaneret circumducta, si Iudex cedulam penès se retineret, & illam Notario nõ consignaret: *Caput.dec.30. par.1. Gõzalez d.gloss.60.n.97. Caual.decis.563. per tot.*

Vltima verba, super quibus, hoc est, idẽ procurator instetit sibi à me Notario vnũ, vel plura confici publica instrumẽta, præsentibus N.N. testibus ad præmissa vocatis: vt in *formulario terminorum*.

516 Modo aduertendum est, quod licet in citatione, iuxta prædicta, sit apponenda certa dies; hora tamen certa non est exprimenda de necessitate; quia intelligitur pro hora audientiæ: *cap. consuluit, de offic. delegat.* ibi, *nisi partes cùm id nouerint, se sibi præsentauerint ea hora, qua congruè possit procedere ad exequendum id, propter quod eis legitimè terminum peremptorium assignasti, ex tunc exequi poteris, quod intendis, ne frustrà iudicialis instantia euanescat*; & ibi notat *Felinus numer.5. Marant. in specul. vers. rectè concipiatur citatio, numer.66. Vant. de nullitat. ex defect. citationis, num.72.* Et illa intelligitur esse hora congrua comparendi, in qua est solitum ius reddi. Sed quid si bis in die solitum esset ius reddi? videtur, quod in dubio debeat intelligi de secunda hora iuris, cùm pars sit expectanda vsque ad vltimam horam: ex adductis per *Francum in cap. cùm parati, de appell. num.23. & 25.* Et quando citatio fit ad certum actum, vtputà ad electionem, quæ solet fieri de mane post Missam, debet intelligi ad eandem horam: *Franc. ibidem num. 24.* Consueuit tamen Romana Curia in citationibus maximè, quæ fiunt extra Curiam, apponere nedum terminum, & diem, sed etiam horã: *Vant. ibidem nu.71.*

517 In criminalibus bona practica est, vt in citationibus apponatur certus terminus, ac certa hora, in qua citatus debeat cõparere: *Angel. in l. more Romano, col.2. ad fin. C. de ferijs,*

518 Et licet apponatur in citationibus criminalis iudicij certus terminus ad comparendũ, tamen pendente termino potest Iudex capi facere reum inquisitum; ideòque rei, quando timent ne capiantur; cautela est, quod exhibeant fideiussorem de comparẽdo intra certum terminum, & præstita huiusmodi fideiussione tolli solet decretũ capturæ: *Boss. in prax. crim. tit. de captura*, *nu.* 10. *Clar. in* §. *fin. quæst.* 31. *vers. vlt. quæro*.

519 Quando autem in citatione apponeretur certa hora, tunc actus si diuersa hora expediretur, citato absente, non valeret, & ex defectu citationis processus nullus remaneret, nisi Iudex citationẽ prorogasset: *Bar. in l. aut qui aliter, & in l. vlt.* §. *fin. ff. quod vi aut clam*; *Marant. d. vers. rectè concipiatur citatio, num.* 66. *Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.* 73. *Gratian. discept. forens. cap.* 333. *nu.* 18. *Felin. in cap.* 1. *num.* 22. *de Iud.* & in *cap. consuluit, nu.* 3. *&* 4. *de offic. delegat. Rota in recentiss. decis.* 340. *n.* 1. *par.* 1.

520 Hinc si pars fuit citata ad constituendum procuratorem pro hora certa, non ampliùs post eandem horam inquirendum venit an sint constituti, necne, quia pars debet intimare: *Bal. in l. eos*, §. *Apostolos, num.* 5. *&* 7. *C. de appellat. Rot. diuers. decis.* 325. *num.* 3. *par.* 3. *lib.* 3.

521 Prout etiam si consanguinei fuissent requisiti interuenire cõtractui minoris tali hora celebrando, si celebraretur alia hora absentibus eisdem consanguineis requisitis, non valeret; *Honded. cõs.* 32. *n.* 104. *lib.* 1.

522 Sic etiam si citatio fieret ad videndum fieri excussionem pro hora certa, non valeret si alia hora fieret: *Rolan. cons.* 85. *nu.* 13. *lib.* 2.

523 Similiter si quis fuisset citatus ad videndum extrahi, & collationari iura pro hora meridiei, si extractus fuisset factus alia hora ante, vel post meridiem, nõ valeret: *Crauet. cons.* 122. *nu.* 17.

524 Similiter si fieret citatio ad vidẽdum iurare testes pro certa hora, seù de mane, vel de sero; si alia hora, vel alio tempore reperiatur pręstitum iuramentum, examen non valet: *Alex. cõs.* 213. *lib.* 2. *col.* 2. *vers. præterea isti tres*; *Rolan. cons.* 37. *num.* 9. *lib.* 1. *Rot. in recentiss.*

centiss. decis. 365. nu. 3. par. 1.

525 Sed quando citatio fuit facta ad videndum aliquid fieri certa hora, putà exhibitionem, seù productionem iuriū, & illorum recognitionē, quod non debeat expectari totus lapsus horæ; sed sufficiat actū fieri statim, quod inceperit hora, respondit Rota in Nouarien. bonorum coram Reuerendissimo Domino Coccino Decano: vt in *decis. 231. la prima, nu. 7. post tract. Posti de manutenendo*.

526 Citatio igitur, quando habet expressam certam diem, vel horam, ea elapsa non arctatur citatus ad comparendum alia die; quando enim actus geritur aliter quam dictū fuerit in citatione, citatio non arctat: *Bar. in l. aut qui aliter, ff. quod vi aut clam, Caput. decis. 123. nu. 2. par. 3. Rota in recent. decis. 128. nu. 2. par. 1.*

Sic citatio ad sententiam pro prima die, si fuerit producta, & terminus seruatus in secunda die, sententia exindè lata nulla est: *Ruin. cons. 136. num. 1. lib. 5. Gabr. de citat. conclus. 1. ampl. 23. num. 106. Rota in recentiss. decis.* 448. *num. 9. par. 2.*

527 Et citatus debet in termino facere id, ad quod terminus illum requirit, & vna parte absente potest altera pars facere idem, quod terminus requirit: *Rota in antiq. decis. 7. de procur.*

528 Itaq; si citatus ad sententiā pro certa die non compareat, videtur quod Iudex possit posteà quandocunque ferre sententiam, sine alia citatione, stante contumacia citati: iuxta not. per *Bal. in l. cùm nō eo die, C. quando prouoc. non est necesse, Castren. cons. 254. sub num. 4. vers. præterea etiam, par. 2.*

Cæterum hæc Baldi, & Castrensis opinio controuersa est, & secūdū veriorem, & magis communem, non nisi die sequenti ferri potest: *Alexand. in l. de vno quoque, nu. 7. ff. de re iud. Gabr. de citat. conclus. 1. lim. 69. nu. 447. & 449. Rota in recent. decis. 365. nu. 4. par. 1.* Videtur tamen, quod si eadē die sub qua cadebat citatio fuisset accusata contumacia, posset Iudex per aliquot dies sine alia citatione sententiam ferre: *Doct. in cap. consuluit, vbi Felin. sub nu. 4. vers. & nota, de offic. deleg. Bal. in l. 1. n. 14. C. quom. & quando Iud. Decian. cons. 18. nu. 212. lib. 1.* Secus si

contumacia fuisset accusata alia die, & hora, quàm ea qua cadebat citatio, vtpotè in ea die, qua fuit lata sententia, contra practicam positam per *Bartol. in l. Arbiter Kalendis, ff. de arbitr.* & in *l. consentaneum, num.18. C. quom. & quando Iud. Ias. in l. properandum, §.1. numer.7. C. de Iudic.* Et maximè si citatus non comparuisset, neque die, qua cadebat citatio, neque sequentibus: vt per *Decian. dict. consil.18. vers. & cùm non comparuerit.* Vndè si Iudex expectauit per aliquod spacium dicitur fuisse benignior, cùm potuisset in termino citationis sententiam ferre: *Bald. in d. l.1. num.14. C. quom. & quando Iud. Felin. in d. cap. consuluit, sub num.4.* & ibidem *Dec. nu.18.* in fine: Secùs quãdo ante sententiam comparuit; quia tunc non videtur contumax, nec considerari potest cõtemptus Iudicis: *cap.2.* vbi *gloss.* in verbo *contumaciter, de dol. & contum. l. contumacia, in princ. & §.1. &* ibi *gloss. ff. de re iud.* & ita censuit *Rota* in *recent. decis.* 409. *nu.2. par.1.*

529 Licet autem Iudex possit procedere contra contumacem absq; alia citatione: *Arg. cap.2. de dolo, & contum. in 6. Abb. in cap. prout, eodem titul.* tamen hoc intelligitur, si Iudex velit, & declaret; quia Iudex potest citationem adhibere: *Card. in Clem. 1. de dol. & contum.* & tunc Iudex dicitur voluisse, quando postea cum citauit: *Arg. l. Paulus, ff. rem ratam hab.* Et licet quando actus potest explicari sine citatione, si citatio fiat possit non expectato aliter citato procedi: vt per *Abb.* in *cap. cùm inter vniuersas, de electhion.* tamen quando Iudex noluit vti potestate sibi à iure attributa, tunc citatus debet expectari; *Crescent. de dolo, & contum. decis.11. nu.3. & 4.*

530 Sequitur, vt dicamus non sufficere, si terminus in citatione exprimatur; nisi sit congruus: ad *l. aut qui aliter, ff. quod vi, aut clam.* ibi, *vel consultò tunc denunciat aduersario; cùm eum scire non posse prohibere, vel tam serò denunciat, vt obuiare, probibiturus priusquam fiat, non possit.*

531 Citatio non arctaret ad comparẽdum etiam post terminum, quando contineret terminum ita breuem, vt impos-

possibile esset in eo comparere: *Bartol. in dicta l. aut qui aliter*, & in *extrauag. ad reprimendam*, in verbo *per edictum*, *Abb. in cap. dilecti, de dol. & contum. Afflict. decision. 124. num. 3. Crescent. decis. 6. de dol. & contum.* Et hoc procedit, siue impossibilitas comparendi sit iuris, siue facti, hoc est, siue impossibile sit cõparere, ex dispositione iuris, vt quia citatur aliquis die feriato, siue impossibilitas surgat ex facto, quia terminus est nimisbreuis, vt formaliter loquitur *Franc. de Aret. in l. si mihi, & tibi*, §. *si quis seruos, in fine*, *ff. de leg. 1.* & plura exempla ponit *Specul. in titul. de citat.* §. *1. per tot.* Et quod aliud sit impossibile de natura, & aliud de iure, dicit *gloss.* in *l. cõtinuus*, §. *cùm quis*, in verbo *natura*, *ff. de verb. obligat.*

532 Itaque, qui præsens est in loco iudicij si citetur personaliter, potest aliquando citari ad hodie per totam; quia tunc non potest considerari impossibilitas cõparendi, cùm notitia citationis non possit controuerti, & talis citatio valet: *Put. decis. 178. n. 2. lib. 1. Salust. Tib. in prax. A.C. cap. 49. nu. 12. lib. 1.*

Si verò citatur domi dimissa copia, tunc quia potest controuerti notitia citationis in eadem die, qua fortè domum non redijsset, vel alia de causa: Ideò non valet citatio domi ad hodie per totam; sed debet fieri per diem ante, & ita vna die pro alia: *Put. dicta decision. 178. num. 2. Salust. Tiber. vbi supra num. 13.*

533 Qui verò abest à loco iudicij, siue citetur personaliter, siue domi, siue per edictum, debet citari cum termino ad comparendum competenti; vt in *extrauag. rem non nouam, de dol. & contum.* ibi *arctent citatos post lapsum terminum, quem, considerata locorum distantia, volumus citationibus ipsis competentem apponi, sicut si eos personaliter apprehendissent*, & idem dicitur in *Clem. 1. de iud.* ibi *sic valeant, atque arctent citatos post lapsum terminum, quem considerata distantia locorum, citationibus ipsis apponi conuenit competentem, ac si ad eos personaliter deuenissent.*

Iudex autem mandans citari absẽtem, debet scire quo loco is degat, & secundum le-

legem debet considerare loci distantiam, vt scilicet pro singulis viginti milliarijs cōcedat vnum diem: *l. 1. ff. si quis caut.* ibi *Vicena millia passuū in singulos dies dinumerare Prætor iubet:* & infra. *nàm sanè talis dinumeratio neutri litigatorum onerosa est;* & idem habetur in §. *qui autem excusare, instit. de excusat. tut. vel curat.* ibi *dinumeratione facta viginti millium diurnorum.*

Considerare etiam debet, si commodè in eodem legis termino possit comparere; *cap. cupientes, §. hac generalis, de elect. in 6.* ibi *quamcitò poterunt locorum considerata distantia.* Si enim longum esset iter, nō tenetur quis diebus, & noctibus, & omni tempore pluuioso, & absque interpositione quietis continuare iter, & nimium festinare; neque etiam ita morari, vt nimium sit, & ratione temporis difficiliùs etiam redditur iter in hyeme, quàm in æstate, ratione autem personæ difficiliùs est senibus, & valetudinarijs, & nobilibus, quàm alijs, & hoc elegāter explicat *I. Cons. in l. continuus, §. cùm ita stipulatus, ff. de verb. oblig.* ibi, *& magis est, vt totam eam rem ad Iudicem, idest ad virum bonum remittamus, qui æstimet quanto tempore diligens pater familias efficere possit, quod facturum se promisit is, qui ephesi daturum se spoponderit: vt neque duplomate, idest diebus, at noctibus, & omni tēpestate contempta iter continuare cogatur; neque tàm delicatè progredi debeat, vt reprehensione dignus appareat; sed habita ratione temporis, ætatis, sexus, valetudinis, cùm & id agat, vt & maturè perueniat, idest eodem tempore, quo plerique eiusdem conditionis homines solent peruenire;* adde *gloss.* in d. *cap. cupientes, §. hac generali,* in verbo *cōmodè, circa fin. de elect. in 6.* quæ dicit, quod pius Iudex nō arbitrabitur, quod per quadraginta dietas, vel plures quis venire posset commodè non quiescēdo, & sensit quod vnus dies pro qualibet hebdomada debeat dari ad quiescendum.

Dicunt Doctores terminū, & dilationem congruam esse apponendam, prout arbitrio iudicantis videbitur æquum, talia enim resident in pectore iudicantis: *gloss. in cap. 2.* in verbo *planè,* circa medium, *de dilat. Bar. in l. 2. nu. 10. ff. de re iud. Bal. in l. vt perfectiùs, n. 10. vers.*

verſ. quinto, quod termini, C. de annali except.

Dummodò ſtatuat terminum congruum, non enim debet Iudex facere, quod ſit partibus oneroſum: *gloſſ. fin.* in d. *l.* 1. *ff. ſi quis caut.* & ſi in citatione apponeret terminum nimis breuem, citatio tãquam temeraria, & nulla, non arctaret ad comparendum; *Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.* 67. *Veſtr. in prax. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 5. *Rolan. conſ.* 39. *nu.* 27. *lib.* 1.

534 Sed aduertendũ eſt, quia in hac materia Doctores contrariantur; alij enim dicunt citationem continentem breuẽ terminum eſſe nullam, vt ſupra. Alij non eſſe nullam, ſed recipere appellationem. Alij verò neque recipere appellationem, cùm videatur continere grauamen per ſolam cõparitionẽ reparabile. Et propterea ita diſtinguo, ſi citatio continet terminũ ita breuem, vt manifeſtè appareat impoſſibilis comparitio intra eundem, tunc eſt nulla iuxta prædicta, & non arctat ad comparendum, impoſſibiliũ enim nulla eſt obligatio: *l. impoſſibilium, ff. de reg. iur.* & facit *tex. in* §. *loca, inſtit. de verb. oblig.* ibi *& ideò ſi quis Romæ ita ſtipuletur, hodie Chartagini dare ſpondes? Inutilis eſt ſtipulatio, cùm impoſſibilis ſit repromiſsio, ideſt rei promiſſæ præſtatio:* ad idem facit *tex. in l. quæſitum eſt, ff. de re iud.* ibi *morbus ſonticus, etiam inuitis litigatoribus, ac Iudice, diem differt,* & infra: *igitur ſi rei iudicandæ tempore alter ex litigatoribus ſebrem habuerit; res non videtur iudicata,* addo *Bald. in l.* 2. *C. de Epiſc. audientia, num.* 7. *&* 8. & ita procedunt, quæ ſupra dicta ſunt de nullitate citationis.

Si verò citatio contineat breuem terminum intra quẽ comparere non ſit impoſſibile; ſed difficile, tunc ſi citatio cum breui termino deuenerit ad notitiam citati, vtputà, quia fuerit citatus perſonaliter, vel quia aliundè ſit probata notitia; tunc à breuitate termini debet appellare coram honeſtis perſonis, ſi timet comparere coram citante, & in appellatione debet exprimere cauſam, propter quam nõ vult comparere: *Bald. in d. l.* 2. *C. de Epiſc. aud. ſub nu.* 7. & ita procedunt dicta per *Archid. ſuper quæſt.* 2. *in ſumma,* & per *Butr. in cap.* 1. *de dilat.* & per *Vital. in Clem.* 1. *in* 6. *not. de Iud.* Nempè quod à ci-

à citatione continente breuẽ terminum eſt appellandum. Si autem ad eius notitiam nõ deueniſſet eadem citatio cũ tali breui termino, ea remaneret nulla, cum ſine eius notitia non poſſet appellari: ita declarat *Put. deiſ.* 150. *nu.* 2. 3. & 4. *lib.* 3.

Si verò ſit citatus cum termino, intra quem difficile ſit, vt poſſit comparere; tunc ſi non habet iuſtam cauſam non cõparendi coram eodem Iudice citante, non poteſt appellare; quia comparendo poteſt leuare grauamen; & eo magis quando eſt citatus cum clauſula, ſi ſenſeriſte grauatum compareas recepturus iuſtitię complementum; & ita procedit, quod à breuitate termini citatus non poteſt appellare, cùm poſſit comparere in termino; *Bald. d. l.* 2. *ſub nu.* 7. & 8. *C. de Epiſc. aud.* vbi dicit etiam prædicta procedere in termino dato ad comparendum; ſecùs autem in termino dato ad probandum, quia cùm tota virtus cauſæ conſiſtat in probationibus, ille qui nimis arctaretur, poſſet appellare: cùm tale grauamen eſſet aptũ ad inferendum plenum præiudicium, ſi non haberet tempus ſufficiens ad probandum; ex alleg. per eum.

535 Ob breuitatẽ termini appoſiti in citationibus per edicta executis *Rota* plures proceſſus annullauit, & in vno caſu, quo citatio per edictum executa fuit Terracinæ cõtra eum, qui erat in Inſula Siciliæ, cum ſolo termino quindecim dierum, Rota cenſuit citatum nõ fuiſſe arctatum ad comparendum, & citationem fuiſſe nullam, & temerariam, quia continebat terminũ, quo impoſſibile erat comparere: vt per *Caſſador. deciſ.* 6. *de dol. & cont. nu.* 3.

Idem reſpondit in alio caſu, quo citatio per edictum executa fuit Mediolani, cum ſolo termino quadraginta dierum ad cõparendum in Curia contra eum, qui in partibus Normandiæ degebat: vt per *Put. d. deciſ.* 150. *lib.* 3. Et denique in alio caſu, quo inter citationem per edictũ decretam, & tempus prolatæ ſententiæ intrarunt tantum octo dies, habuit citationem pro non facta, cùm ad citati notitiam peruenire non potuerit: vt per *Caput. deciſ.* 263. *num.* 7. *par.* 2.

536 Quando autem ſtatutum præ-

præfigeret, seù declararet certum terminũ dandum ad cõparendum, tunc is censeretur congruus, qui si non apponeretur in citatione; eadem citatio, tanquam cõtra formam statuti, non valeret: *Imol. consil. 97. num. 3.* facit *tex.* in *l. non dubium, C. de legibus*, ibi *ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia; sed pro infectis habeantur, licet legislator prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est.*

37 Verùm, quia non sufficit aliquem citare cum termino competenti, intra quem possit comparere; sed etiam debet citari ad diem, seù tempus congruum, in quo possit comparere, iuxta supra relatum, *tex.* in *l. aut qui aliter, ff. quod vi, aut clam.*

Ideò cõtrouertunt Doctores, an citatio ad diem feriatam facta valeat, quæ materia cùm sit valdè vtilis, longiori indiget explicatione, & quod vtile videbitur prȩstabimus in sequenti Capite.

De Ferijs, & an citatio valeat facta, vel in die feriata, vel ad diem feriatã; & de Die, Terminiuè computatione in quo citatus debet comparere. Caput X.

SVMMARIVM.

1 *Feriæ sunt dies quietis.*
Dies feriati dicuntur, quibus cessandum est à strepitu iudiciorum.
Dies festi, quibus vacandum est cultui Diuino.
Dies laborum, quibus operãdum est, & ius dicitur.

2 *Feriæ apud omnes Nationes fuerunt indictæ in honorem Deorum, Principum, & ob hominum necessitatem.*

3 *Feriæ dictæ sunt à feriendo, vel ferendo.*

4 *In ferijs licet agere quod prætermissum noceret, respondit Sceuola.*

5 *Deus omnia insimul, non autem distinctis diebus creauit.*

6 *Sacra Scriptura vsa est distinctione sex dierum, quia omnia insimul complecti non potuit.*

7 *Sabbati celebrationem præcepit Moyses Hebrais certò*

ritu,

ritu, & cum comminatione mortis.

8 *Hebrei in Sabbato sacrificabant.*

9 *Ferias alias, solemnitatesq; vltra Sabbatum Hebrei habebant.*

10 *Christiani ex Apostolorū traditione, loco Sabbati, solemnizant diem Dominicum.*

11 *Deus post rerum creationem quieuit; sed post hominis lapsum nouum opus assumpsit redemptionis.*

12 *Dominicus dies celebratur, quo Christus resurgēs ab opere redēptionis quieuit, & plura de Dominica Resurrectionis.*

13 *Apostoli, eorumque discipuli solemnizarunt diem Dominicum; diem Solis anteà appellatum.*

Eumque Constantinus Imperator iussit toto Orbe venerari.

14 *Dies septem hebdomadæ à septem Planetis denominati sūt, & etiam à Christianis, excepto die Dominico, & die Sabbati.*

15 *Feriam primam, feriam secundam, tertiam, & vsque ad sextam, quare Ecclesia nuncupauerit.*

16 *Missa cur quotidiè celebretur.*

17 *Dies festiui qui sint.*

18 *Mariæ Virgini honor exhibitus redundat in ipsum Deū, Filium, & Spiritum sanctū.*

19 *Sanctis honor qui tribuitur, redundat in honorem Dei.*

20 *Sanctis non æqualiter, sed pro meritis honor debetur.*

21 *Sanctum quenquam non licet venerari sine Papæ licētia Miracula non arguunt quē Sanctū sine auctoritate Ecclesiæ.*

22 *Dominicus dies an sit de iure Diuino, vel humano; & cadat sub tertio præcepto Decalogi. Sabbata sanctifices, quæstio est apud Theologos, Summistas, & Canonistas.*

23 *Quis sit effectus quæstionis. Rationes pro affirmatiua.*

24 *Rationes pro negatiua.*

25 *Concordia prædictarum opinionum, quod solemnitas diei Dominici sit de iure humano, solemnizatio autē quietis Dei ab opere sit de iure Diuino.*

26 *Dominici diei festiuitatē non posse tolli, nec in aliam diem transferri, Author opinatur.*

27 *Dominici diei obseruatio succedit loco Sabbati, non ex vi præcepti; sed ex constitutione Ecclesiæ.*

28 *Cap. licet de Ferijs. quomodo intelligi debeat.*

29 *Martyrū natalitia, idest dies mar-*

martyrij, Ecclesia celebrat.

30 Martyrium implet vicem Baptismi.

Latro bonus passus est, nō quia credidit, sed dum patiebatur, credidit.

31 Dominici diei festum non potest tolli, nec mutari cùm sit praeceptum Ecclesiae, deductum ex principijs legis naturalis, & diuinae.

32 Dominicus dies insignis est.
Fuit primus dies saeculi, quo formata sunt elementa.
Pluuit manna in illo.
Christus natus est.
Stella refulsit Magis.
Christus baptizatus in Iordano
Vinum de aqua in Canna Galilaeae factum.
Benedixit Deus quinque panes, & satiauit quinque millia hominum.
Resurrexit à mortuis.
Intrauit domū clausam, vbi erant Apostoli.
Spiritus sanctus descendit in Apostolos.
In quo etiam speramus Christum venturū ad iudicandū.

33 Dei cultus exterior in festis diebus an sufficiat, an verò requiratur interior.

34 Festo die peccans, an vnū, vel duplex peccatum cōmittat.

35 Dei dilectionis actus interior qualis esse debeat.

36 Festos dies debēt ita Christiani obseruare, vt integram Missam audiant, & seruilia non operentur, & cessent à iudicijs.

37 Opera seruilia multa permittuntur in diebus festis.
Videlicet propter necessitatē.
Propter propriam vtilitatē.
Propter vtilitatem proximi.
Propter commodum Ecclesiae.
Propter auctoritatem Superioris.

38 Iudicia silere debent festis diebus, tàm ecclesiastica, quàm saecularia.

39 Actus iudicialis nullus fieri potest diebus festiuis.

40 Iuramenta festis diebus praestari non debent.

41 Carcerati pro leuioribus sunt excarcerandi in festiuitatibus praecipuis.

42 Festis diebus iudicium agi potest ex causa necessitatis, vel pietatis.

43 Feriae aliae sunt ordinariae, aliae extraordinariae.
Honorariae, aliae in honorem Dei, & Sanctorum, & aliae in honorem Principis.

44 Ferias sacras in honorē Dei, & Sanctorum vniuersaliter obseruandas, sola Ecclesia vniuersalis indicit.

Festos

45 Festos dies consuetudo Laicorum non potest inducere.

46 Ferijs sacris renunciari non potest.

47 Ferijs sacris derogari ex causa potest solus Papa.
Clausula, nō tamen in diebus feriatis, apponitur in generali derogatione feriarum.

48 Consuetudines derogant ferijs in honorem Dei, quando sunt rationabiles, & receptæ, & quatuor ponuntur exempla.

49 Quadragesimæ tempus licet de iure sit feriatum, in criminalibus de cōsuetudine tamen non seruatur.

50 Copistæ in Vrbe ex consuetudine excusantur scribētes festis diebus.

51 Rusticorum Iudices ex consuetudine ius dicentes festiuis diebus excusantur.

52 Nundinarum Iudices festiuis diebus ius reddunt ex priuilegio, vel consuetudine.

53 Statuto Indici nō potest, quod dies Dominica nō sit feriata.

54 Feriæ honorariæ in honorem Principis quæ sint, & illis non potest renunciari.
Nec illis solet derogari.

55 Feriæ necessariæ ob necessitatem fructuum colligendorum, messium, & vindemiarum à iure sunt inductæ; sed indicūtur à Præside ex consuetudine cuiusque loci.

56 Ferijs messiū, & vindemiarum partes possunt renunciare, Iudice tamen inuito nequeunt procedere, quando ipse non vult renunciare fauori suo.

57 Ferijs renunciare non censetur, qui citatus non cōparet.

58 Comparere non tenetur citatus, quando certum est eum non posse citari; secùs si dubium.

59 Renunciatio ferijs messium, & vindemiarum potest fieri in instrumento, & per procuratores.

60 Testes non possunt cogi ad subijciendum se examini tēpore feriarum, non obstante partium renunciatione.

61 Derogat Signatura Iustitiæ ferijs necessarijs ad petitionē partis, & faciliùs cum cōsensu Iudicis.
Et in causis executiuis, & mercedis.
Non tamen pro dandis remissorijs.
Et feriæ censentur concessæ etiā bis, qui non per se, sed per alios sūt occupati in re rustica
Et qui gaudeant ferijs necessariis.

62 Feriæ repentinæ quæ sint.

A

A quibus indicantur.
Et an illis possit renunciari.

63 Lege, quæ non sunt probibita, permissa censentur.

64 Festis diebus probibentur placita, iurgia, & strepitus iudiciales.

65 Festis diebus cuiuscunque causæ negocium non debent Iudices ventilare.

66 Festis diebus iudicialis strepitus debet conquiescere.

67 Festus dies sit à cognitione alienus.

68 Festis diebus iuramenta præstanda non sunt.

69 Festis diebus nō iudicatur quis ad mortem, vel ad pœnam.

70 Festis diebus, quæ probibita sunt, permittuntur ex causa necessitatis, vel pietatis.

71 Actus iurisdictionis volūtariæ quibuslibet ferijs per Iudicē possūt expediri. Iudex tamen hæc absque necessitate in die festo faciens peccat.

72 Actus iurisdictionis volūtariæ non potest die festo expediri, quando quis pro suo interesse contradiceret.

73 Collatio beneficiorū est actus voluntariæ iurisdictionis, & potest fieri extra territoriū, & extraiudicialiter.

74 Nisi tamen fiat in concursu, & oppositione aliorum, quia tunc requiritur causæ cognitio.

75 Excommunicatio, & absolutio sunt actus voluntariæ iurisdictionis, & possunt fieri die feriata, quando non requiritur causæ cognitio; aliàs secùs.

76 Excommunicationes, seù monitoria fulminantur festis diebus pro rebus deperditis, seù subtractis: exceptis tamen quibusdam festis diebus solemnioribus.

77 Declaratoria est actus iudicialis, & ferri non potest die feriato.

78 Absolutio ab excōmunicatione, nō obstante contraditione, potest dari in die feriata.

79 Decretum in cōtractibus minorum, an possit interponi die feriata in honorem Dei. Opinio negatiua est verior, quia, licet sit actus iurisdictionis volūtariæ, tamen requirit causæ cognitionem pro Tribunali, & non de plano.

80 L. actus, C. de ferijs per Authorem explicatur.

81 Exceptio, licet firmet regulā in casibus nō exceptuatis, extēditur tamen ad consimiles.

82 Interpretatio fieri dicitur, vel per viam extensionis, vel per viam comprehensionis.

83 *Actus voluntariæ iurisdictionis sunt, emancipatio, manumissio, & adoptio, qui pendent ex solo arbitrio emãcipantis, manumittentis, & adoptantis, absque alia disceptatione, & causæ cognitione.*

84 *Sedere pro Tribunali Iudex non debet in emancipatione, manumissione, vel adoptione expedienda.*
Nec aliã causæ cognitionem adhibere; sed solam voluntatem exquirere emancipantium, manumittentium, seù adoptantium.

85 *Sedere pro Tribunali Iudex debet interponens decretum in contractibus minorum, vel mulierum.*
Pendent enim ab vtilitate, & necessitate, non ex sola contrahendi voluntate.

86 *Causæ cognitio, alia fit pro Tribunali, alia de plano.*

87 *Error Scacciæ, tenentis decretum in contractibus minorum posse interponi diebus feriatis in honorem Dei, ostenditur per Authorem.*

88 *Festis diebus possũt fieri actus extraiudiciales.*
Et Iudex potest audire partes informãtes extraiudicialiter.
Et assumere informationem pro sua conscientia, & ad suam instructionem, & sine partis citatione.

89 *Iudex, qui potest procedere extraiudicialiter, nihilominus si vult, potest iudicialiter procedere.*

90 *Testium depositiones debent fieri secretè.*
Et dies depositionis retrotrahitur ad diem iuramenti.

91 *Iuramentũ testium est actus iudicialis, qui fieri non potest diebus feriatis.*

92 *Examinari potest testis tempore feriato, & post terminũ, si iurauit in die iuridico, & in termino.*

93 *Examinare testes simpliciter, & recipere eorum depositiones non videtur licere in diebus festis; cùm fiat in executione actus iudicialis, & abstrahat à cultu diuino.*

94 *Examinari non possunt testes die feriato, quando altera pars non consentit.*

95 *Examinari possũt festis diebus testes valetudinarij, seù affuturi.*

96 *Publicatio dictorum testium valetudinariorum, & affuturorum non potest fieri diebus feriatis.*

97 *Libelli oblatio simplex est actus*

actus extraiudicialis, & potest fieri die feriato, non tamen in honorem Dei, & quando porrigitur citata parte, quia tunc est actus iudicialis, non potest fieri quouis die feriato.

98 *Doctores dicunt libelli oblationem extraiudicialem nullum parere effectum; Author contrarium sentit.*

99 *Libelli oblatio extraiudicialis non operatur praeuentionem, neque perpetuationem iurisdictionis, deficiente partis citatione.*

100 *Libelli oblatio extraiudicialis operatur, vt censeatur facta in tempore.*

101 *Feriata die quamuis quis non possit citari ad respondendum libello; tamen potest citari ad illum recipiendum.*

102 *Feriata die sicut potest dari libellus per actorem, ita & exceptio per reum, non autem terminus ad proponendas exceptiones.*

103 *Protestationis quattuor sunt species, declaratoria, inhibitoria, incitatoria, & certificatoria.*

104 *Protestatio fieri potest, vel in iudicio, vel extraiudicium.*

105 *Protestatio facta non congruo tempore, non constituit quem in mora.*

106 *Protestatio potest fieri die feriata, cùm sit actus extraiudicialis.*

Intellige, si sit facta parte praesente, vel contumace; secùs si parte absente non citata.

107 *Appellatio est actus extraiudicialis, & fit coram solo Iudice altera parte absente.*

108 *Appellatio ab actu extraiudiciali satis est, vt parti intimetur; secùs à iudiciali.*

109 *Appellatio valet porrecta in scriptis, licet coram Iudice non legatur.*

110 *Iudex post latam sententiam non debet se abscondere, ne grauatus possit illi appellationem offerre.*

111 *Appellationis tempora sunt continua, & connumerantur dies feriati.*

112 *Feriata die, sicut potest appellari, ita & appellatio admitti.*

113 *Apostoli debent peti congruo loco, & tempore, & infra triginta dies, vel insimul cum appellatione.*

114 *Executio an fieri possit die feriato, diuersae sunt Docto-*

rum opiniones.
Quod indistinctè fieri nequeat in diebus feriatis, exceptis solis ferijs messium, & vindemiarum, censuit Bar.
115 *Quod distinguendum sit inter mandatum Iudicis de exequendo, vt fieri non possit, & inter nudam facti executionem, vt fieri possit in ferijs necessarijs, & repentinis; non tamen in honorem Dei, voluit Io. Andr.*
116 *Quod nuda executio fieri possit etiam in diebus feriatis in honorem Dei, sentit Federic. de Senis.*
117 *Et hoc dictum secutus est Abbas declarando, quod Iudex nihilominus peccaret, licet de facto executio teneret.*
118 *Contrarium, quod nec etiam teneret; sed instante parte posset reuocari, dixit Felin.*
119 *Quod mandatum de exequẽdo fieri nequeat in ferijs in honorem Dei, quando requirit partis citationem; secùs quando illam non requirit, distinxit Aret.*
120 *Aliter distinxit Castr. inter executionem meram, quando nulla præcedere debet causæ cognitio, vt ea fieri possit tempore feriato propter messes, & vindemias, non autem in honorem Dei, & inter mixtam, vt non possit fieri etiam in ferijs messium, & vindemiarum.*
121 *Sed quod pignoratio possit fieri quouis tẽpore feriato, excepto solo die Dominico, opinatus fuit Guido Papa.*
122 *At quod nec fieri possit in hebdomada sãcta; dixit Thesaur.*
123 *Author in hac materia confusa, distinguit tres actus, relaxationẽ executionis, præceptum de exequendo, & actualem executionem.*
124 *Mandatum executiuum decernere, & relaxare in sentẽtijs, quæ recipiunt appellationem, quid operetur secundum Authoris opinionem.*
125 *Executionis relaxatio si petitur vigore rei iudicatæ, aut petitur officio Iudicis, aut actione in facto, aut vigore rescripti, vel in defectum, vel in auxilium iurisdictionis.*
Et quouis modo petatur debet pars citari, & est actus iudicialis; & peti non potest in diebus feriatis, maximè in honorem Dei, vel Principis, vel in repentinis.
126 *Executor, quando opponitur de nullitate sententiæ, potest cognoscere de ea, ad effectũ, vt ad Iudicem remittat,*
qui

qui executionem commisit.

127 *Executor, quando opponitur de iniustitia sententiæ, non potest de ea cognoscere; sed debet exequi; quia sufficit pronunciatum esse.*

Adam statim in executione diuinæ sententiæ de Paradiso eiectus est.

128 *Executio si petatur vigore instrumenti, debet pars citari. Item si vigore testamenti, vel litterarum Apostolicarũ, seù etiam bãni, & non potest fieri in ferijs in honorem Dei; sed in solis necessarijs.*

129 *Mandatũ, seù præceptũ executiuum potest per Iudicẽ subscribi, & consignari familiæ, etiam in die feriato in honorẽ Dei: cùm sit actus extraiudicialis, nullam requirens causæ cognitionem.*

130 *Executionis nudæ commissio potest fieri in die feriato, quãdo cõmittitur super eadem re, de qua fuit iudicatum; nisi aliud opponeretur.*

Quando autem committitur super alia re, requiritur causæ cognitio; & non potest fieri; nisi in ferijs messium, & vindemiarum.

131 *In ferijs messium, & vindemiarum potest peti commissio executionis, & familia pro associatione.*

132 *Executio, quæ fit per capturã personæ, vel pignorũ, nõ potest fieri die feriato in honorẽ Dei, nec in Hebdomada sancta. Et Guidonis Papæ dictũ contrarium per Authorẽ non approbatur.*

133 *Inter diẽ Dominicũ, & alios dies festos in honorem Dei, nõ est differentia, quoad obseruationem feriarum.*

134 *Nũcius, seù Executor, de expressa Iudicis commissione faciẽs executionem in die festo, non peccat; sed mandatum, & executio est nulla.*

Iussus Iudicis excusat à pœna, etiam si rectè non sit factus, Missam si filia, Vxor, vel Famulus nõ audiant in die festo, excusantur à culpa, propter iussũ Patris, Mariti, vel Heri, in quos culpa refunditur.

135 *Nuncius exequens mandatũ in die festo absq; expressa Iudicis commissione, peccat, & executio est nulla.*

136 *Incantus pignorum fieri non potest in die feriata, in honorem Dei.*

137 *Executioni, quæ fieret in die festo, resistens, punitur pœna extraordinaria.*

138 *In ferijs Natiuitatis Domini hæres potest immitti in pos-*

possessionem bonorum, & in alijs etiam festis diebus potest capi possessio.

139 *Causa cognitio requiritur vbi per partem, vel per Iudicem aliquid agendum sit.*

140 *Et Iudex procedens sine causa cognitione, procedit tanquã priuatus.*

Sine causa cognitione nõ tenet sententia, siue diffinitiua, siue interlocutoria.

141 *Iudex, non recipiens vtriusq; partis probationes, non dicitur causa cognitionẽ adhibuisse.*

142 *Pars quæ non probauit sibi debet imputare.*

Sed si Iudex probationes non vidit, de illo conquerendum est.

143 *Iudex debet esse plenè instructus antequam pronunciet, etiam si esset Princeps.*

144 *Causa cognitio præcedere debet in criminalibus, videlicet de quo fuerit accusatus, quomodo cõfessus fuerit se reum, & quomodo fuerit per testes conuictus.*

Iudas, quia non fuit accusatus, ideò non fuit eiectus.

145 *In delictis iudicandis nedùm inspiciendum est factum; sed etiam tempus, causa, voluntas, & persona; nec aliter potest ad veritatem perueniri.*

146 *Ordo iudiciorum seruandus est in ferenda sententia, siue ciuili, siue criminali.*

Non potest esse maturitas cõsilij, vbi non est ordo iudicij.

147 *Sententia lata nullis factis probationibus non est nulla, sed iniusta: quia probationes non sunt de ordine substantiali, sed de iustitia.*

148 *Causa cognitio debet præcedere, si sit ferẽda interlocutoria.*

149 *Causa cognitio præcedere debet, etiamsi in extraiudicialibus interponatur decretum, putà in alienatione rerũ minorum, in transactione super alimentis, & simil.*

150 *Decretum super rebus minorum, si sit interpositum ex falsa causa, remanet nullum.*

151 *Decreti causa non sufficit quod sit vera; sed debet esse certa, & nota Iudici.*

152 *Causa cognitio in huiusmodi decretis requiritur pro forma, ideò debet impleri in specie, & non in genere.*

153 *Aliud est actus, qui debet fieri cum causa cognitione; & aliud ipsa causa cognitio.*

154 *Actus iudicialis, qui debet fieri cum causa cognitione, velut sententia diffinitiua; vel interlocutoria, requirit partis citationem, & fieri ne-*

nequit die feriato.

155 *Actus extraiudicialis, vt interpositio decreti, requirit causæ cognitionem, & debet interponi Iudice pro Tribunali sedente; ideò nequit fieri diebus feriatis.*

156 *Causæ cognitio fieri non potest eodem tempore, quo fit actus; nisi fieret vtraque parte præsente.*

Vel vbi parua disceptatio requireretur.

Vel vbi esset talis, quæ posset adhiberi incontinenti.

Vel quãdo causa antè fuisset disputata, & ruminata.

Vel quando per sententiam Iudicis res minoris adiudicaretur.

Quibus casibus præsumitur interposita in eodem actu.

157 *In adiudicatione rei minoris non requiritur alia causæ cognitio, quando fuit actũ actione reali, secùs si personali.*

158 *Causæ cognitio non potest fieri post actum; sed debet actum præcedere.*

Sententia debet ferri ex probationibus factis, non fiendis.

159 *Stylus pronunciandi statim in principio causæ prout in cedula, non probatur.*

160 *Causa cognitio debet præcedere actum, & requiritur tempus congruum.*

161 *Pro sententia, seù decreto præsumitur, quando præcessit tẽpus congruũ, quo potuit causæ cognitio adhiberi, aliàs non, stante temporis breuitate.*

162 *Causæ cognitio, quæ præcedere debet sententiam, cõsistens in admittendis, recipiendisuè iuribus, testibus, alijsue probationibus, vel in interrogationibus fiendis, vel dilationibus dandis, non potest fieri in die feriato: cùm sit actus iudicialis.*

163 *Causæ cognitio, quatenus consistit in visione actorum, & examinatione probationum, & similiũ, potest fieri etiam in die festo, vti actus extraiudicialis.*

164 *Causæ cognitio, quæ præcedere debet actum interpositionis decreti, consistens in inquisitione de causa, modo, & de persona, vtique fieri potest etiam die festo, tanquam actus extraiudicialis.*

165 *Iudex in die festo potest audire partes informantes extra forum & tribunal.*

166 *Festum non violant Procuratores, & Aduocati informantes in die festo, etiã questus gratia.*

167 *Doctor potest facere consilium*

O 4 *etiam*

etiam in die festo lucri gratia, vt expediat illum, qui de longè venit.

168 *Arbitrator poteſt procedere die festo, cùm ſit amicabilis cōpositor, & mediator pacis.*

169 *Iuramentum, aliud eſt iudiciale, videlicet suppletoriũ, decisiuum, veritatis, calumniæ, in litem, & purgationis; & aliud extraiudiciale, videlicet promissorium, assertoriũ, confirmatorium, fidelitatis, & ligium.*

170 *Iuramentum iudiciale præstari non poteſt diebus feriatis, quibus iudicia silere debēt.*

171 *Iuramentũ extraiudiciale, ligiũ, & fidelitatis, præstari poteſt etiam feſtis diebus.*

172 *Iuramentum in contractu, seù instrumentis, an recipi, & præstari poſſit in die feriato. quæstio eſt inter DD. vide.*

173 *Crimina enormia poſſunt etiā feſtis diebus puniri.*

Malefactores punire, eſt gratum Deo sacrificium.

174 *Torquere reos in diebus feſtis licet; ſed ſi non eſt periculum in mora, differendum eſt.*

175 *Capi poteſt delinquens in fragranti repertus in diebus feſtiuis.*

176 *Capi poteſt debitor suſpectus de fuga in die feſto.*

Et ſi captura fuit erronea poteſt reuocari etiā in die feſto.

177 *Arreſtum debitoris carcerati nō poteſt fieri die feriato, cùm non ſit ſuſpicio fugæ.*

178 *In ferijs agi poſſunt ea, quæ ſuadet neceſſitas.*

179 *Neceſſitas dicitur vrgere tribus modis. Primò, quando actio eſſet tēpore peritura.*

180 *Secundò, quando res debita eſſet interitura.*

181 *Tertiò, quando res celeritatem deſiderat.*

182 *Operari licet in rebus ruſticis, etiam diebus feſtis, propter imminens periculum inũdationis, vel aliud ſimile.*

183 *Piſcari licet feſtiuis diebus, propter imminens periculum.*

184 *Cauſæ Fiſcales, & Piſtorũ, & ſimiles celeritatem deſiderantes, poſſunt feſtis diebus tractari.*

185 *Neceſſitas ab obſeruatione Feſtorum excuſat, ſiue ſit circa temporalia, ſiue circa ſpiritualia, & ſufficit ſine licentia Superioris, ſi ſit indubitabilis.*

186 *Pietas, quando ſuadeat, vt feriatis diebus cauſæ agantur perſonarum miſerabilium.*

187 *Tutor, & Curator poteſt dari in diebus feſtiuis, quando eſſet dandus ſiue cauſæ cogni-*

gnitione, & Iudice non sedente pro tribunali.

188 *Causæ alimentorum possunt tractari in Ferijs, in honorem Dei, quando petuntur officio Iudicis; secùs si iure actionis. Item, quando agitur de præsentibus, seù futuris, secùs si de præteritis.*

189 *Causa legitimæ nō potest tractari tempore feriato.*

190 *Causæ carceratorum, siue pro debito, siue pro crimine, possunt agi tempore feriato.*

191 *Excarcerationem patris, si filius non procurauit, potest exheredari.*

192 *Pro excarceratione viri, uxor potest alienare partem fundi dotalis.*

193 *Arbitratores die feriato possūt ferre laudum, cùm sit species transactionis.*

194 *Causæ matrimoniales, electionum, & vsurarū, possunt agi tempore feriarum, ob necessitatem hominum inductarum.*

CITATIO AN FIERI possit in die, vel ad diem feriatam.

195 *Citatio, an possit fieri die feriata, & ad diem non feriatam.*
Ferias, qui allegat debet probare.
Et dies feriati non omnes sunt festi.

196 *Citatio ex causa potest fieri in diebus feriatis.*
Causa tamen exprimi debet, quæ sit sufficiens; aliàs non arctat.

197 *In citatione emanata à Principe non attenditur, an dies sit feriata.*

198 *Actus citationis sunt plures, videlicet Iudicis, Nuncij, & Partium.*

199 *Duo sūt Iudicis, videlicet monitio, quæ fieri nequit in diebus feriatis, & decretum de parte citanda, quod an possit fieri in diebus feriatis, sunt rationes hinc inde.*

200 *Distinguè, aut requirit causæ cognitionem, aut non.*

201 *Decretum citationis, an possit fieri ad diem feriatam.*

202 *Citatus ad diem feriatam, quando teneatur comparere ad allegandum ferias.*

203 *Tres quæstiones discutiendæ proponuntur; Prima, an citatio ad diem feriatam valeat si sit decreta in die non feriata; Secunda; an arctet ad comparendum die sequenti non feriata.*
Tertia, an citatio cū termino plurium dierum, quarum vltima cadit in die feriata, arctet ad

ad cōparendum in alijs præcedentibus diebus.

204 Prima quæstio est valdè cōtrouersa, & examinatur vsque ad num. 222.

205 Consuetudo, vbi sunt diuersæ opiniones, debet operari.

206 Dicta per Vantium, quod citatio decreta die feriata in honorem Dei ad diem iuridicā valeat ex opinione Bart. & Rotæ, Author impugnat.

207 Referuntur variæ opiniones; prima, quod indistinctè possit fieri citatio in die feriato ad diem non feriatam.

Secunda, quod absolutè non possit fieri in die feriato in honorem Dei, etiam pro die iuridica.

Tertia, quod non possit fieri in die Dominico, secùs autem in alijs diebus etiam feriatis in honorem Dei.

Quarta, quod ex generali cōsuetudine citatio etiam decreta in die feriato in honorem Dei valeat, si sit decreta ad diem iuridicam.

208 Author declarat vsq; ad numerum 222.

209 Actus tempore prohibito factus valet, quando eius effectus est collatus in tempus permissum; vt in exemplis positis.

210 Actus in loco inhabili factus valet, quando eius effectus cōfertur in locum habilē; vt in iuribus, & exemplis positis.

211 Lex, quando prohibet actum ratione solius effectus, tunc actus valet, quando effectus confertur in tempus permissum, licet fiat tempore prohibito.

212 Secùs quādo actum prohibet, non ratione effectus; sed ratione sui principij, & ratione eiusdem actus.

213 Ius prohibens citationem fieri tempore feriato, non respicit finem citationis; sed eius actū, & principiū, & qualitatem temporis.

214 Lex resistit vitioso initio; vide exempla.

215 In ferijs sacris in honorē Dei, & Sanctorū ius prohibet omnem actū Iudicis, velut monitionem, & commissionem citandi.

216 Die Dominico, quod fieri nequit, neq; potest fieri in alijs diebus festis, & de præcepto, reiecta aliquorum opinione.

217 In decernenda citatione, etiā in absentia partis, requiritur aliqualis causæ cognitio ex parte Iudicis, scilicet an cum tali termino, & ad illum locum, & contra illam perso-

sonam sit decernenda.

218 *Citatio non debet exequi in die festo, etiã ad diem iuridicam, quia prouocat quodammodo citatum ad iram, & aliqualiter abstrabit à contemplatione diuinorum.*

219 *Citatio nõ debet per Iudicem decerni in die festo; quia dũ debet adhibere aliqualem cognitionem, abstrabitur à diuinorum contemplatione.*

220 *Quoad feriarum obseruationem non est differentia inter diem Dominicũ, & alios dies festos de Praecepto in honorem Dei, & Sanctorum.*

221 *Citatio in ferijs in honorem Principis, ac etiam repentinis fieri non potest etiam ad diem iuridicam, quia etiam in illis lex non probibet solum effectum, sed etiam actum citationis.*

222 *In ferijs autem necessarijs fieri potest ad diem iuridicam, quia in illis lex probibet citationem, non respectu principij; sed respectu finis, & exercitij citationis.*

223 *Praedicta opiniones conciliantur, vt prima opinio eorum, qui volunt citationem posse committi in die feriato, ad nõ feriatam, vera sit in ferijs necessarijs.*

Altera verò eorum, qui volũt citationem decerni non posse in die feriata, etiam ad diem non feriatã, & non valere, vera sit in ferijs sacris, solemnibus, & repentinis.

Postrema opinio eorum, qui dicunt citationem factam in die feriata, ad diem non feriatam valere ex generali cõsuetudine, potest esse vera quoad executionem Nuncij: non autem quoad decretũ Iudicis.

224 *Examinatur secunda quaestio, an citatio decreta in die iuridica ad certam diem feriatam sustineatur, vt citatus debeat comparere die sequenti iuridica, vsque ad numerum 233.*

Conclusio, & distinctio Doctorum est, quod de iure ciuili nõ valeat, secùs de iure Canonico.

Author probat contrarium, & ponderat iura ex aduerso allegata, videlicet tex. in cap. veniens, de accusat. & in cap. cùm dilecti, de dolo, & contum.

225 *Dictio vsque, stat exclusiuè. Citatus vsque ad certã diem, intelligitur citatus etiam pro praecedentibus.*

Item qui debet proponere suas exceptiones vsque ad certam diem,

diem, post illam nequit proponere.

226 *Citatus ad certam diem, si in illa sit impeditus, debet comparere quamprimum cessante impedimento.*

Quādo scilicet est citatus simpliciter ad comparendum; secùs si ad alium actum iudicialem, qui si non possit explicari in certa die expressa in citatione, tunc citatio non arctat.

227 *Citatio quando continet expressum errorem, non valet.*

228 *Citatio facta pro vna die, non valet pro alia.*

229 *Citatio facta pro hora insolita, non valet, nisi ex legitima causa.*

230 *Citatio remanet circūducta, quando citans non comparet, vel non accusat contumaciā.*

231 *Contumacia est delictum, & à delicto qualibet causa excusat.*

232 *Citatio temeraria, & contra ius. non valet.*

233 *Praeceptum de comparēdo tali die, duo continet, vt scilicet compareat, & tali die. Hoc procedit, quando praeceptum valet ab initio; secùs quando ab initio est nullum.*

234 *Terminus, seù dilatio debet habere certam diem, & actus, qui ad sui substantiam requirit certum tempus, post illud non valet.*

235 *Examinatur Tertia quaestio, an citatio facta cum termino plurium dierum, quarum vltima cadit in die feriata, sustineatur ex eo, quod potuit citatus comparere in praecedentibus, vel in sequenti: vsque ad num. 241.*

236 *Cautela est, quod in citatione dicatur, quod si vltima dies erit feriata, compareat die sequenti non feriata.*

237 *Terminus praefixus in citatione non incipit currere, nisi à die executa citationis.*

238 *Cautela praedicta in citatione omissa, si error est in citatione expressus, vitiatur citatio; secùs si non est expressus.*

239 *Citatus ad comparendum pro die decima, si est feriata, non valet.*

240 *Citatus ad certam diem non potest venire ante, nec post.*

241 *Citatus ad comparendum vsque ad decem dies, citatio valet, licet vltima esset feriata, & debet comparere die praecedente.*

242 *Et si non potest propter impedimentum, debet comparere quamprimum.*

243 *Impossibilitas cōparendi excusat,*

cusat, quando prouenit ex parte Iudicis; quia citauit nulliter ad diem feriatam.

244 *Nuncius in scriptis potest citare in die feriato, pro die tamen non feriato.*

245 *Examen testium potest fieri die feriato, si iuratum sit in non feriato.*

246 *Executoris actus, tanquã extraiudicialis, retrotrahitur ad tempus actus Iudicis.*

247 *L. fin. C. de ferijs, nedum loquitur in specie de die Dominico; sed etiam in genere de diebus festis in honorem Dei, & Sanctorum.*

248 *Citare potest Nuncius tempore feriato ob necessitatem hominum.*

249 *Nuncius citare non potest in die Dominico.*

250 *Neq; in alijs diebus festiuis.*

251 *Nuncius non potest exequi, etiam die non feriato, citationem decretam per Iudicem tempore feriato in honorem Dei.*

252 *Nuncius potest facere relationem tempore feriato in honorem hominum; non autem in feriato in honorem Dei.*

253 *Reproductio citationis, & instantia pro processu fieri non potest tempore feriato.*

254 *Consuetudo generalis citandi die feriata ad diem non feriatam, an vera sit, & an valeat.*

Declara in ferijs ob necessitatem hominum, secùs in ferijs in honorem Dei.

255 *Citatus in ferijs generalibus, si comparet, debet illas allegare. aliàs censetur illis renunciare.*

Secùs si non comparet, quia quicquid fieret, esset nullum.

256 *Sententia lata in ferijs generalibus non potest per partes ratificari.*

Neque in secunda instantia confirmari.

Est enim nulla ex defectu iurisdictionis.

Et etiã ex defectu citationis.

Secùs si sit iusta.

257 *Consuetudo inducere potest, vt decernantur, & fiant citationes etiam in ferijs in honorem Dei: rationes vide.*

Non tamen ad diem feriatã; sed pro die non feriata.

258 *De consuetudine quando Doctores attestantur, an, & quando illis sit credendum.*

259 *Citationes in Romana Curia non fiunt per Cursores in ferijs in honorem Dei; sed per alios Mandatarios fiunt ex consuetudine.*

260 *De dierum, & terminorum com-*

computatione.
Dies quando dicatur.
261 *Hora Canonica cur fuerint instituta.*
262 *Nox quando dicatur.*
Et quot sint eius partes.
263 *Galli cãtus sumitur pro tempore noctis, quod precedit auroram.*
264 *Dies varijs modis secundum varietatem Regionum fuit computatus. Apud nos quinque modis computatur. vide.*
265 *Romanorum more computatur à media nocte ad aliam.*
Instrumentum factum de nocte attribuitur diei, non autem nocti.
266 *Notarius debet scribere horam noctis.*
267 *De nocte contractus fieri possunt.*
Item testamenta fieri possunt, adhibitis tamen tribus luminibus.
268 *Citatus ad se præsentandum in termino decem dierum, potest se præsentare in vltima die, vsque ad mediam noctẽ.*
Non tamen debet se arctare ad illam horam.
269 *Iudex de nocte, an teneatur sui copiam facere, & relaxare carceratum.*
270 *De nocte, an creditor teneatur recipere solutionẽ, propter periculum aperiendi portam nocturno tempore.*
271 *Dies prima ex quindecim pro nominatione periculi vitæ incipit à media nocte.*
272 *Beneficium vacans per obitũ ante mediam noctem vltimi diei mensis ordinarij, non est reseruatum.*
Secùs si post.
273 *Alternatiuæ vsum amittit Episcopus, si conferat beneficium, quod vacauit vltima die mensis reseruati ante mediam noctem.*
274 *Media nox quando incipiat.*
275 *Horologia quando variant, quale sit attendendum.*
276 *Dies more Hebræorum à vespera ad vesperam incipit.*
277 *Ecclesia in Indulgentijs hac computatione vtitur.*
278 *Diem in ieiunijs, quoad esum carnium computat Ecclesia post cœnam.*
Cœna autem terminus intelligitur media nox.
Cœna si protraheretur post mediam noctem, abstinendũ esset ab esu carnium, sequente die vigiliæ.
279 *Dies quoad festiuitatem, & cessationem ab operibus, non computatur de vespera ad vesperam; sed secundum consuetudinem locorum.*

Diem

280 *Diem regulariter more Babyloniorum computamus à mane, vſque ad veſperas, excluſa nocte.*
Quæ dies ſic computata non habet certas horas.
Et appellatur dies artificialis; & quare.
281 *Dies ab ortu Solis, vſque ad occaſum cõputatur in illis actibus, qui nequeunt fieri de nocte.*
Vt ſunt actus iudiciales.
282 *Iudex debet ſedere de die, vſque ad tenebras.*
283 *De nocte acta facta, & ſententia lata, an valeant.*
284 *Citatio ad comparendum, & vidēdum aliquid fieri de nocte; non valet, ratione temporis incongrui.*
285 *Citatus ad certam diem, vel ſine die intelligitur citatus ad diem iuridicam hora ſolita.*
286 *Sententia, & acta de nocte valent, vel de conſenſu partium, vel de conſuetudine, vel propter neceſſitatem.*
287 *Actus extraiudiciales poſſunt fieri de nocte.*
288 *Arbitrator poteſt pronunciare de nocte; non autē Arbiter.*
289 *Dies ab ortu Solis, vſque ad occaſum computatur in operibus.*
Operarij enim non tenentur laborare de nocte.
Niſi id ſuadeat conſuetudo Regionis, vel artis.
290 *Dies ab ortu, vſque ad occaſum attenditur in delictis.*
291 *Fur inuentus de nocte poteſt occidi; ſecùs de die.*
292 *Delinquens de nocte grauiùs punitur, quàm delinquens de die.*
293 *Statutum ſi duplicat pœnam delicti commiſſi in die feſto, intelligitur de die artificiali.*
294 *Delictum commiſſum ante ortum Solis, dicitur commiſſum de nocte; niſi ſtatutum, vel conſuetudo aliter determinet diem, & noctem.*
295 *Dies aliquando computatur de momento ad momentum, & dicitur dies legalis, ſeù emergens.*
Et poteſt incipere qualibet hora.
296 *Lex quãdo vult aliquid fieri eadem die, intelligitur de reliqua parte eiuſdem diei.*
297 *Lex quando vult, quod minor vigintiquinque annis reſtituatur; tunc computatur tempus natiuitatis de momēto ad momentum: vide exēpla.*
298 *Lex dans terminum decem dierum ad appellandum, cõputat à recitatione ſententiæ.*

Lex

298 *Lex dans terminum decem dierum ad appellãdum, computat à recitatione ſententiæ.*

299 *Lex quando præfigit certum tempus, aliquando requirit, vt ſit impletum vltimũ momentum; vide exempla.*

300 *Aliquando autem contenta eſt lex, vt vltima dies ſit cœpta; vide exempla.*

301 *Dies conuentionalis incipit, & finitur eo modo, quo contrahentes conuenerunt; vide exempla.*

302 *Item eo modo, quo Teſtatores diſponunt; vide exempla.*

303 *Terminus quomodo computetur.*
In initio, an dies termini cõputetur in termino.
In medio, an connumerentur dies vtiles, an continui.
In fine, an dies cœpta babeatur pro completa.

304 *Menſis dies connumerantur naturales, non autem eccleſiaſticæ, neque artificiales.*
Menſes anni ſunt duodecim, & quot dies quiſque babeat.
Annus quot dies babeat.

305 *Biſſextus ſit in quattuor annis, & quomodo.*

306 *Menſis quando nominatur, ſiue proprio nomine, ſiue appellatiuo; de quot diebus intelligatur; vide latè.*

307 *Annus variè cõputatus fuit ſecundum nationum, & temporum varietatem.*

308 *Annus, quo vtimur, conſtat ex trecentis ſexaginta quinque diebus, & ſex horis.*
Et ita conſtat annus ex duodecim menſibus.

309 *Anni quattuor ſunt partes Hyems, Ver, Aeſtas, & Autumnus.*

310 *Annus varia babet initia.*
Computatur enim, vel ab Incarnatione, vel à Natiuitate, vel à die Circunciſionis Ieſu Chriſti Domini noſtri; ſecundum conſuetudinem locorum.

311 *Annum ſanctum, computat Eccleſia à vigilia Natiuitatis Domini.*

312 *Annum autem Curia Romana computat in feſto Natiuitatis Domini.*

313 *Annus in Gallia, & alijs in locis computatur à die Annunciationis.*

314 *Annus à Natiuitate, an præcedat, an verò ſubſequatur annum ab Incarnatione, pendet à conſuetudine.*

315 *Terminus an, & quando currat de momento ad momentum.*

316 *Terminus, ſi præfigitur à lege, non currit, niſi à die ſcientiæ: exempla, de termino ad*
præ-

præsentandum, eligendum, appellandum ab electionibus, & actibus extraiudicialibus, & à sententia lata contrà fictum contumacem.

317 *Tempus ad prosequendum appellationem, à lege præfixum, currit à die appellationis interpositæ.*
Secùs à Iudice præfixũ, quia non currit, nisi à die scientiæ.

318 *Tempus ad petendum bonorũ possessionem non currit, nisi à die scientiæ.*

319 *Tempus datum pro actione redhibitoria, non currit, nisi à die scientiæ.*

320 *Ignorantia dissoluta, & inuerisimilis non excusat, quando scilicet quis de facili scire potuisset, vel omnes sciunt. exẽpla vide.*

321 *Terminus si præfigitur à Iudice illi, qui præsens est, statim currit propter indubitatam scientiam.*
Si absenti, nõ currit, nisi à die scientiæ, vel intimationis.

322 *Intimatio decreti non est necessaria, quando præcessit citatio; nisi Iudex mandauerit intimari.*

323 *Terminus, si præfigitur in contractu, currit à die contractus, de quo tempore scientia controuerti nequit.*
Fallit quando contractus non est perfectus. exempla vide.

324 *Terminus, quando præfigitur à testatore hæredi ad aliquid faciendum, intelligitur à die aditæ hæreditatis, non autem à die mortis testatoris; nisi dolo differat adire.*
Sic tẽpus legatario currit post legatum receptum.

325 *Terminus ad iudicandum, quando præfigitur Iudici ordinario per legem, vel statutum, non currit, nisi postea quam fuerit requisitus.*

326 *Sed quando præfigitur delegato per delegantem, non currit nisi à die præsentationis rescripti.*

327 *Terminus in litteris Apostolicis prouisionis præfixus prouiso ad aliquid agendum, non currit à die datæ, stante intruso; sed à die adeptæ possessionis.*

328 *Annus præfixus ad assumendum ordinem sacerdotalem prouiso de Parochiali, currit à die adeptæ possessionis pacificè.*
Secùs est in prouiso de beneficio sacerdotali; quia ei non currit tempus; nisi à die monitionis sibi factæ.

329 *Tẽpus datæ attenditur ad effectum iustificationis littera-*

P rum

etiam in die festo lucri gratia, vt expediat illum, qui de longè venit.

168 *Arbitrator poteſt procedere die feſto, cùm ſit amicabilis cõpoſitor, & mediator pacis.*

169 *Iuramentum, aliud eſt iudiciale, videlicet ſuppletoriũ, deciſiuum, veritatis, calumniæ, in litem, & purgationis; & aliud extraiudiciale, videlicet promiſſorium, aſſertoriũ, confirmatorium, fidelitatis, & ligium.*

170 *Iuramentum iudiciale præſtari non poteſt diebus feriatis, quibus iudicia ſilere debẽt.*

171 *Iuramentũ extraiudiciale, ligiũ, & fidelitatis, præſtari poteſt etiam feſtis diebus.*

172 *Iuramentum in contractu, ſeù inſtrumentis, an recipi, & præſtari poſſit in die feriato. quæſtio eſt inter DD. vide.*

173 *Crimina enormia poſſunt etiã feſtis diebus puniri.*

Malefactores punire, eſt gratum Deo ſacrificium.

174 *Torquere reos in diebus feſtis licet; ſed ſi non eſt periculum in mora, differendum eſt.*

175 *Capi poteſt delinquens in fraganti repertus in diebus feſtiuis.*

176 *Capi poteſt debitor ſuſpectus de fuga in die feſto.*

Et ſi captura fuit erronea poteſt reuocari etiã in die feſto.

177 *Arreſtum debitoris carcerati nõ poteſt fieri die feriato, cùm non ſit ſuſpicio fugæ.*

178 *In ferijs agi poſſunt ea, quæ ſuadet neceſſitas.*

179 *Neceſſitas dicitur vrgere tribus modis. Primò, quando actio eſſet tẽpore peritura.*

180 *Secundò, quando res debita eſſet interitura.*

181 *Tertiò, quando res celeritatem deſiderat.*

182 *Operari licet in rebus ruſticis, etiam diebus feſtis, propter imminens periculum inũdationis, vel aliud ſimile.*

183 *Piſcari licet feſtiuis diebus, propter imminens periculum.*

184 *Cauſæ Fiſcales, & Piſtorũ, & ſimiles celeritatem deſiderantes, poſſunt feſtis diebus tractari.*

185 *Neceſſitas ab obſeruatione Feſtorum excuſat, ſiue ſit circa temporalia, ſiue circa ſpiritualia, & ſufficit ſine licentia Superioris, ſi ſit indubitabilis.*

186 *Pietas, quando ſuadeat, vt feriatis diebus cauſæ agantur perſonarum miſerabilium.*

187 *Tutor, & Curator poteſt dari in diebus feſtiuis, quando eſſet dandus ſine cauſæ cogni-*

gnitione, & Iudice non sedente pro tribunali.

188 *Causæ alimentorum possunt tractari in Ferijs, in honorem Dei, quando petuntur officio Iudicis; secùs si iure actionis. Item, quando agitur de præsentibus, seù futuris, secùs si de præteritis.*

189 *Causa legitimæ nõ potest tractari tempore feriato.*

190 *Causæ carceratorum, siue pro debito, siue pro crimine, possunt agi tempore feriato.*

191 *Excarcerationem patris, si filius non procurauit, potest exheredari.*

192 *Pro excarceratione viri, vxor potest alienare partem fundi dotalis.*

193 *Arbitratores die feriato possũt ferre laudum, cùm sit species transactionis.*

194 *Causæ matrimoniales, electionum, & vsurarũ, possunt agi tempore feriarum, ob necessitatem hominum inductarum.*

CITATIO AN FIERI possit in die, vel ad diem feriatam.

195 *Citatio, an possit fieri die feriata, & ad diem non feriatam.*
Ferias, qui allegat debet probare.

Et dies feriati non omnes sunt festi.

196 *Citatio ex causa potest fieri in diebus feriatis.*
Causa tamen exprimi debet, quæ sit sufficiens; aliàs non arctat.

197 *In citatione emanata à Principe non attenditur, an dies sit feriata.*

198 *Actus citationis sunt plures, videlicet Iudicis, Nuncij, & Partium.*

199 *Duo sũt Iudicis, videlicet monitio, quæ fieri nequit in diebus feriatis, & decretum de parte citanda, quod an possit fieri in diebus feriatis, sunt rationes hinc inde.*

200 *Distinguè, aut requirit causæ cognitionem, aut non.*

201 *Decretum citationis, an possit fieri ad diem feriatam.*

202 *Citatus ad diem feriatam, quando teneatur comparere ad allegandum ferias.*

203 *Tres quæstiones discutiendæ proponuntur; Prima, an citatio ad diem feriatam valeat si sit decreta in die non feriata; Secunda, an arctet ad comparendum die sequenti non feriata.*
Tertia, an citatio cũ termino pluriũ dierum, quarum vltima cadit in die feriata, arctet ad

ad cõparendum in alijs præcedentibus diebus.

204 Prima quæstio est valdè cõtrouersa, & examinatur vsque ad num. 222.

205 Consuetudo, vbi sunt diuersæ opiniones, debet operari.

206 Dicta per Vantium, quod citatio decreta die feriata in honorem Dei ad diem iuridicã valeat ex opinione Bart. & Rotæ; Author impugnat.

207 Referuntur variæ opiniones; prima, quod indistinctè possit fieri citatio in die feriato ad diem non feriatam.

Secunda, quod absolutè non possit fieri in die feriato in honorem Dei, etiam pro die iuridica.

Tertia, quod non possit fieri in die Dominico, secùs autem in alijs diebus etiam feriatis in honorem Dei.

Quarta, quod ex generali cõsuetudine citatio etiam decreta in die feriato in honorem Dei valeat, si sit decreta ad diem iuridicam.

208 Author declarat vsq; ad numerum 222.

209 Actus tempore prohibito factus valet, quando eius effectus est collatus in tempus permissum; vt in exemplis positis.

210 Actus in loco inhabili factus valet, quando eius effectus cõfertur in locum habilẽ; vt in iuribus, & exemplis positis.

211 Lex, quando prohibet actum ratione solius effectus, tunc actus valet, quando effectus confertur in tempus permissum, licet fiat tempore prohibito.

212 Secùs quãdo actum prohibet, non ratione effectus; sed ratione sui principij, & ratione eiusdem actus.

213 Ius prohibens citationem fieri tempore feriato, non respicit finem citationis; sed eius actũ, & principiũ, & qualitatem temporis.

214 Lex resistit vitioso initio; vide exempla.

215 In ferijs sacris in honorẽ Dei, & Sanctorũ ius prohibet omnem actũ Iudicis, velut monitionem, & commissionem citandi.

216 Die Dominico, quod fieri nequit, neq; potest fieri in alijs diebus festis, & de præcepto, reiecta aliquorum opinione.

217 In decernenda citatione, etiã in absentia partis, requiritur aliqualis causæ cognitio ex parte Iudicis, scilicet an cum tali termino, & ad illum locum, & contra illam perso-

sonam sit decernenda.

218 *Citatio non debet exequi in die festo, etiã ad diem iuridicam, quia prouocat quodammodo citatum ad iram, & aliqualiter abstrahit à contemplatione diuinorum.*

219 *Citatio nõ debet per Iudicem decerni in die festo; quia dũ debet adhibere aliqualem cognitionem, abstrahitur à diuinorum contemplatione.*

220 *Quoad feriarum obseruationem non est differentia inter diem Dominicũ, & alios dies festos de Praecepto in honorem Dei, & Sanctorum.*

221 *Citatio in ferijs in honorem Principis, ac etiam repentinis fieri non potest etiam ad diem iuridicam, quia etiam in illis lex non probibet solum effectum, sed etiam actum citationis.*

222 *In ferijs autem necessarijs fieri potest ad diem iuridicam, quia in illis lex probibet citationem, non respectu principij; sed respectu finis, & exercitij citationis.*

223 *Praedicta opiniones conciliantur, vt prima opinio eorum, qui volunt citationem posse committi in die feriato, ad nõ feriatam, vera sit in ferijs necessarijs.*

Altera verò eorum, qui volũt citationem decerni non posse in die feriata, etiam ad diem non feriatã, & non valere, vera sit in ferijs sacris, solemnibus, & repentinis.

Postrema opinio eorum, qui dicunt citationem factam in die feriata, ad diem non feriatam valere ex generali cõsuetudine, potest esse vera quoad executionem Nuncij: non autem quoad decretũ Iudicis.

224 *Examinatur secunda quaestio, an citatio decreta in die iuridica ad certam diem feriatam sustineatur, vt citatus debeat comparere die sequenti iuridica, vsque ad numerum 233.*

Conclusio, & distinctio Doctorum est, quod de iure ciuili nõ valeat, secùs de iure Canonico.

Author probat contrarium, & ponderat iura exaduerso allegata, videlicet tex. in cap. veniens, de accusat. & in cap. cùm dilecti, de dolo, & contum.

225 *Dictio vsque, stat exclusiuè. Citatus vsque ad certã diem, intelligitur citatus etiam pro praecedentibus.*

Item qui debet proponere suas exceptiones vsque ad certam diem,

diem, post illam nequit proponere.

226 *Citatus ad certam diem, si in illa sit impeditus, debet comparere quamprimũ cessante impedimento.*
Quãdo scilicet est citatus simpliciter ad comparendum; secùs si ad alium actum iudicialem, qui si non possit explicari in certa die expressa in citatione, tunc citatio non arctat.

227 *Citatio quando continet expressum errorem, non valet.*

228 *Citatio facta pro vna die, non valet pro alia.*

229 *Citatio facta pro hora insolita, non valet, nisi ex legitima causa.*

230 *Citatio remanet circũducta, quando citans non comparet, vel non accusat contumaciã.*

231 *Contumacia est delictum, & à delicto qualibet causa excusat.*

232 *Citatio temeraria, & contra ius. non valet.*

233 *Praeceptum de comparẽdo tali die, duo continet, vt scilicet compareat, & tali die. Hoc procedit, quando praeceptum valet ab initio; secùs quando ab initio est nullum.*

234 *Terminus, seu dilatio debet habere certam diem, & actus, qui ad sui substantiam requirit certum tempus, post illud non valet.*

235 *Examinatur Tertia quaestio, an citatio facta cum termino plurium dierum, quarum vltima cadit in die feriata, sustineatur ex eo, quod potuit citatus comparere in praecedentibus, vel in sequenti: vsque ad num. 241.*

236 *Cautela est, quod in citatione dicatur, quod si vltima dies erit feriata, compareat die sequenti non feriata.*

237 *Terminus praefixus in citatione non incipit currere, nisi à die executae citationis.*

238 *Cautela praedicta in citatione omissa, si error est in citatione expressus, vitiatur citatio; secùs si non est expressus.*

239 *Citatus ad comparendum pro die decima, si est feriata, non valet.*

240 *Citatus ad certam diem non potest venire ante, nec post.*

241 *Citatus ad comparendum vsque ad decem dies, citatio valet, licet vltima esset feriata, & debet comparere die praecedente.*

242 *Et si non potest propter impedimentum, debet comparere quamprimum.*

243 *Impossibilitas cõparendi excusat,*

cusat, quando prouenit ex parte Iudicis; quia citauit nulliter ad diem feriatam.

244 *Nuncius in scriptis potest citare in die feriato, pro die tamen non feriato.*

245 *Examen testium potest fieri die feriato, si iuratum sit in non feriato.*

246 *Executoris actus, tanquã extraiudicialis, retrotrahitur ad tempus actus Iudicis.*

247 *L. fin. C. de ferijs, nedum loquitur in specie de die Dominico; sed etiam in genere de diebus festis in honorem Dei, & Sanctorum.*

248 *Citare potest Nuncius tempore feriato ob necessitatem hominum.*

249 *Nuncius citare non potest in die Dominico.*

250 *Neq; in alijs diebus festiuis.*

251 *Nuncius non potest exequi, etiam die non feriato, citationem decretam per Iudicem tempore feriato in honorem Dei.*

252 *Nuncius potest facere relationem tempore feriato in honorem hominum; non autem in feriato in honorem Dei.*

253 *Reproductio citationis, & instantia pro processu fieri non potest tempore feriato.*

254 *Consuetudo generalis citandi die feriata ad diem non feriatam, an vera sit, & an valeat.*

Declara in ferijs ob necessitatem hominum, secùs in ferijs in honorem Dei.

255 *Citatus in ferijs generalibus, si comparet, debet illas allegare. aliàs censetur illis renunciare.*

Secùs si non comparet, quia quicquid fieret, esset nullum.

256 *Sententia lata in ferijs generalibus non potest per partes ratificari.*

Neque in secunda instantia confirmari.

Est enim nulla ex defectu iurisdictionis.

Et etiã ex defectu citationis.

Secùs si sit iusta.

257 *Consuetudo inducere potest, vt decernantur, & fiant citationes etiam in ferijs in honorem Dei: rationes vide.*

Non tamen ad diem feriatã; sed pro die non feriata.

258 *De consuetudine quando Doctores attestantur, an, & quando illis sit credendum.*

259 *Citationes in Romana Curia non fiunt per Cursores in ferijs in honorem Dei; sed per alios Mandatarios fiunt ex consuetudine.*

260 *De dierum, & terminorum com-*

computatione.
Dies quando dicatur.
261 *Hora Canonicæ cur fuerint instituta.*
262 *Nox quando dicatur.*
Et quot sint eius partes.
263 *Galli cãtus sumitur pro tempore noctis, quod præcedit auroram.*
264 *Dies varijs modis secundum varietatem Regionum fuit computatus. Apud nos quinque modis computatur. vide.*
265 *Romanorum more computatur à media nocte ad aliam.*
Instrumentum factum de nocte attribuitur diei, non autem nocti.
266 *Notarius debet scribere horam noctis.*
267 *De nocte contractus fieri possunt.*
Item testamenta fieri possunt, adhibitis tamen tribus luminibus.
268 *Citatus ad se præsentandum in termino decem dierum, potest se præsentare in vltima die, vsque ad mediam noctẽ.*
Non tamen debet se arctare ad illam horam.
269 *Iudex de nocte, an teneatur sui copiam facere, & relaxare carceratum.*
270 *De nocte, an creditor teneatur recipere solutionẽ, propter periculum aperiendi portam nocturno tempore.*
271 *Dies prima ex quindecim pro nominatione periculi vitæ incipit à media nocte.*
272 *Beneficium vacans per obitũ ante mediam noctem vltimi diei mensis ordinarij, non est reseruatum.*
Secùs si post.
273 *Alternatiuæ vsum amittit Episcopus, si conferat beneficium, quod vacauit vltima die mensis reseruati ante mediam noctem.*
274 *Media nox quando incipiat.*
275 *Horologia quando variant, quale sit attendendum.*
276 *Dies more Hebræorum à vespera ad vesperam incipit.*
277 *Ecclesia in Indulgentijs hac computatione vtitur.*
278 *Diem in ieiunijs, quoad esum carnium computat Ecclesia post cœnam.*
Cœnæ autem terminus intelligitur media nox.
Cœna si protraheretur post mediam noctem, abstinendũ esset ab esu carnium, sequente die vigiliæ.
279 *Dies quoad festiuitatem, & cessationem ab operibus, non computatur de vespera ad vesperam; sed secundum consuetudinem locorum.*

Diem

280 *Diem regulariter more Babyloniorum computamus à mane, vsque ad vesperas, exclusa nocte.*
Quæ dies sic computata non habet certas horas.
Et appellatur dies artificialis; & quare.

281 *Dies ab ortu Solis, vsque ad occasum cõputatur in illis actibus, qui nequeunt fieri de nocte.*
Vt sunt actus iudiciales.

282 *Iudex debet sedere de die, vsque ad tenebras.*

283 *De nocte acta facta, & sententia latæ, an valeant.*

284 *Citatio ad comparendum, & vidẽdum aliquid fieri de nocte; non valet, ratione temporis incongrui.*

285 *Citatus ad certam diem, vel sine die intelligitur citatus ad diem iuridicam hora solita.*

286 *Sententia, & acta de nocte valent, vel de consensu partium, vel de consuetudine, vel propter necessitatem.*

287 *Actus extraiudiciales possunt fieri de nocte.*

288 *Arbitrator potest pronunciare de nocte; non autẽ Arbiter.*

289 *Dies ab ortu Solis, vsque ad occasum computatur in operibus.*
Operarij enim non tenentur laborare de nocte.
Nisi id suadeat consuetudo Regionis, vel artis.

290 *Dies ab ortu, vsque ad occasum attenditur in delictis.*

291 *Fur inuentus de nocte potest occidi; secùs de die.*

292 *Delinquens de nocte grauiùs punitur, quàm delinquens de die.*

293 *Statutum si duplicat pœnam delicti commissi in die festo, intelligitur de die artificiali.*

294 *Delictum commissum ante ortum Solis, dicitur commissum de nocte; nisi statutum, vel consuetudo aliter determinet diem, & noctem.*

295 *Dies aliquando computatur de momento ad momentum, & dicitur dies legalis, seù emergens.*
Et potest incipere qualibet hora.

296 *Lex quãdo vult aliquid fieri eadem die, intelligitur de reliqua parte eiusdem diei.*

297 *Lex quando vult, quod minor vigintiquinque annis restituatur, tunc computatur tempus natiuitatis de momẽto ad momentum: vide exẽpla.*

298 *Lex dans terminum decem dierum ad appellandum, cõputat à recitatione sententiæ.*

præsentandum, eligendum, appellandum ab electionibus, & actibus extraiudicialibus, & à sententia lata contrà fictum contumacem.

317 *Tempus ad prosequendum appellationem, à lege præfixum, currit à die appellationis interpositæ.*
Secùs à Iudice præfixũ, quia non currit, nisi à die scientiæ.

318 *Tempus ad petendum bonorũ possessionem non currit, nisi à die scientiæ.*

319 *Tempus datum pro actione redhibitoria, non currit, nisi à die scientiæ.*

320 *Ignorantia dissoluta, & inuerisimilis non excusat, quando scilicet quis de facili scire potuisset, vel omnes sciunt. exẽpla vide.*

321 *Terminus si præfigitur à Iudice illi, qui præsens est, statim currit propter indubitatam scientiam.*
Si absenti, nõ currit, nisi à die scientiæ, vel intimationis.

322 *Intimatio decreti non est necessaria, quando præcessit citatio; nisi Iudex mandauerit intimari.*

323 *Terminus, si præfigitur in contractu, currit à die contractus, de quo tempore scientia controuerti nequit.*
Fallit quando contractus non est perfectus. exempla vide.

324 *Terminus, quando præfigitur à testatore hæredi ad aliquid faciendum, intelligitur à die aditæ hæreditatis, non autem à die mortis testatoris; nisi dolo differat adire.*
Sic tẽpus legatario currit post legatum receptum.

325 *Terminus ad iudicandum, quando præfigitur Iudici ordinario per legem, vel statutum, non currit, nisi posteà quam fuerit requisitus.*

326 *Sed quando præfigitur delegato per delegantem, non currit nisi à die præsentationis rescripti.*

327 *Terminus in litteris Apostolicis prouisionis præfixus prouiso ad aliquid agendum, non currit à die datæ, stante intruso; sed à die adeptæ possessionis.*

328 *Annus præfixus ad assumendum ordinem sacerdotalem prouiso de Parochiali, currit à die adeptæ possessionis pacificè.*
Secùs est in prouiso de beneficio sacerdotali; quia ei non currit tempus; nisi à die monitionis sibi factæ.

329 *Tẽpus datæ attenditur ad effectum iustificationis littera-*

P rum

rum Apostolicarum.

330 *Tempus datæ attenditur, non autem supplicationis signatæ. vide rationem.*

331 *Data apponitur in rescriptis appellationum ad partes; & ideò attenditur tempus datæ.*

Sed in commissionibus in Curia non apponitur data. Ideò attenditur tempus præsentationis.

332 *Tempus datæ in litteris beneficialibus quando attendatur. Gratia beneficialis perficitur solo verbo Papæ, quando signatur supplicatio.*

Sed intelligitur signare cum conditione, vt per officiales corrigatur, registretur, & litteræ desuper expediantur.

Quæ conditio non est suspensiua, sed resolutiua.

333 *Supplicatio signata, antequam sit registrata, non tribuit ius parti; quia est resolubilis.*

334 *Registratio supplicationis non potest dare aliquam perfectionem gratiæ; sed fit, vt constet de vero tenore gratiæ.*

Ad regestrũ recurritur quando datur de falsitate supplicationis, & illud attenditur.

335 *Datarij factum articuli concernentes per quod redargueretur de falso, non sunt releuantes.*

336 *Per datam paruam retrotrahuntur omnes gratiæ.*

337 *Gratiæ vis consistit, non in appositione datæ; sed in signatione Papæ. vide rationem.*

338 *Litteræ censentur expeditæ statim quod sunt plumbatæ.*

339 *Pensionis exactio ante expeditionem litterarum non probatur ex data relaxationis litterarum in plumbo, & quare.*

340 *In litteris beneficialibus attenditur triplex tempus. Datæ, quoad validitatem, & iustificationem; Registrationis, quoad ius partis, an sit resolubile, & Expeditionis litterarum quoad executionem.*

341 *In generali constitutione, seu lege attenditur tempus datæ, quoad eius perfectionem.*

Et tẽpus publicationis, quoad illius vim, & executionem.

342 *Lex non ligat, nisi post publicationem.*

Fallit vbi adsit decretum irritans, vel aliter constet de volũtate Legislatoris, quia tunc attenditur tempus datæ.

De-

343 *Decretũ irritans afficit etiam ignorantes.*
Quoad nullitatem actus contrarij.
Non quoad pœnam.

344 *In priuilegijs attenditur tempus datæ quoad eos, in quorum præiudicium concessum est priuilegium.*

345 *Quo verò ad priuilegiatum, si priuilegium est ad aliquid faciendum, tunc attenditur tempus scientiæ, & acceptationis. vide exempla.*

346 *Si verò priuilegium datur ad tollendum obstaculum, tunc attenditur tempus datæ, & quare. vide exempla, quæ ponuntur.*

347 *In priuilegijs concessis certo generi personarum attenditur tempus datæ, & suffragatur ignoranti. vide rationem, & exempla.*

348 *Datæ tẽpus attẽditur in dilatione quinquennali, nõ autem tempus præsentationis.*

349 *Prior in data est præferendus, licet posterior prius litteras expediuerit.*

350 *In rescriptis concernentibus iurisdictionem attenditur tẽpus præsentationis, non datæ, vt præferatur prius præsentatum.*

351 *Commissiones in Curia quando dicantur præsentatæ.*

352 *Inter Auditores Rotæ attenditur, cui prius commissio fuit præsentata vigore Innocentianæ.*

353 *Prioritas colligitur, vel ex die, vel hora, vel puncto.*
Commissionum duarum data paritate temporis, inter Auditores attenditur, cui prius præsentata fuit.
Sed extra Rotam inter alios Delegatos attẽditur quis prius citauit.

354 *Citatio sola perpetuat iurisdictionem, & inducit præuentionem; si tamen citatio sit legitima, aliàs non.*
Sed an sufficiat solum decretũ citationis remissiuè.

355 *Dies in citatione qualis attẽdatur, an datæ, an executionis, an dies scientiæ, vsque ad nu. 360.*

356 *Dies datæ citationis, seù cõmissionis citationis debet attẽdi.*
Sed contrariũ est verius, quod attendatur tempus intimationis, & scientiæ.

357 *Dilatio, seù terminus quando datur ad aliquid faciendum, tunc tempus ab initio vtile est, & non currit, nisi à die scientiæ.*
Postea autẽ currunt dies tàm feriati, quàm non feriati.

358 *Terminus in citatione quando præfigitur hinc ad tres dies, vel ab hodierna die, vel hora, tunc currit à die data.*

At si terminus laberetur ante tempus executionis, citatio nõ valeret; nisi superessent tot dies, ut posset comparere.

359 *Citatio debet fieri cum termino competenti, considerata locorum distantia.*

360 *Citatio non legitimè executa, si conualidatur per comparitionem, tunc tempus citationis incipit currere à die comparitionis.*

361 *Dies termini an computetur in termino.*

362 *In terminis regulæ de viginti, an dies præstiti consensus computetur in termino viginti dierum. vide contrarias opiniones.*

363 *Dictio à, non excludit terminum, qui est principium actus.*

364 *Dies termini computatur in termino, quando alias sequeretur absurdum.*

365 *Dies termini computatur in termino, quando eius interest, cui terminus statuitur.*

366 *Dies termini computatur in termino, quando agitur de commodo eius, cui statuitur.*

367 *Dies termini vel computatur, vel non computatur, secundũ quod vtilius est ei, ad cuius fauorem terminus fuit assignatus.*

368 *Dies termini non computatur in termino in materia odiosa. Vide exemplum in materia nominationis periculi vitæ in Societate officiorum.*

369 *Dies termini non computatur in termino decem dierum proximorum.*

370 *In termino decem dierũ, qui non appellat, intelligitur sententiæ acquiescere.*

371 *Terminus ad appellandum currit de momento ad momentum, vel à die sententiæ latæ contra præsentem, seù contumacem verùm, vel à die scientiæ, quando lata est sententia contra fictum contumacem.*

372 *Et idem est etiamsi sententia sit conditionalis.*

Seù si decretũ sit factum, nisi infra tres.

373 *Intra decem dies appellãdum est, nedum à diffinitiua; sed etiam ab interlocutoria.*

Item ab actu extraiudiciali continente grauamen.

Intra decẽ dies debet per Dominum ratificari appellatio in-

interposita à Procuratore sine mandato.

374 *Appellatio extraiudicialis nõ habet effectum, nisi à die illati grauaminis.*
Et tunc incipit currere tẽpus.
Et dicitur potiùs prouocatio, quàm appellatio.

375 *Innocẽtiana permittit appellare eadem die vltimi momẽti, & seruatur in Curia, tàm in Rota, quàm extra.*

376 *Terminus ad appellandum non potest prorogari, vel abbreuiari.*
Siue per Iudicem, siue per partes.

377 *Terminus decem dierum ad appellandum nõ incipit currere quando sententia continet grauamen successiuum.*

378 *Carceratus semper est infra terminum decem dierum ad appellandum: fallit quando Iudex pronunciauit benè captum.*

379 *Intra terminum, si Procurator non appellat, causa deseritur.*
Domino autẽ succurritur per viam restitutionis, si Procurator non sit soluendo.
Sed Rota hoc nõ admittit, nisi quando Procurator fuisset in dolo.

380 *Cõmissa causa restitutionis ad appellandũ prout de iure, executio, quando est cœpta nõ retardatur. Restitutus ad appellandum habet decem dies, à die restitutionis.*

381 *Tempore ad appellandũ pendẽte quicquid fit remanet attentatũ, & reuocatur vel per viã attentati, vel per viã nullitatis, si non fuit appellatum.*

382 *Fictus contumax, licet possit appellare à die habitæ notitiæ, tamen anteà gesta non reuocantur per viam attentati, neque nullitatis, sed iniustitiæ, docto de ea.*

383 *Appellãdi vsus necessarius est. Licèt, aliquãdo sententiæ benè latæ in peius reformentur.*

384 *Iudices debent appellationes recipere in casibus à iure permissis.*

385 *Appellare permissum est, nisi expressè reperiatur prohibitum.*

386 *Terminum triginta dierum Lex statuit Iudici ad deliberandum, an debeat deferre appellationi, nec ne.*
Et eundem terminum præfigit appellanti ad petendum Apostolos.

387 *Apostolos denegare, quando Iudex censeatur.*
De Apostolis, quo casu non teneatur Iudex respondere.

P 3 *Apo-*

Sed

Sed quando Cedulam subscripsit, si daret terminum iuris, intelligerentur dati reuerentiales.

406 *Commissio impetrata cum clausula, ita quod. non valet quando fuit appellatum ab interlocutoria.*

407 *Pro Apostolis redire non tenetur, quando Iudex daret aliũ terminum iuris.*

408 *Respondere de Apostolis est actus extraiudicialis, & fit extra Tribunal.*

409 *Apostolorum quattuor sunt genera.*

410 *Refutatorij dantur, quando appellatio est friuola.*
Item quando ab interlocutoria interponitur, causa rationabili non expressa.
Refutatorijs datis cõpetit primum, & secundum fatale.

411 *Dimissorij Apostoli dantur, quando ius desert, & competit primum, & secundum fatale.*

412 *Reuerentiales dantur, quando Iudex desert ob reuerentiam Superioris.*
Habet tunc appellans decem dies ad committendum; sed annum ad prosequendum.

413 *Reuerentiales in forma dantur in Curia, & quid importent.*

Terminum ad prosequendum potest Iudex à quo praefigere; sed non ad finiendum.
Ad euitandum desertionem, vbi dati sunt reuerentiales, quae diligentia in Curia sit adhibenda.

414 *Acta pro Apostolis solent aliquando dari.*

415 *Testimoniales dant honestae personae, coram quibus appellatur, quando non potest Iudex adiri.*
Et tunc appellans habet annum ad committendum causam.

416 *Appellans in absentia Iudicis non est exemptus ab eius iurisdictione.*
Et quando in absentia Iudicis possit appellari.

417 *Conuentionales Apostoli quãdo dicantur.*

418 *Termino ad dandum Apostolos pendente, an gesta sint nulla, remissiuè.*

419 *Terminum appellãti lex praefigit videlicet annum ad prosequendum, & finiendũm, & ex causa biennium.*

420 *Fatale primum, & secũdum, quando incipiat currere.*

421 *Fatalium tempori, an partes possint renunciare.*

422 *Fatalia an, & quando currant pendente compromisso.*

P 4 Fa-

423 *Fatalia, an possint pacto litigantium prorogari.*

424 *Iudex à quo potest abbreuiare tempus ad prosequendum appellationem; non autem ad finiendum.*

425 *Iudex, quando præfigit terminum appellanti, licet appellationem non recipiat, causa censetur deuoluta, si à diffinitiua: secùs si ab interlocutoria.*

Iudex non potest præfigere terminum appellanti, quando appellationem refutauit.

426 *Terminus, qui à Iudice præfigitur appellanti, non currit, nisi à die scientiæ.*

427 *Iudex qui terminum præfixit appellanti, an illum possit prorogare.*

428 *Termino præfixo appellanti elapso, non potest procedi coram Iudice à quo sine noua citatione.*

429 *Appellans, cui per Iudicem fuit terminus præfixus, sufficit si iter arripiat.*

430 *Fatalia nisi fuerint prorogata, causa deseritur per lapsum biennij.*

431 *Prorogatio, si fit extra tempus non suffragatur.*

432 *Fatalibus lapsis succurritur appellanti per viam restitutionis in integrum.*

433 *Quæ restitutio datur per solum Principem, qui dicitur spiritum insufflare.*

434 *Appellans impeditus in primo fatali, habet secundum integrum: In eo autem impeditus, non habet, nisi id tempus, quo fuit impeditus.*

435 *De stylo Rotæ sufficit in primo anno committere causam, & citare.*

436 *Citatio autem ad dicendum contra commissionem debet esse executa in primo anno, & non excusat impedimentũ in vna parte anni.*

437 *Fatalia prorogat Rota vigore Innocentianæ toties quoties visum fuerit.*

Etiam absque citatione, quicquid sit de iure.

Etsi fieret citatio nulliter, non noceret.

438 *Prorogatio fatalium si peteretur vigore commissionis, citatio esset necessaria.*

Commissio non probat, neque firmat iurisdictionẽ, nisi parte citata.

439 *Fatalia, an vigore Innocentianæ possint prorogari per alios Iudices extra Rotam.*

Dictum Cherubini in compendio Bullarij Author non probat.

Pro-

440 *Prorogationes fatalium ex Constitutione Pauli Quinti Auditor Rotæ sæpiùs, & passim non concedit; sed prauia causæ cognitione, & arbitrio Rotæ.*
Vndè necessaria est citatio.

441 *Commissio prorogationis fatalium requiritur post aliquas prorogationes, & necessaria est citatio.*
Et si signaretur cum clausula, dummodò aliàs non fuerint prorogata, non suffragaretur, si prorogata fuissent.

442 *Fatalia quando sunt prorogata durante biennio, dies termini prorogati computatur à die finiti biennij.*

443 *Fatalia quando non sunt prorogata, sententia transit in iudicatum, & testes post lapsum eorum sunt nulliter examinati ex defectu iurisdictionis.*

444 *Procurator cauere debet, ne sinat labi fatalia, & qua ratione: nota.*

445 *Restitutio in integrum aduersus lapsum fatalium, vt competat, probari debet, quod sententia fuisset pro eo ferenda.*

446 *Prorogatio fatalium obtenta ab asserto Procuratore censetur ratificata per alias prorogationes, postea per legitimum Procuratorem obtentas.*

447 *Impedito non currunt fatalia.*

448 *Impedimentum allegans debet probare.*

449 *Impedimenta, quæ, & quando non excusant. vide latè.*

450 *Protestatio, per se non stare, de iure requiritur ad hoc, vt impedimentum excuset.*
Sed Rota tenet, quod non sit necessaria, sed ad cautelam.

451 *Impedito facto Principis non currunt fatalia.*
Verb. gr. quando disputatur in Signatura, an sit committenda causa appellationis.
Item quando Sedes vacat.
Item quando indictæ sunt vacationes.

452 *Impedito facto Iudicis non currunt fatalia.*

453 *Solus timor Iudicis non excusat, vbi Princeps est.*

454 *Fatalia currunt postquam Iudex tenuit terminum pro seruato, ante subscriptionem sententiæ.*
Absentia Iudicis non excusat aliquem à lapsu fatalium quando potuit recurrere ad Principem.

455 *Impedito facto partis nõ currunt fatalia.*

Vt

Vt quando impetrauit longiores dilationes, vel obtinuit mandatum de superſedendo.

456 *Impediens ſe citari habetur pro legitimè citato.*

457 *Impediens extrahi iura in forma probanti, vel produci originalia; excipiens non auditur.*

Tergiuerſans, ne ſecum agi poſſit cenſetur partem impedire, & illi non nocet.

458 *Impedito facto tertij currunt fatalia; ſed datur reſtitutio, ſi impediens non fuerit ſoluendo.*

459 *Impedimentum per alium cenſetur à parte præſtitum, ſi ab ea fuit procuratum.*

460 *Impedimentum per Iudicem ne libri exhibeantur, cenſetur præſtitum per partem.*

461 *Mors appellantis interrumpit curſum fatalium.*

Quod procedit etiam in beneficialibus.

462 *Mors autē Procuratoris ſubſtituti, exiſtente in Vrbe Procuratore principali, non excuſat à lapſu fatalium.*

463 *Partes poſſunt impedire curſum fatalium, & dicitur impedimentum mixtum.*

464 *Compromiſſum in arbitrum; ſecuta acceptatione, impedit curſum fatalium.*

Secùs in arbitratorem.

465 *Tranſactione ſubſecuta fatalia non currunt.*

Lapſo primo fatali, ſi partes proſequantur, an fatalia cenſeantur prorogata partiũ conſenſu.

466 *Et quid de ſtylo Curiæ.*

467 *Attentatorum iudicio pendēte, an currant appellationis fatalia.*

468 *Diſputatio dubiorum non impedit curſum fatalium.*

469 *Remiſſoria quando impediat curſum fatalium.*

470 *Poſſeſſorio iudicio pendente non currunt fatalia petitorij iudicij.*

471 *Nullitatis cauſa pendente, an currant fatalia.*

472 *Peritorum iudicio pendente non currunt fatalia.*

473 *Impedimenta, quæ præſtant cauſam reſtitutionis aduerſus lapſum fataliũ, ſunt plura.*

Velut carceratio.

474 *Item feria repentina.*

Non autem feriæ ſolemnes.

475 *Paupertas.*

476 *Infirmitas.*

477 *Abſentia iuſta, videlicet metus cauſa.*

478 *Cauſa Reipublicæ, niſi dolo malo.*

Vel niſi proprij cõmodi cauſa.

479 *Abſens cauſa Reipublicæ non re-*

restituitur, quando si præsens fuisset idem damnum sensisset.

480 *Item quando Procuratorem reliquit.*

481 *Item quãdo vltrà tempus distulit redire, cessante infirmitatis, alioue iusto impedimento, habita temporis dinumeratione, quo potuit reuerti.*

482 *Absens potest considerari tripliciter.*

Absens ex causa necessaria, prout est relegatus, non restituitur, quando potuit relinquere Procuratorem; & non reliquit.

Ex clausula tamen generali, si qua mihi iusta causa. restituitur.

483 *Absens ex causa probabili tãtum, vt sunt scholares, restituitur, siue dimiserit Procuratorem, qui mortuus sit, siue non.*

484 *Absens ex causa probabili, & necessaria, restituitur, vt sunt Legati missi per Ciuitatem.*

Qui euocantur pro ferendo testimonio.

Qui litis causa abeunt.

Et qui alia necessitate coacti.

Non autem ex sola voluntate absunt.

485 *Absens ex causa voluntaria non restituitur, siue reliquerit Procuratorem, siue non.*

486 *Præscriptio instantiæ iudicij non currit ipso iure.*

Præscriptio autẽ actionis currit ipso iure; sed datur restitutio.

487 *Contra absentes potest ferri sententia.*

Sed Iudex non compellitur, nisi quando præsens iniustam litem souet, & absens iniquam.

488 *Absens, qui fuit citatus personaliter, & non comparuit tempore sententiæ, dicitur verus contumax, & currit tempus à die latæ sententiæ ad appellandum.*

Secùs si fuit citatus domi; est enim fictus cõtumax, & appellat à die scientiæ.

489 *Ei, qui fuit præsens sententiæ tempus ad appellandum, statim currit.*

Sed si contingat impedimentum carcerationis, vel infirmitatis, vel coacta absentiæ, restituitur quando litigabat per se, secùs si per Procuratorem.

490 *Magon. decis. Lucens. 49. nu. 21. declaratur.*

Decis. Rotæ in Meleuitana Commenda coram R. P. D. Rosas refertur, & declaratur.

491 *Restitutus ad appellandum à die restitutionis debet appel-*

pellare intra decem dies.

492 *Super restitutione in integrũ, quando competit, non fertur sententia.*

Restitutus aduersus rem iudicatam, vel alium actum habet quadriennium continuum.

493 *Implere qui nequiuit iusto impedimento, restituitur ex clausula generali, si qua mihi.*

494 *Terminus citationis quando incipiat currere, an à die commissionis, an verò à die executionis.*

495 *Dies executæ citationis, an computetur in termino, distingue.*

496 *Vltima dies termini citationis computatur in termino, & quod fit in ea, in termino dicitur fieri.*

497 *Dies citationis, seù assignationis termini, an computetur in termino. Sunt rationes, & opiniones hinc inde: declara.*

498 *Dictiones nõnullæ includunt, & nonnullæ excludunt diem termini.*

499 *In citatione, seù dilationis assignatione, si sit apposita hora, an computetur de momẽto ad momentum.*

500 *Terminus citationis debet esse congruus.*

Et debet assignari dies pro viginti miliarijs de iure.

Fallit stante consuetudine, vel vsu Tabellariorum in contrarium.

Quod Author intelligit vbi quis citaretur ad comparendum per Procuratorem; secùs si personaliter.

501 *In termino debet citatus comparere.*

Sed an debeat comparere in principio, vel in medio, vel in fine, vide latè.

502 *Citatus vt compareat intra certos dies, an satisfaciat citationi comparens prima die, distingue.*

503 *Termino dato ad probandum, an parte non citata possint iura produci.*

504 *Dato termino ad aliquid faciendũ actori intra octo dies, an debeat reus stare semper intra octo dies.*

505 *Citatus, vt compareat infra quinque, deindè intra quattuor, posteà intra quinque; tunc potest in vltimo termino comparere.*

506 *Citatus est expectãdus vsque ad vltimum momentum.*

507 *Citatus generaliter ad comparendum, non debet illicentiatus recedere.*

Citatus cõparens censetur monitus à iure ne recedat.

De-

Declara si est legitimè citatus, aliàs non.

508 *Citatus potest recedere illicentiatus si superueniat aliquod repentinum periculum, vel infirmitas.*

509 *Citatus specialiter ad certum actum, illo expleto potest illicentiatus recedere.*

510 *Citatus qui expectauit, donec fuit finita audientia, accusata citantis contumacia, potest illicentiatus recedere.*

511 *Citatus, illicẽtiatus recedens, non reputatur contumax; nisi citans contumaciam accusauerit.*

512 *Termino in citatione præfixo nõ obstante, potest Iudex procedere non aliter expectato citato.*

Quando scilicet citatio non fuisset necessaria.

513 *Terminum in citatione præfixum Iudex potest prorogare in sequentem ad fauorem citati; non autem ad fauorem citantis, quia consensit in termino.*

514 *Terminus, seù tempus quando cœpit currere, computatur de momento ad momentum.*

Et omnes dies sunt continui, non autem vtiles.

515 *Dies continui, qui sint, & qui vtiles.*

516 *In dilationibus dies intelligũtur continui.*

Idem in præscriptionibus.

517 *Dilatio tunc intelligitur de vtilibus, quando feriæ absorberent ferè totam dilationem.*

518 *Dilatio intelligitur in dubio de diebus vtilibus, quando præfigitur à statuto.*

Declara, vt quoad ea, quæ fieri possunt extra Tribunal, dilatio intelligatur de continuis.

Sed quoad ea, quæ fiunt Iudice pro Tribunali sedente, intelligatur de vtilibus.

519 *Dies vtiles dicuntur illi, in quibus ius dicitur.*

Item illi, in quibus quis legitimè non est impeditus.

520 *Impeditus agere quando quis dicatur, quoad effectum, vt tempus non currat.*

521 *In termino citationis assignare vel dies vtiles, vel continuos, pendet à Iudicis voluntate.*

522 *In Curia quando citatur ad primam, vel secundam, intelligitur de iuridica, seù vtili; secùs si ad sextam, vel octauam, quia intelligitur de continuis.*

Idem

Idem quando sit decretum, nisi infra tres, vel sex, quia intelligitur de continuis.

523 *Dies vltima termini, quando est cœpta, habetur per completa, & allegantur plures textus. vide.*

524 *In contrariũ, quod dies mensis, annusue cœptus non habeatur pro completo, allegantur alij tex. vide.*

525 *Dies cœptus an, & quando habeatur pro completo, & quando tempus currat de momento ad momentum referũtur plures Doctorum distinctiones.*

526 *Author conciliat præscripta iura, & distinguendo materiam declarat.*

527 *Dies vltima anni decimi quarti in masculis, & duodecimi in fœminis sufficit, quod sit cœpta, ad effectũ testandi.*

528 *Dies cœpta in vsucapione pro completa habetur.*

529 *In matrimonio contrahendo sufficit masculo attingere quartumdecimum annum, & fœminæ duodecimum.*

530 *In susceptione ordinum sufficit attingere legitimum tempus.*

531 *In temporalibus actionibus tempus debet esse completum.*

532 *Præscriptio triginta, vel quadraginta annorum est odiosa; quia tollit actionem. vsucapio verò, vel præscriptio decem, vel viginti annorum est fauorabilis, ne dominia diù stent in incerto.*

533 *Annus septuagesimus debet esse completus ad effectum se excusandi à muneribus publicis.*

534 *Annus professionis debet esse completus.*

535 *Annus trigesimus debet esse completus, vt quis possit eligi in Episcopum.*

536 *Quando lex, statutum, vel testator requirunt certum tempus, tunc an dies cœptus habeatur pro completo, attendenda est forma verborum.*

537 *Sed regulariter tempus debet esse completum, quando aliter non disponitur.*

538 *At quando verba possunt importare vtrumque, tunc attendi debet, quod fauorabiliùs sit illi, ad cuius fauorem tempus est appositum.*
Vt scilicet tempus cœptum habeatur pro completo, vel non, secundum quod magis est fauorabile illi, ad cuius fauorem tempus apponitur.

539 *Tempus vigintiquinque annorum, quando minor est læsus, non sufficit vltimam diem*

diem esse cœptam; quia non habetur pro cōpleta in odiosis. Quando verò agitur de facultate testandi, vltima dies decimiquarti anni sufficit, vt sit cœpta, licet non completa, in fauorabilibus.

540 *Annuum legatum cœpto anno transmittitur ad hæredes.*

541 *Annus in legatis, & vltimis voluntatibus incipit à die mortis testatoris.*

542 *Annua præstatio debita ex cōtractu alicui, quoad viuet, non transmittitur ad hæredes.*

543 *In dispositione de maiore septuaginta annorum, tempus debet esse completum, vsque ad vltimum momentum.*

544 *In dispositione de minore viginti annis sufficit, quod attigerit supremum diem vigesimi anni.*

545 *Relictum alicui cùm erit annorū quattuordecim, tempus debet esse cōpletum, ex vi genitiui.*

546 *Relictum alicui cùm erit in duodecimo anno, sufficit attingere annum decimum, ex vi ablatiui: secùs si dictum sit post duodecimum annum.*

547 *Si dictum sit cùm peruenerit ad decimumquartū annum, vltimus annus debet esse completus ex vi accusatiui.*

548 *Si dictum sit infra octo, tempus debet esse completum ex vi dictionis infra, quæ includit sua extrema.*

549 *Idem si dictum sit intra, quia etiam hæc dictio includit extrema.*

550 *Curator constitutus alicui vsque ad ætatem viginti annorum, tempus debet esse completum, vt cura finiatur.*

551 *Dies cœptus an habeatur pro completo, in terminis citationis, siue dilationis, attenditur fauor citati, vel eius, cui data est dilatio.*

552 *Si datus sit terminus octo dierum, vltimus dies totus est ad fauorem citati; ita ut si sit feriatus computatur sequens.*

553 *Si datus sit terminus vsque ad octo dies, tunc etiam si vltimus sit feriatus, non fit extensio ad sequentem.*

554 *Si data sit dilatio certorum dierum, debet expectari illorum lapsus, vsque ad vltimū momentum.*

555 *Dato termino quindecim dierum ad reluendum, illis non completis si fiat deliberatio, remanet nulla.*

546 *Si datur dilatio ad faciendum aliquid extraiudicialiter, tūc tempus currit de momento ad momentum.*

Sed

557 *Sed si ad faciendum aliquid iudicialiter, tunc intelligitur pro hora audientiæ, & debet expectari vltimum momentum horæ.*

558 *Citatus expectandus est vsq; ad vltimum momentum, & tunc pars, quæ comparuit, potest accusata contumacia recedere.*

559 *Citatus pro certa die, vbi consuetum sit bis in die reddi ius, de mane, & de sero, intelligitur citatus pro secunda audientia de sero.*

560 *Citati ad electionem intelliguntur vocati pro hora solita de mane, hora celebrationis Missæ Spiritus sancti.*

561 *Citatus ad interessendum examini testium, vel recognitioni iurium, pro certa die de mane, & de sero, non expressa certa hora, vsque ad quam horã debeat expectari. vide.*

562 *Quando debet fieri aliquis actus, qui vno momento non potest explicari; tunc citatus non debet expectare vltimum momentum; sed debet præuenire, & alteram partem citare.*

563 *Citatus ad aliquem actum iudicialem debet expectari per totam horam audientiæ. Et debet comparere tali hora, qua possit Iudex incipere, & finire actum incumbentem.*

564 *Sed quando citatur quis ad aliquem actum, qui non solet expediri per Iudicem certa hora, tunc debet apponi certa hora, aliàs citans sibi imputet.*

565 *Quando citatur quis ad sententiam pro certa die, ante nonam, intelligitur ante finitam nonam.*

566 *Citatus pro examine, vel recognitione in vesperis, debet expectari vsque ad vltimum momentum.*

567 *Citatio ad hodie per totam, non intelligitur per totã diem; sed per totam horã audientiæ. Sic etiã citatio de mane hora campanellarum, intelligitur de hora audientiæ.*

568 *Citatus pro examine testium, vel recognitione iurium in vesperis, si compareat ante vltimum momentum, & dat interrogatoria, vel aliàs consensit, non est expectandum vltimum momentum vesperarum.*

569 *Si verò comparuit, & recessit, vlterius non est expectandus ad vltimum momentum; nisi fuisset protestatus, quod vellet interuenire.*

DE

DE FERIIS

Et an Citatio valeat facta vel in Die feriata, vel ad Diem feriatam.

Et de Diei, Terminiuè Computatione, in quo citatus debet comparere. Caput X.

SÆPIVS contingit, vt vel citatio fiat in die feriata, vel ad diem feriatam, vel quod terminus in citatione præfixus cadat in die feriata: ideò vt faciliùs intelligatur, quando citatio ratione feriarum valeat, vel non. In hoc Capite de tribus agẽdum duxi; primo de Ferijs, secundo de Citatione in tempore feriarum, tertio de Computatione dierum.

DE FERIIS.

1 FERIÆ sũt dies quietis, & vacationis à laboribus,&illi dies quibus à laboribus iudiciorumque strepitu abstinendum est, dicuntur feriati; illi verò, quibus nedùm ab opere seruili, & iurgijs cessandnm est, sed principaliter cultui diuino vacandũ,dicuntur dies festi; cæteri autem dies, quibus operari fas est, & ius dicere; dicuntur dies laborum, & dies iuridici, seù non feriati; eosque Gentiles dicebãt dies profestos, à pro dictione priuatiua, hoc est non festos, vndè dicebam inter mea carmina moralia in *periphrasi decalogi in 3. præcepto, pagina 32.*

„ *Quisque manũ moueat, moueantur cuncta profesto:*
„ *Sed festo dentur thura, precesque Deo.*

At dies illos, quibus iudicia permittebantur, & Prætor sedebat, appellabant Fastos, à fando; quia Prætoribus licebat tria verba fari. Do,Dico, Addico; & conuerso, nefastos dicebant dies illos, quibus iudicia prohibebantur, & Prætor silebat; vndè *Ouid. lib. 1. fastorum.*

„ *Ille nefastus erit, per quẽ tria verba silentur.*

„ *Factus erit, per quem lege licebit agi.*

2 Feriç, seù dies quietis, apud omnes Nationes fuerunt indictæ, vel in honorem Deorum, vel Principum, vel ob necessitatem fructuum colligendorum. Et quia id omnes homines solo lumine naturali agendum esse cognouerunt; cēsuit *Plato* has solemnitates, & feriasà Dijs datas pro laborū intermissione: vt in *lib.34. de legibus dialogo 2.* ibi, *Dij autem genus hominum, laboribus natura pressum miserati, remissiones laborum ipsis statuerunt, solemnia videlicèt festa in ipsorum Deorum honorem instituta præbentes.*

Hinc dixit *Ouid. lib.1. de Ponto eleg.1. ad Germanicum*

„ *Dij quoque, vt à cunctis hilari pietate colantur.*

„ *Tristitiam poni, per sua festa iubent.*

3 Et quia Romani in ferijs lætabātur, feriebant victimas, & epulas ferebant; ideò feriæ dicebantur à feriendo, seù ferendo. Et in illis præcipiente lege duodecim tabularum, iurgia amoueri, & opus cessare, vt apud *Cic.lib.2.de legibus*; quiescebant, & non operabātur: Vnde *Ouid.lib.1.fastorum*

„ *Prospera lux oritur, linguis, animisque fauete.*

„ *Nunc dicenda bono sunt bona verba die.*

„ *Lite vacent aures, insanaque protinus absint*

„ *Iurgia, differ opus liuida Turba tuum.*

Et *Tibul. lib.2. eleg.1.*

„ *Luce sacra requiescat humus, requiescat arator.*

„ *Et graue suspenso vomere cesset opus.*

„ *Soluite vincla iugis, nunc ad præsepia debent*

„ *Plena coronato stare boues capite.*

„ *Omnia sint operata Deo, non audeat vlla*

„ *Lanificam pensis imposuisse manum.*

Nonnulla tamen apud Gentiles in ferijs permittebantur: vnde *Virgil. lib.1. Georgic.*

„ *Festis quædā exercere diebus*

„ *Fas, & iura sinunt.*

4 Et Sceuola consultus quid diebus festis agere liceret; respondit: quod prætermissum noceret; & de his plura scripsere *Macrob.lib.1. Saturnal.& Columel. lib. 2. cap. vlt. & Plutarchus in vita Numa Pompilij.*

Hebręi autem ex pręcepto æterni, verique Dei per legem Moysis

Moysis tradito, Sabbatum sanctificabant, abstinebant ab operibus, offerebant Deo sacra, & alias ferias celebrabāt.

5 Æternus Deus omnium rerum Creator, quod omnia insimul, non autem distinctis diebus, creauerit; legitur in *Ecclesiastic. cap. 18. in principio,* ibi, *qui viuit in æternum creauit omnia simul*; & idem habemus in *cap. 1. de Sum. Trin. & fid. Cathol.* ibi *qui sua omnipotenti virtute simul ab initio tēporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem; Angelicam videlicet, & mundanam.*

6 Sed quia sacra Scriptura omnia simul complecti non potuit, distinctione operum sex dierum explicauit: ita declarat *gloss.* in d. *cap. 1. de Sum. Trin. & fid. Cathol.* in verbo *simul,* ibi, *quod simul factum fuit; sed simul dici non potuit;* & idem dicit altera *gloss. in cap. sexto die, 35. dist.* in verbo *sexto die,* ibi, *sed licet omnia simul facta fuerint, non simul dici omnia poterant; & ideò Scriptura vtitur tali distinctione.*

Legimus enim *Genes. cap. 1.* Deum opera cuncta fecisse sex diebus, & in *cap. 2.* eundem die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat requieuisse.

7 Hinc Moyses iussu Dei præcepit Hebræis celebrationem diei Sabbati, vt in eo die non sibi, nec alijs, sed soli Deo famularentur, & cum eo ab operibus mundanis quiescerent, eique de tanto rerum omnium creationis beneficio, gratias agerent: legitur *Exodi cap. 16. Hoc est, quod locutus est Dominus; requies Sabbati sanctificata est Domino. Cras quodcunque operandum est, facite; & quæ coquēda sunt coquite; quidquid autem reliquum fuerit reponite vsque in mane;* & *Exodi cap. 20. Memento, vt diē Sabbati sanctifices, sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septima autem die Sabbatum Domini tui est;* & inferiùs *Sex enim diebus fecit Dominus Cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt; & requieuit in die septimo. Idcircò benedixit Deus diei Sabbati, & sanctificauit eum.* Eadem lege Moysis Hebræis non obseruantibus Sabbatum duo comminabantur. Vnum, quod die Sabbati non inuenirent, quod colligerent: *Exodi dict. cap. 16,* ibi *Dixitque Moyses comedite illud hodie; quia Sabbatum est*

Domini, non inuenietur hodie in Agro. Sex diebus colligite; in die autem septimo Sabbatum est Domini, idcircò non inuenietur; Venitq; septima dies, & egressi de populo vt colligerent, nō inuenerunt: Dixit autem Deus ad Moysen; vsquequo non vultis custodire mandata mea, & legem meam? videte quod Dominus dederit vobis Sabbatum: Et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices. maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo, & sabbatizauit populus die septimo. Alterum, quod non custodientes Sabbatum morerentur: *Exodi cap.* 31. ibi *& locutus est Dominus ad Moysen dicens, loquere filijs Israel, & dices ad eos: videte vt Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris, vt sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos: custodite Sabbatum meum; sanctum est enim, qui pollucrit illud, morte morietur;* & *Exodi cap.* 35. *Septimus dies erit vobis sanctus: Sabbatum est requies Domini; qui fecerit opus in eo, occidetur, non succendetis ignem in omnibus Tabernaculis vestris per diem Sabbati.* Quam mortis comminationem populū iussu Dei executum fuisse in hominem, qui ligna die Sabbati collegerat, legimus *Num. cap.* 15. *Factum est autem cùm essent filij Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi, & Aron, & vniuersæ multitudini, qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysen; morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Cumque eduxissent eum foras obruerunt lapidibus, & mortuus est, sicut præceperat Deus.*

8 Sacrificabant etiam Hebręi in die Sabbati iuxta pręceptū eis traditum: *Num. cap.* 28. ibi *Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba, quæ rite funderur per singula Sabbata in holocaustum sempiternum. in chalendis autem offeretis Holocaustum Domino vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos aniculos septem imaculatos, &c.*

9 Habebant insuper Hebræi alias festiuitates, & ferias; *Deuteron. cap.* 16. ibi *septem diebus*

Do-

Domino Deo tuo festa celebrabis in loco, quem elegerit Dominus, benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cũctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitia tribus vicibus per annũ apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit, in solemnitate Azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum, &c. & in *Leuit. cap.* 23. ibi *Hæc sunt ergò feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debebitis temporibus suis. Mense primo, &c.*

10 Impleta lege, Christiani ex traditione Apostolorum, & ex præcepto Ecclesiæ, mutato Sabbato, celebramus diẽ Dominicum, recolentes vtrãque diuinam requiem, ab opere creationis, & Redemptionis, & de vtroque beneficio gratias Deo agentes: aliosque dies in honorẽ Christi, Virginis Matris, & Sanctorum sanctificamus.

11 Requieuit æternus Deus post rerũ creationem, ac post hominis lapsum assumpsit nouum opus Redemptionis humanæ, Christi morte, & Resurrectione implendum. *Io. cap.* 5. ibi *Propterea persequebãtur Iudæi Iesum; quia hæc faciebat in Sabbato. Iesus autem respondit eis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Et inferius, *Pater enim diligit filiũ & omnia demõstrat ei, quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & filius quos vult viuificat; neque enim pater iudicat quenquam: sed omne iudiciũ dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Qui nõn honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum.* Et inferius in fine. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.*

12 Nos itaque redempti sanguine Christi, qui diem Dominicũ celebramus, quo ipse resurrexit, & ab opere redemptionis quieuit: vtique honorificamus patrẽ, dum filiũ honorificamus. Hebræi autẽ hodie non honorificant patrem, quia filium non agnoscunt. Et per Resurrectionẽ Christi potuit Sabbatum immutari; quia simul cũ patre filius Dominus erat etiã Sabbati: *Matth. c.* 12. ibi *Dominus enim est filius etiã Sabbati*, & *Marc. cap.* 2. *in fin.* ibi, *Et dicebat eis Sabbatum*

propter hominem factũ est, & nõ homo propter Sabbatum: itaque Dominus est filius hominis, etiã Sabbati.

Postquam igitur figurę successit veritas; & vmbra cessauit adueniente Sole; & potior est lux, quàm vmbra, & veritas, quàm figura: *cap. re vera 69. de consecr. dist. 2.* Dominicum diem, non diem Sabbati sanctificamus; & ita gratias agimus Deo, nedùm de opere creationis, quippe qui omnia simul creauit, & consequenter non magis in vna, quàm alia die; verùm etiam de opere redemptionis perfecto per Christi resurrectionẽ in die Solis apud Gẽtiles appellata: & apud Hebræos prima Sabbatorũ, quàm nos diẽ Dominicũ appellamus; quam sancti Apostoli Deo cõsecrarunt, & venerandam exemplo proprio docuerunt; licèt scriptis non tradiderint: de hac tamen die locutus fuit *Io. in primo Apocalypsis.* ibi *fui in spiritu in Dominica die.*

De die Dominica resurrectionis habemus in *cap. quod die Dominico 75. dist.* hæc verba *S. Leonis Papæ: tantis diuinarum dispensationum mysterijs est consecrata, vt quicquid est à Domino insigniùs constitutum, in huius diei dignitate sit gestũ: in hac mundus sumpsit exordiũ, in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium;* & in *cap. Sabbatum verò, de consecrat. dist. 3.* legimus hæc verba Innocentij Papæ: *Diem Dominicum ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, non solùm in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus*; ideòque quælibet dies Dominica, dies Resurrectionis dicitur, quia eius est imago, & figura: *Archid. in cap. quod à Patribus, nu. 5. distinct. 75.*

13 Soli Apostoli, eorumque discipuli diem Solis, Dominicum appellabant, eumque solemnizabant, vsquequoque tempore B. Siluestri Constantinus Imperator illam diem toto Orbe venerari sua iussit constitutione: cuius verba legimus in *l. omnes Iudices, C. de ferijs,* ibi *omnes Iudices, Vrbanæque plebes, & artium officia cunctarum, venerabili die Solis quiescant:* & legimus aliam cõstitutionem Imperatorum, Leonis, & Antonini in *l. final. C. de ferijs,* ibi *Dominicum itaque*

que diem ita sẽper honorabilem decernimus venerandum: vt à cũctis executionibus excuſetur.

14 Septem dies hebdomadæ, à ſeptem Planetis apud Gentiles nomen ſumpſerant; Et prima erat Solis, ſecunda Lunæ, tertia Martis, quarta Mercurij, quinta Iouis, ſexta Veneris, & ſeptima erat Saturni; apud nos Chriſtianos omnes dies retinuerunt nomen Planetarum, excepto die Dominico, & die Sabbati; *gloſſ. in d.l. omnes Iudices, in verbo die Solis, C. de ferijs.*

Hebræi per numeros diſtinguebant dies hebdomadę, dicentes primam Sabbati, ſecundam, tertiam Sabbati, & ſic vſque ad ſeptimam; & prima Sabbati erat dies, quem Dominicũ dicimus; *gloſſ. prima in cap. quod à patribus, 75. diſt.* quę exponit *in prima Sabbati, ideſt mane die Dominico.*

15 Authore, vt aiunt, Beato Syluestro, Sancta Eccleſia diſtinguit etiam dies per numeros, dicens feriam primam, ſecundam, tertiam, vſque ad ſextam feriam, & ſeptimã diem eodem nomine Sabbatũ appellat; vt poſt alios refert *Polid. Virgil. de inuent. rerum, lib. 6. cap. 5.*

Huius nũcupationis rationem adducit *gloſſ. in Clem. 1. de reliquijs, & vener. Sanct.* in verbo *feriam quintam*, ibi, *& licet propriè feria sũmatur pro feſto; tamen omnem diem vocamus feriam, vel à fando, quia qualibet die fabatur Deus, Gen. 1. vel quia ſingulis diebus fari poſſumus in diuinis, vel humanis.*

Ego autem cõſidero aliam rationem; & dico quòd ſicut Gentiles, & etiam Hebræi ferias dicebant dies illos, quibus ſacrificabãt: ita ſancta Mater Eccleſia, quia ſingulis diebus offert ſacram Hoſtiam in ſacrificio Altaris, multò magis potuit ſingulos dies ferias appellare: vt enim legimus in *cap. nihil, de conſecrat. diſtinct. 2. nihil in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quam corpus, & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit*, & vt etiam puto, Eccleſia non vocauit feriam diem Sabbati, ne cum Iudæis videretur Sabbatizare; *cap. peruenit, de conſecrat. diſt. 3.*

16 Singulis autem diebus celebratur Miſſa, vt quotidiè recordemur mortis Saluatoris noſtri, qui pro peccatorũ noſtrorũ remiſſione, in ara crucis

passus est;& quia nos quotidiè peccamus, & ille denuò mori non potest;per istud Sacramẽtum remissionem peccatorum consequamur: *tex. est in cap. iteratur, de consecr. dist. 2.* ibi *iteratur quotidiè hac oblatio, licèt Christus semel passus in carne per vnam, eandemque mortis passionem semel saluauerit mũdum: ex qua morte idem resurgens ad vitam, mors ei vltra nõ dominabitur*, & infrà *& ideò, quia quotidiè labimur, quotidiè Christus pro nobis mysticè immolatur; & passio Christi in mysterio traditur; vt qui semel moriendo mortem vicerat, quotidiè recidiua delictorum per hæc sacramenta corporis, & sanguinis peccata relaxet*, & inferiùs *iteratur hoc mysterium ob commemorationem passionis Christi*, & infrà *interdum autem semper mors Christi pro sæculi vita posteris nuncianda est, vt discant, qua charitate dilexit suos; qui pro eis mori dignatus est, cui omnes vices debemus rependere charitatis; quia ad hoc nos prior dilexit, cùm essemus gehennæ filij, vt diligeremus eum à morte iam liberati*. Dicebat *D. Ambrosius*, vt legimus in *cap. in Christo, 63. de consecrat. distinct. 2. in Christo semel oblata est Hostia ad salutem sempiternam potens: quid ergo nos? non ne per singulos dies offerimus? offerimus quidem; sed ad recordationem mortis eius; & vna est Hostia, non multa; quia semel oblatus est Christus*. Dicebat etiam *Diuus Gregorius*, vt legimus in *cap. quid sit sanguis, de consecrat. distinct. 2. Hinc ergò pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificiũ, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa imolationis hora ad Sacerdotis vocem Cælos aperiri? in illo Iesu Christi mysterio Angelorum Choros adesse? summa, & ima sociari? terrena cælestibus iungi? vnumque ex inuisibilibus, atque visibilibus fieri?* licet autem sancta Ecclesia singulos dies ferias appellauerit; constituit tamen differentiam inter dies feriales, quos humanis cõcessit necessitatibus, vt in illis homines operarẽtur, & inter dies festiuos, quos diuino cultui in honorem Dei, B. Virginis, & Sanctorum dicauit.

17 Qui dies festi recẽsentur in *cap. 1. de consecrat. dist. 3. in cap. fin. de ferijs, in cap. 1. de reliq. & vener. Sanct. lib. 6.* & alibi.

Ho-

18 Honor qui exhibetur Virgini Matri, vtique redundat in ipsum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Honorauit Salomon matrem suam Bethsabeæ sic legitur 3. *Reg. capit.* 2. ibi *Venit ergo Bethsabea ad Regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia, & surrexit Rex in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super Thronum suum, positusque est Thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius.* Hinc de Beata Virgine canit sancta Mater Ecclesia.

Assumpta est Maria in Cælum gaudent Angeli laudãtes benedicunt Dominũ, & psallit cum *Dauide Psal.* 44. ***Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate:*** Et nos dicere possumus vnà cum pueris Holopherni Iuditæ mirantibus sapientiam, vt ***Iudith capit.* 11. *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum:*** Etenim eam fatemur sexu quidẽ mulierẽ; sed Virginẽ incorruptã, Gratia plenã, Dei Genitricẽ, Reginã Cæli, Mundi Dominã, inter Mulieres benedictam, cuius plures solemnitates, ad gloriam Dei, celebramus.

19 Honor etiam, qui Sãctis tribuitur redũdat in honorẽ Dei, vt laudemus Sãctos, hortatur *Dauid Ps.* 150. ***Laudate Dominum in Sanctis eius.*** idẽq; ***Dauid*** honorauit Sanctos vti amicos Dei: ***Psal.* 138. *Mihi autẽ nimis honorificati sũt amici tui Deus, nimis cõfortatus est principatus eorum.*** & honorem Sãctis exhibendũ, propter Deum, docuit ***Christus Io. cap.* 12. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit: si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ pater meus:*** itaq; si Deus honorificat Sãctos, iure eos Ecclesia veneratur.

20 Et quia, vt ait ***Apostol. ad Corinth.* 1. *cap.* 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*;** & ad ***Galat. cap.* 6. *Vnusquisque onus suũ portabit.*** Ideò, sicut Deus etiam Sanctis non æqualiter; sed pro meritis tribuit: ita & Sancta Mater Ecclesia festa vnius Sancti solemniter, & festa alterius solẽnius celebrat: ita legimus in ***cap. vnico, de reliquijs, & ven. Sanct. lib.* 6. *Gloriosus Deus in Sanctis suis, & in maiestate mirabilis, cuius ineffabilis altitudo prudentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis***

com-

comprehensa, recti censura iudicij, cælestia pariter, & terrena disponit, & si cunctos eius ministros magnificet, altiis decoret honoribus, & cælestis efficiat beatitudinis possessores; illos tamen (vt dignis digna rependat) potioribus extollit insignijs dignitatum, & præmiorum vberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sic & alma Mater Ecclesia eius sacra vestigia prosequens, & exemplo ducta laudabili, licet vniuersos in regnis cælestibus constitutos, studijs honorare solicitis, & sonoris efferre præconijs non desistat: gloriosissimos tamen christianæ fidei Principes; summis attollere vocibus, laudibus personare præcipuis, & specialibus disponit honoribus venerari: Scilicet Apostolos Euangelistas, & Doctores, & vt latiùs in eodē textu.

21 Quemquam autem non licet pro Sancto venerari sine Papæ licentia: *cap. 1. de reliq. & ven. Sanct.* ibi *Illum ergo nō præsumatis de cætero colere: cùm etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto, absque authoritate Romana Ecclesiæ venerari; & Diui Augustini* verba hęc legimus in *cap. teneamus, 1. quæst. 1. teneamus fratres mei vnitatem; præter vnitatem, & qui facit miracula, nihil est. In vnitate enim erat populus Israel, & nō faciebat miracula præter vnitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant similia Moysi. Populus Israel, vt dixi, non faciebat miracula. Qui erant salui apud Deum? Qui faciebant, an qui non faciebant? Petrus Apostolus resuscitauit mortuum, Simon Magus fecit multa: erant ibi multi Christiani, qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon, sed vndè gaudebant? quia eorū nomina erant scripta in Cælo:* Sed quod Magi, & Diuinatores nequeant quid agere, nisi permissu Dei, explicauit idem *D. Augustinus*, vt refertur in *cap. nec mirum 26. quæst. 5.*

Quicunque authoritate Ecclesiæ habetur pro Sancto, non ille nostris, sed nos illius indigemus orationibus: *cap. cùm Martha, §. tertio loco. de celebratione missarum*, ibi *super quo respondemus, quod cùm sacra Scriptura dicat authoritas, quod iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; idem est ratione consimili de alijs Sanctis sentiendum: quia orationibus nostris*

ftris non indigent, pro eo quod, cùm sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt; sed nos eorũ orationibus indigemus, quos cùm miseri simus, vndique mala nostra perturbant.

22 Obseruantia dierum dicatorum nomini Christi, vtputà Natiuitati eius, Circuncisioni, Ascensioni, & alijs item & dicatorum nomini Beatę Mariæ, & aliorum Sanctorũ, quod non sit de iure diuino, sed positiuo, seù canonico nemo dubitauit.

Sed an Dominicus dies sit de iure diuino, vel humano, & an cadat sub tertio præcepto Decalogi Sabbata sanctifices; sunt opiniones hinc indè apud Theologos, Summistas, & Canonistas; vt videre est apud infrascriptos, & alios per illos allegatos: videlicet *D. Thom. sec. quaest. 122. art. 4. & 5. Sot. de iust. & iur. lib. 2. quaest. 3. art. 4. Sum. Ant. 2. part. tit. 9. cap. 7. §. antepen. Sum. Angelic. in verbo feria, §. 3. Sum. Syluestr. in verbo Dominica, quaest. 1. verbo 7. Abb. in cap. licet de ferijs, Couar. var. resol. lib. 4. cap. 19. num. 5. & 6. Nauarr. in manuali confess. cap. 13. de tertio praecepto decalogi nu. 1. Azor. instit. moral. lib. 1. par. 2. de tertio decalogi praecepto, cap. 2. q. 2.* Effectus huius quæstioni est, quia si est de iure diuino, neque tolli potest, vel mutari: secùs si sit de iure positiuo.

23 Prima opinio, quod sit de iure diuino, nititur primo hac ratione, quia tertium præceptum Decalogi est partim ceremoniale, quoad solemnizationem Sabbati, quæ in figuram futurorum præcipitur tẽporaliter; & quoad hanc partem secuta passione, & resurrectione Christi impletum fuit præceptum, & cessauit; & partim est morale quoad hoc, vt homines quiescere debeãt in vno ex diebus hebdomadæ, in honorem Dei, & in memoriam beneficij rerum omnium creationis: sic natura dictante, post diei labores in nocte quiescimus, atque naturali lumine gẽtes cognouerunt aliquando in honorem Dei quiescendum, feriandum esse, & quoad hanc partem tertium præceptum fuit perpetuum, & non cessauit; si non cessauit, ergo quod quiescamus, & feriemus die Dominico debet censeri de iure Diuino, & cadere sub præcepto, secundo probatur hæc opi-

opinio per textũ in *cap. licet, de ferijs*, vbi dicitur, quod pagina tàm veteris, quàm noui Testamenti septimam diem ad humanam quietem specialiter deputauerit, illud autem quod est sancitũ in testamẽto veteri, & confirmatum in nouo, sine dubio censeri debet de iure diuino.

24 Altera opinio, quod sit de iure positiuo nititur hac ratione, quia impleta figura non debemus sabbatizzare cum Iudæis; & si Apostoli, & eius discipuli, & successiuè sancta Ecclesia instituit, & præcepit festiuitatem diei Dominicæ, ergò est de iure humano, non autem diuino.

25 Hæc tamen opiniones possunt concordari, iuxta deducta per eosdẽ Doctores præallegatos, distinguendo quod aut consideramus solam solemnitatem diei Dominicæ, & quod illam celebrare debeamus, vtique est de iure humano: & talis solemnitas posset tolli, & immutari per Ecclesiam; sed *Sotus* in loco præallegato *vers. potest inquam Ecclesia:* dicit, quod factum teneret, licet Spiritus sanctus, id non permitteret, quia pernicities esset; aut cõsideramus commemorationem, & solemnizationem quietis, & cessationis Dei ab operis creatione, quam in aliquo die facere debemus quiescentes ab humanis, & soli Deo famulantes vtique est de iure diuino, & cadit sub d. tertio præcepto; & per Ecclesiam tolli non potest, & ibidẽ dicit *Sotus*, quod nulla dispensatione fieri potest, quin homo tempus aliquod impendere debeat cultui diuino. Quod autem isti, aut alij dies festi fiant, ceremoniale est, in quod subindè Ecclesia ius habet; & *Nauarr.* loco præallegato *vers. nec obstat* respondet ad d. *cap. licet, de ferijs*, quod ad summum probat, quod in vtroque, tàm nouo, quàm veteri Testamento inuenitur, quod vnus de septẽ diebus debet obseruari; non tamen, quod hoc Deus præceperit in vtroque: nam licet id præceperit in veteri Testamento præcepto ceremoniali; in nouo tamen Testamento, in quo illud cessauit, à principio Apostoli authoritate sua, & non lege diuina cæperunt diem Dominicum obseruare, idemque per fideles fieri præceperunt.

26 Et quicquid sit, quod ea, quæ

quæ sunt iuris humani possint mutari: Attamen ego existimo dici posse absolutè, quod festiuitas,& quies diei Dominicæ sit de iure positiuo; sed quod nihilominus non possit tolli, nec in aliam diem, lege etiam canonica immutari, seù transferri.

Et pro hoc pondero rationem tertij præcepti Decalogi, quæ legitur *Exodi cap.31.* ibi & *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: loquere filijs Israel, & dices ad eos, videte, vt Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris; vt sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos.* Et colligo duplicem rationem, vnam specialem, quia est signum inter me, & vos: alteram generalem: quia ego Dominus, qui sāctifico vos. Prima ratio specialis præcepti Sabbati cessauit, finito, impletouè signo: altera verò generalis impleta figura, & cessante præcepto Sabbati, nō cessauit. Sed aliud est ratio, & aliud præceptum; quod enim præcipitur à natura, vel à Deo, dicitur præceptū iuris naturalis, seù diuini; sed quod homines deducunt ex principijs, vel iuris naturalis, vel diuini, dicitur ius positiuum Ciuile, vel Canonicum: iuxta ea, quæ latè deduxi in *Legal.congress.*& proptereà S. Apostoli obseruarūt diem Dominicum, non quia Deus præceperit; sed quia ex ratione naturali, & diuina obseruādum cognouerunt; quia Dominus sanctificauit eos, & Christifideles.

27 Vndè dixit *Diuus Thom.*& post eum *Archidiaconus in cap. ieiunia, num.2. in fine, de consecr.distinct.3.* quod obseruatio diei Dominicę succedit loco Sabbati, non quidem ex vi præcepti, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani.

28 Pondero secundo Textum in d. *cap. licet*, cuius verba sunt hęc. *Licet tàm veteris quā noui Testamenti pagina septimam diem ad humanam quietem specialiter deputauerit*; & dico, quod ea non verificantur quoad legem nouam, quia nullatenus Christus deputauit diem septimum ad quietem humanam; vndè *glossa* ibidem in verbo *septimū* ait *vetus Testamentum ad litteram præcipiebat Sabbatum custodiri. Nouum verò spiritualiter illud seruat, primam diem pro septimana cele-*

celebrando; sicut enim carnalia sacramenta ad litteram seruare non possumus; ità nec Sabbatum ad litteram licet seruare. Quę tamen responsio Glossæ non satisfacit; quia Testamentum nouum non deputauit specialiter diem Sabbati; itaque considero modum istum loquendi, pagina tàm veteris, quàm noui Testamenti deputauit diem septimum. Et dico, quod pagina non deputat; sed in pagina legitur, quod deputatum est,& in hoc sensu verificatur, quod pagina testamenti noui deputauit septimum diem ad quietem, quia in ea legitur huiusmodi deputatio facta per legem Moysis;non autem per legem euangelicam; & sic supradicta verba stant relatiuè, non autem dispositiuè.

Insuper considero sequentia verba eiusdem *cap. licet, de ferijs*, ibi, *& tàm eum, quàm alios dies maiestati altissima deputatos, nec non natalitia Sanctorum Martyrum Ecclesia decreuit obseruanda*. Et dico hęc verba, vt iacent, non verificari; cùm Ecclesia non decreuerit obseruandam diem septimam; sed primam: prout nec verificatur, quod decreuerit obseruanda natalitia Martyrum, cùm non dies natiuitatis, sed martyrij celebretur; & nullos alios dies Natales celebrat Ecclesia, quam D. N. Iesu Christi, & eius Matris Virginis Mariæ, & Præcursoris Ioannis Baptistæ: *cap. fin. de ferijs, & Abb. in dict. cap. licet, num. 1.* Animaduerto igitur, quod cùm dicta verba referãt dispositionem Ecclesię, debẽt intelligi secundum eãdem dispositionem, vt referens conueniat cum relato; siquidem relatum censetur esse in referente cum suis qualitatibus: *l. asse toto. vbi Bart. not. ff. de hered instit.*

29 Debent itaque prædicta verba intelligi, vt referant, quod Ecclesia loco septimi diei decreuit obseruandum diem Dominicum, & quod decreuit obseruanda natalitia Martyrum, id est diem martyrij, quibus censentur nati in sanguine suo, secundũ opera bona,& renati ad vitã æternam, tanquam extra omne periculum tentationis humanæ: *gloss. in cap. non licet in Quadragesima, 33. q. 4. Abb. in d. cap. licet, de ferijs, num. 1.* quandoquidem qui pro Christi nomine proprio sanguine ba-

baptizāntur, absque dubio vitam æternam accipiūt; *cap. firmissimè*, 15. *quæst.* 1.

30 Et quod Baptismi vicē martyrium impleat, est *tex.* in *cap. Baptismi, de consecrat. dist.* 4. ibi *Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, hodie mecum eris in Paradiso. non leue documentum idem Beatus Cyprianus assumit:* & inferiùs ibi, *neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est; sed pro meritis facinorum suorum; nec quia credidit passus est; sed dum patitur, credidit.* Et æquiparationem Baptismi Cathecumeni, & Martyrij factam per *Diuum Augustinum* legimus in *cap. Cathecumenum, de consecrat. distinctione* 4. ibi *Baptizandus confitetur fidem suam coram Sacerdote, & interrogatus respondet. Hoc & martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem suam, & interrogatus respondet. Ille post confessionem, vel aspergitur aqua, vel intingitur, & Hic vel aspergitur sāguine, vel contingitur igne. Ille manus impositione Pontificis accipit Spiritum sanctum. Hic habitaculum efficitur Spiritus sancti, dum non est ipse, qui loquitur, sed Spiritus Patris, qui loquitur in illo. Ille communicat Eucharistiæ in commemorationem mortis Domini. Hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renunciaturum Hic ipsi renunciat vitæ. Illi peccata omnia remittuntur, in isto extinguuntur.*

31 Prędictis sic pōderatis negari non potest, quin festum diei Dominicæ sit de iure positiuo, prout etiam ex eisdem sequitur, quod non potest tolli, nec mutari, cùm sit præceptum Ecclesiæ, deductum ab Apostolis ex Principijs iuris naturalis, & diuini; cùm natura præcipiat quietem in tempore noctis, & Deus præceperit quietem in die Sabbati; quia ipse Deus sanctificat eos, sed quia Deus, prædicante Christo, magis eius fideles sanctificauit; ideò Dominicū diem sanctificarunt Apostoli, nedum in memoriam creationis rerum, quod opus secundum ordinem scripturæ cœpit eadem prima die; verùm etiam ob Christi Resurrectionem, qua fuit redemptionis opus absolutū. transeat, quod ratione quietis Domini ab opere creationis posset feriari alia dies, quàm Dominica; cùm

cùm vt supra probauimus in instanti, & insimul omnia fuerint creata, non autem certo die; tamen nulla ratio suaderet, quod omisso die Dominico, in alia die celebraremus quietem Christi ab opere redemptionis, cùm rectè ea fuerit in die Dominico, & sic siuè lex, siuè consuetudo contraria esset irrationabilis, & non valeret: *cap. erit autem lex, 4. distinct. & Castr. in l. quadraginta, num. 2. C. de ferijs:* firmat, quod per statutum fieri non potest, quod dies Dominica non sit feriata; quia succedit loco Sabbati, quod per legem diuinam veteris Testamenti erat feriatum; & nulla humana lex, vel statutum potest tollere ius diuinum; & ità etiam dicit *Azor. d. cap. 2. q. 6.* quod cultus diei Dominicæ consuetudine nunquam abrogabitur; tùm quia semper est ab Apostolorum tempore huius diei cultus hactenus seruatus; tum quia est maximè rationi consentaneum, vt post sex dies perfectos vnum diuino cultui consecremus.

32 Et hic sit dies, in quo Christus surrexit à mortuis: ista quidem dies insignis est, quia vt recensent sacri Doctores relati per *Azor. instit. moral. par. 2. cap. 2. quæst. 4.* fuit primus dies sæculi. In ipso formata sunt elementa mundi. creati sunt Angeli. Pluuit mãna in Deserto. Christus in eo, vt aiunt, natus est. Stella refulsit Magis. A Ioãne Christus baptizatus in Iordano. Vinum de aqua in Cana Galileæ factum est. Benedixit Dominus quinque panes, quibus satiauit quinque millia hominum. Resurrexit à mortuis. Intrauit Dominus in domum clausam, vbi erant Discipuli congregati, propter metũ Iudæorum. Et in eo Spiritus sãctus descendit in Apostolos. In quo die speramus Dominũ nostrum Iesum Christum vẽturum ad nos iudicandum. Ideò nulla vnqnam ratio suaderet, vt huius diei solemnitas in alium diem esset trãsferenda.

33 Quærunt Summistæ an in festis diebus exigatur cultus Dei interior, an verò sufficiat exterior: nempè *D. Thom. 2. 2. quæst. 122. artic. 4. Alex. de Alef. 3. par. quæst. 32. artic. 2. Summa Angelic. in verbo feriæ, nu. 36. & 41. & in verbo præceptum, n. 5. Caiet. 2. 2. quæst. 122. art. 4. Sot. lib. 2. de iust. & iur.*

iur. Summa Sylueſtrina in verbo circumſtantia, quæſt.3. & in verbo Dominica, quæſt.6. Summa Tabiena in verbo feriæ, nu. 47. Nauarr. in manuali, cap.6. num.19. Azor. inſtitut. moral. par.2. lib.1. cap.28. quæſt.16. & alij vnam opinionem, & alij alteram ſequuntur.

Qui tenent requiri etiam interiorem cultum, & quod peccans mortaliter in feſto, peccet etiam mortaliter polluendo feſtum; prout tenent *Diuus Thom. Alex. de Aleſ. & Angelic.* in locis præallegatis, nituntur hac ratione, quia in diebus feſtis debemus vacare diuinis, & ſoli Deo famulari, ideòque prohibetur opus ſeruile, & iudiciũ; quia diſtrahunt à diuinis, & per ea non ſoli Deo quis ſeruit, ſed hominibus: Non autem quia vel opus ſeruile, vel iudicium ſit malum; vndè dicebat *D. Auguſt.* quod meliùs faceret Iudęus in agro ſuo aliquid vtile, quam ſi in Theatro ſeditioſus exiſteret, & meliùs fœminæ eorum in Sabbato lanam facerent, quam quod tota die in neomenijs ſuis impudicè ſaltarent: & *S. Ambroſius in Lucã, cap.13. dicebat*; quod lex in Sabbato non vetat hominem curare, ſed ſeruilia opera facere, ideſt peccatis grauari; peccare autem eſt opus ſeruile; nàm dixit Ieſus: *Omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Ioan. cap.8.* & ideò qui peccat in die Feſto, feſtum polluit, cum faciat opus ſeruile, & diſtrahatur à diuinis, & non famulatur Deo, cùm illum peccato offendat; & non ſolũ non habet contritionem, neque attritionem, cùm peccando non pęniteat, nec nolit peccaſſe; & licet peccando quis, vtputà occidendo, vel fornicando faciat vnum ſolum actum; tamen ratione reatus duplex pecc: tum videtur cõmittere; videlicet homicidiũ, ſeù fornicationem; & feſti violationem; cùm enim Præceptũ dicat Sabbata ſanctifices, ſine dubio pręceptum violare videtur, qui in feſto peccat, cùm non ſanctificet, & prout ex dictis prædictorum Doctorum hanc opinionem tenentium.

Alij autem, qui intelligunt pro obſeruatione feſtorũ ſufficere ſolum cultum exteriorem, & peccantem in feſto, feſtum non violare; prout tenent *Caiet. Sot. Summa Sylueſtrina, Tabien. Nauar. & Azor.* in

in locis præallegatis nituntur hac ratione.

Quia ex decem Præceptis Decalogi septem continent actum exteriorem, scilicet colere vnum Deum, non iurare vana per ipsum, honorare parentes, non fornicari, non furari, non testificari falsum; Vltima verò duo continent actum interiorem, scilicet non concupiscere vxorem proximi, neque rem illius; & continent actum interiorem, quia illum exprimunt vi verbi, non concupisces, tertiũ verò Præceptum sanctificandi festa, non exprimit actum interiorem dilectionis Dei, ergò illum non continet, sicut nec alia septem. Quod autem peccatum sit opus seruile, procedit secundum metaphoram, non autem secũdum proprietatem verborum, & secũdum sensum litteralẽ, & vt aiunt, stylus instituendi mores non debet esse translatitius, sed planus: cùm ergò cessandum sit à seruilibus operibus, intelligi debet de illis operibus seruilibus, quæ secundum vsum loquendi, sunt ea, quibus homines homini seruiunt. Et quia Sancta Mater Ecclesia, quæ est fida interpres iuris diuini, interpretatur, vt contineat tres actus exteriores audiendi Missam, non faciendi opus seruile, neque exercendi actus iudiciales; ideò dicendum est pro obseruantia festorum sufficere solum actum exteriorem; aliàs dum pia Mater multiplicauit festa videretur in arctissimas angustias coniecisse Christianorum animos, si in quolibet die festo eos obligaret sub mortali peccato ad veram Dei dilectionem; veramque contritionem: & quia etiam præceptum veræ dilectionis Dei non est in Decalogo inclusum; sed extra, & in fronte præfixum, tanquã omnium præceptorum finis; sequitur vt præcepta Decalogi distincta sint prorsus à præcepto veræ dilectionis Dei, & præceptum, vel lex non violatur, nisi quando quis contra eius substantiam delinquit, quamuis legislatoris mentem, vel finem non seruet: & prout ex dictis per *Caiet. & Sotum*, & *Azor.* in locis præallegatis, & per *Couarr. d. cap. 19. nu. 11.*

34 Attenta hac opinione posteriori, nihilominus omnes ferè conuenire videntur in hoc, quod si aliud peccatum quis in die festo committeret

ea

ea intentione, vt festum violaret; vtique duplex peccatum committeret. Sed circumscripta tali intentione, circumstantia diei festi non esset necessariò confitenda, licet accidentariè aggrauet; & ideò consilium est eam confiteri: *Sot. vbi supra vers. colligamus ergo*.

35 Sed qualis debeat esse actus interior dilectionis Dei, exponitur: *Deuter. cap. 6.* ibi *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & Deuter. cap. 10.* ibi *Et nunc Israel, quod Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua:* & vt legimus: *Matth. cap. 22. interrogauit Iesum vnus ex eis legis Doctor: Tentans eum; Magister, quod est mandatum in lege: ait illi Iesus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua.*

36 Qualiter autem sæculares debeant dies festos obseruare iure Canonico diffinitum est, & sancitum, sub pœna peccati mortalis, primo vt quilibet Missam integrè audiat: *cap. Missam, de consecrat. dist. 1.* ibi *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus; ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi Populus non præsumat. quod si fecerit, ab Episcopo publicè confundatur; & in cap. omnes fideles, de consecrat. dist. 1.* ibi *omnes fideles, qui conueniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, & scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant, & perseuerent vsque dum Missa peragatur.*

Eos etiam, qui peruenerint ad actum discretionis, obligat ad confitendum peccata, & ad suscipiendum sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ reuerenter semel in anno ad minus in Pascha: *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* & quod dicitur in *cap. & si non frequentius, & in cap. sæculares, de consecrat. dist. 2. Saltem in anno ter laici homines communicent in Pascha, videlicet & Pentecoste, & Natali Domini, & qui in dictis diebus non communicauerint, Catholici nō credantur, gloss. in d. cap. sæculares, ait intelligi, de Clericis sæcularibus, non autem de simplicibus laicis; cùm vita Clericorum debeat esse religiosior, quàm laicorum.*

Præcipit secundo Sancta Mater Ecclesia, vt in solemnitatibus nihil Christiani operentur; sed vacent diuinis, vt in *cap. ieiunia, de consecrat. dist.* 3. ibi *Die autẽ Dominico nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum, nulla operatio in illa die Sancta agatur; nisi tantum Hymnis, Psalmis, & Canticis spiritualibus dies illa transigatur*; & in *cap.* 1. *de ferijs*, ibi *omnes dies Dominicos cum omni veneratione decernimus obseruari, & ab omni illicito opere abstinere, vt in eis mercatum minimè fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec Sacramenta, nisi pro pace, vel alia necessitate præstentur*: vbi *Abb.* exponit verbũ illicito, respectu diei, vel causatiuè, cùm posset esse causa illiciti, vel supplẽdo, idest maximè, cùm presertim in die feriato propter eius venerationẽ sit abstinendum, & quod cessandũ sit ab opere seruili: dicitur in *cap. licet, eodem tit. de ferijs*, ibi, *& in his ab omni opere seruili cessandum*.

37 Multa nihilominus permittuntur opera seruilia, vt latè per Summistas, qui diuidunt multifariam seruile opus, de quibus aliud dicere nolo; nisi quod Christus Dominus noster exposuit, labores manuales, operaue seruilia posse fieri in die festo, quando vel necessitas proximi, ac vtilitas, seù commodum Ecclesię, vel Superioris auctoritas id postulat. Propter necessitatem enim excusauit discipulos euellentes spicas in Sabbato, exemplo Dauid, qui ob necessitatem manducauit panes propositionis: vt in 1. *reg. cap.* 21. sic enim legimus: *Luc. cap.* 6. *Cùm transiret per sata, vellebant Discipuli eius spicas, & manducabant, confricantes manibus: quidam autem Pharisæorum dicebat illis, quid facitis, quod non licet in Sabbato? & respondens Iesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis, quod fecit Dauid cùm esurisset ipse, & qui cũ illo erant? quomodo intrauit in Domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit eis, qui cum ipso erant, quos non licet manducare; nisi tantũ Sacerdotibus*; & hoc idem refertur in *cap. discipulos, de consecrat. dist.* 5. ibi *Discipuli cùm per segetes transeundo vellerent spicas, & ederent, ipsos Christi vox innocentes vocat; quia coacti fame hoc fecerunt:* vni-

vndè colligitur, quod raptorem, vel furem non facit necessitas, sed voluntas.

Propter propriam vtilitatē, seù necessitatē excusauit Christus laborātes in Sabbato: *Luc. cap.* 13. ibi *Respōdens autem ad illū Dominus, dixit, Hypochritæ, vnusquisque vestrū Sabbato non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare?* & eiusdem *Lucæ cap.* 14. ibi, *Et respōdens ad illos dixit: cuius vestrum asinus, aut bos in puteū cadet, & continuò non extrahet illum die Sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi*; & idem legitur *Marci cap.* 2. *in fin. & Matth. cap.* 12. *in princ.*

Et propter vtilitatē proximi operantes proprio exēplo docuit fore excusādos: *Marc. cap.* 3. ibi; *Et obseruabant eū, si Sabbatis curaret, vt accusarent illum. Et dixit eis, licet Sabbatis benè facere, an malè? animam saluam facere, an perdere? at illi tacebant. Et circumspiciens eos cū ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dixit homini, extende manum tuā, & extendit, & restituta est manus illi.*

Propter cōmodum Ecclesię laborantes excusauit: *Matth. cap.* 12. ibi, *Aut non legistis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt?*

Propter auctoritatē Superioris operantes in festo excusandos: docuit *Io. cap.* 7. ibi: *Respondit Iesus, & dixit eis, Vnum opus feci, & omnes miramini: propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) & in Sabbato circumcidit hominem. Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, vt nō soluatur lex Moysi. mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in Sabbato? nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.*

38 Tertio diffiniuit eadem Sācta Ecclesia, vt tàm Iudices Ecclesiastici, quàm Sæculares in festis diebus cessent à Iudicijs; sic de ecclesiasticis Iudicibus legimus in *cap.* 1. 15 *q.* 4. *Nullus Episcoporum, aut Presbyterorum, vel Clericorum die Dominico propositum cuiuscunque causa negocium audeat ventilare; nisi hoc tantum, vt Deo statuta solemnia peragant: cæteris verò diebus cōuenientibus personis, illa, quæ iusta sunt; habeant licentiam iudicandi, excepto criminali:* & idem dicitur in *cap.* 3. *eadem* 15. *quæst.* 4. *Nullus Episcopus*, vel infrà

 posi-

positus die Dominico causas iudicare præsumat.

De sæcularibus autem Iudicibus est textus in *cap.2.* eadem 15. *quæst.* 4. vbi dicitur *placita sæcularia Dominicis diebus, vel alijs præcipuis festis, seù etiam in his diebus, in quibus legitima ieiunia celebrantur, secundum canonicam Constitutionē minimè fieri decernimus*; & in *cap.fin. de ferijs*, dicitur. *Quamuis non prorogari, sed expediri deceat quæstiones, debet tamen iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis*. Et de criminalibus iudicijs est *tex.* in *cap.1. de ferijs*, ibi, *neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur*.

39 Et generaliter de omnibus actibus iudiciarijs loquitur: *l.fin. C.de ferijs*, ibi *dies festos, dies Maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari: nec vllis exactionum vexationibus prophanari, Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus venerandum; vt à cunctis executionibus excusetur; nulla quemquam vrgeat admonitio; nulla fideiussionis flagitetur exactio; taceat apparitio; aduocatio delitescat; sit idem dies à cognitionibus alienus; preconis horrida vox silescat; respirent à cōtrouersijs litigantes; & habeant fœderis interuallum*.

40 Statuit quarto Sancta Ecclesia, quod in festis diebus iuramenta non pręstentur, nisi necessitas suadeat: *d. cap.1. de fer.* ibi *nec sacramenta, nisi pro pace, vel alia necessitate præstentur*.

41 Quinto, & vltimo statutum est, quod in honorem Dei in præcipuis festiuitatibus liberētur carcerati pro leuioribus delictis; non autem relaxentur stupratores, incestuosi, venefici, violatores monetarum, nec homicidæ: *l.3.C.de Episc. audien.* ibi, *vbi primum dies paschalis extiterit: nullum teneat carcer inclusum. omnium vincula dissoluantur. sed ab his secernimus eos, à quibus contaminari potiùs gaudia, lætitiamque communem, si dimittantur, animaduertimus*. & inferiùs dicitur eos expectare debere, quod fecerunt, quæ carceratorum dimissio fit varijs modis, alij enim offeruntur Ecclesiæ; alij dimittuntur liberè; alij relaxantur ad tempus, vel cum fideiussione, vel cū cautione iuratoria de redeundo ad carceres post festa: iuxta facultates, & decreta visitato-

torum carcerum loci cuiuslibet.

42 Sed quod possit diebus festis iudicium agi, & ius dici ex causa necessitatis, vel pietatis: *tex.* est in *cap. fin. de fer.* ibi, *nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat:* vbi *gloss.* in verbo *necessitas*, exemplificat dicens, *putà si res esset tempore peritura, & vbi res celeritatem desiderat:* & in verbo *pietas* exemplificat, *putà causa debilium, vel miserabilium personarum; quia in operibus misericordiæ dierum distinctio non est habenda, & summa est ratio, quæ pro Religione facit:* deindè casus necessitatis, & pietatis hoc carmine complectitur.

„ *Hæc faciunt causas festis tractare diebus,*
„ *Pax, Scelus admissũ, Manumissio, Res peritura,*
„ *Terminus expirans, Mora testis abesse volentis,*
„ *Cumque potestatis patriæ ius filius exit.*

43 Sed vt in hac materia distinctè procedamus, omissis variis feriarũ diuisionibus, de quibus videre est apud *Azonem, & Hostien.* in eorũ Summis in *tit. de ferijs*, per *Speculat. eodem tit.* & per *Abb. & alios in d. cap. fin. de ferijs*, vt bimebrẽ diuisionem afferamus, rectè dicemus, ferias alias esse ordinarias, & alias extraordinarias: & ordinarias subdistinguẽtes nõ incongruè dicemus alias esse honorarias, & alias necessarias. rursus dicemus honorarias, alias esse in honorem Dei, & Sanctorum; quæ sacræ solent appellari; & aliàs in honorem Principis, quæ solent dici solemnes.

Huiusmodi autem ferias, qui posint indicere, & an illis partes posint renunciare, & an Princeps, consuetudo, vel statutum posit illis derogare, mox videbimus.

44 Ferias sacras in honorem Dei, & Sanctorum vniuersaliter obseruandas inducit solum ius Pontificium; sola Ecclesia vniuersalis; solus Sum. Pont. *cap. 1. de reliq. & vener. Sanct.* particulares autem quilibet Episcopus in sua Diœcesi, cum Clero tamen & Populo, potest indicere: d. *cap. fin. de ferijs*, ibi *cæterisque solemnitatibus, quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero, & Populo duxerunt obseruandas.*

45 Ex quo Textu colligitur, quod consuetudo Laicorum

R 4 non

nō poteſt inducere dies feſtos, vt de præcepto obſeruentur; niſi auctoritate Ordinarij ſit confirmata; poteſt tamen conſuetudo, ſiuè ſtatutum, ſiuè Princeps ſęcularis indicere ex voto, vel alia ratione diē feſtū; ità ſcilicet, vt in eo intermittā tur ciuiles publicæ fūctiones, ac opera: nō autē vt ſinguli Ciues arceātur eò modo, quo obligati ſunt in diebus feſtis ex pręcepto Eccleſiæ: ***Azor. inſtit. moral. par. 2. lib. 1. cap. 26. q. 5. 6 & 7.*** ad id enim requiritur auctoritas Ordinarij, & cōſenſus Cleri, & Populi: ***d. c. fin.*** vbi ***not. Innoc. ſub n.*** 1. in verb. ***ſolēniter***, quod Epiſcopus, Clerus, & Populus poſsūt cōſtituere aliquem vti Sāctum venerari ſolemniter; ſed non poſſunt aliquem vti Sāctum, ſine authoritate Papæ adſcribere in Collegio SS. & ſequitur ***Abb. ibid. n. 4. & Azor. vbi ſup. q. 4.***

46 Renunciare ferijs ſacris nō poſſunt partes: ***d. cap. fin. de fer.***

47 Ferijs in honorē Dei Papa nō ſolet, niſi ex cauſa ſibi viſa, derogare. imò in commiſſionibus, quibus conceditur, vt Iudex procedat, ferijs nō obſtātibus, ſeù in diebus feriatis, ſolet addi clauſula, nō tamen in honorem Dei feriatis, quę ſi per partem non eſſet appoſita, deberet addi per Referēdariū: ***Marcheſ. de cōmiſs. derog. feriar. par. 3. §. 1. nu. 81.*** & quatenus etiam hæc clauſula omitteretur; nō tamen ſub generali derogatione feriarum cēſeretur derogatum ferijs illis, quibus partes nō poſſunt renunciare: ***Mādoſ. de commiſs. for. 13. commiſſionis ferijs non obſtātibus, in princ. verſ. 3. quia***, & inferiùs in verbo ***feriarum, verſ. ſed ſi ommittat illa verba***.

48 Conſuetudines tunc derogant ferijs etiam in honorem Dei, & à culpa liberant, quādo rationi ſunt congruentes, & Prælatorum conſenſu introductæ, & antiquitate receptæ: ***Sot. de iuſt. & iur. lib. 2. quæſt. 3. verſ. conſuetudines autem***.

49 Quattuor exempla affero de conſuetudine derogante ferijs in honorem Dei, vnum eſt in tempore Quadrageſimæ, quod licet ſit feriatum in honorem Dei in criminalibus: vt in ***l. quadraginta diebus, C. de ferijs***; tamen ibi ***gloſſ.*** dicit, quod de conſuetudine non ſeruatur, & ibidem ***Bal.*** notat, quod valet cōſuetudo, vel ſtatutum, quibus tolluntur feriæ introductæ in honorem Dei, & idē dicit ***Abb. d. c. fin. de fer. n. 7.***

Alte-

50 Alterũ exemplũ eſt in Copiſtis in Vrbe, qui copiãt feſtis diebus, quãuis id opus ſit ſeruile, quę conſuetudo tãquam rationabilis ob neceſſitatẽ litiũ, & negociorũ, rerumq; & perſonarum excuſat: ***Azor. inſtit. moral. par. 2. lib. 1. cap. 27. q. 5. verſ. dices, multi Romæ. add. Archid. in cap. ieiunia, de conſecr. diſt. 3. nu. 2.***

51 Tertium exemplũ eſt in Iudicibus ruſticorum, qui ſecũdũ conſuetudinem aliquarum regionũ, ius dicunt ruſticis, in diebus feſtis eò quod alijs diebus, neque Iudices, neq; teſtes ſuperſint, aut ne pauperes amittant ſuos dies operarios, quibus ad vitam ſubſtinẽdam maximè indigent: vt per ***Nauarr. in manuali, c. 13. de 3. præcep. decal. n. 11. verſ. 9. qui Iudex in fin.*** quamuis aliàs de iure in diebus feriatis in honorem Dei placitum fieri prohibeatur: ***cap. 1. de ferijs.***

52 Poſtremum exemplũ affero in Iudicibus nundinarum, quæ fiunt feſtiuis diebus, vel ex cõſuetudine, vel ex ſpeciali priuilegio; quia in feſtiuitatibus etiã ius dicunt, & acta facta corã eis valent: vt per ***Maran. de ord. Iud. par. 4. diſt. 16. validũ, vel inualidum, nu. 87. cum ſeq.*** Licet enim in feſtis diebus de iure prohibeatur fieri mercatũ: ***d. c. 1. de fer.*** tamen ex cõſuetudine fieri poteſt, & rationabilis cẽſetur cõſuetudo, ne ſi fieret ſolũ in diebus pro feſtis, deeſſent ruſtici, qui nõ niſi diebus feſtis in Vrbes, & Oppida venire cõſueuerunt: vt per ***Azor. inſtit. moral. par. 2. li. 1. de tertio decal. præcepto, cap. 27. q. 10.***

53 Prædictis adde, quod per ſtatutum nõ poteſt fieri, quod dies Dominica nõ ſit feriata, cũ ſucceſſerit loco Sabbati feriati per legẽ diuinã veteris teſtamenti, & idẽ eſt dicendum de alijs diebus feſtiuis; quia ſunt feriati de iure canonico; & ideò per ſtatutũ laicorum non poſſunt tolli: ***Caſtr. in l. quadraginta, nu. 2 C. de fer.***

54 Feriæ honorariæ ſunt, quæ in honorẽ Principis inſtitutæ ſunt, vt ſunt dies Natalis Principis, Creationis, & Coronationis: ***l. ſed etſi, §. ſi feria, ff. ex quib. cauſis maior.*** ibi, ***vel in honorẽ Principis, l. omnes dies, C. de fer.*** ibi ***noſtris etiam diebus, qui vel lucis auſpicia, vel ortus imperij protulerunt***; & in ***l. final. C. eodem***, ibi ***etiam ſi in noſtrum ortum, aut natalem celebranda ſolemnitas inciderit, differat.***

Di-

Dicuntur etiam feriæ honorariæ, quæ in honorem maximarum Vrbium celebrantur, vt sunt dies Natalis Vrbis Romæ, & Constantinopolis: *d. l. omnes, C. de fer.* ibi *his adijcimus natalitios dies maximarũ Vrbium Romæ, atq; Constantinopolis, in quibus debent iura differri, quia & ab ipsis nata sunt*; & ex *Statuto Vrbis lib. 4. cap. 27. sub rub. de ferijs*, celebratur natalis Vrbis die 21. mensis Aprilis; vt refert *Mandos. de commiss. derog. feriar. in verbo feriarum, vers. hodie super natalitio Vrbis*.

Istæ feriæ censentur inductæ à iure, & illis partes non possunt renunciare; cùm non sint in fauorem priuatorum; sed in fauorem publicum, cui nequeunt priuati renunciare: *cap. si diligenti, de foro compet. Abb. in d. cap. fin. num. 6. & 11. de ferijs*, & consensus partium nihil operatur, vbi aliquid prohibetur ob reuerentiam Prætoris, & multò magis ob reuerentiam Principis: iuxta *Tex. in l. quos prohibet, ff. de postulando*; vbi dicitur; *quos prohibet Prætor apud se postulare, omni modo prohibet, etiam si aduersarius eos patiatur postulare*; vbi *gloss.* supplet, *quia causa decoris Prætoris sit prohibitio*; sic enim dicitur in *l. 1. ff. eod. de postulan. Hunc titulum Prætor proposuit habendæ rationis causa, suæque dignitatis tuendæ, & decoris sui causa; ne sine delectu passim apud se postuletur*.

Et istis ferijs honorarijs nõ solet derogari, immò sub clausula, quam supra diximus apponendam esse in commissionibus derogatorijs, præterquam in honorem Dei feriatis. exceptuati etiam censentur dies festi Creationis, & Coronationis summi Pontificis: *Mandos. de commiss. ferijs non obstan.* in verbo *feriarum, vers. nec mirum: feriæ enim, circa fin.*

55 Feriæ necessariæ sunt illæ, quas necessitas fructuum colligendorum adinuenit, messiũ scilicet, & vindemiarum: *l. 1. ff. de fer.* ibi; *Ne quis messium vindemiarumque tempore aduersarium cogat ad iudicium venire oratione Diui Marci exprimitur*; *quia occupati circà rẽ rusticam in forum venire compellendi non sunt*; & *d. l. omnes dies, C. de ferijs*, ibi *illos tantum manere feriarum dies fas erit, geminis mensibus ad requiẽ quos laboris indulgentior annus accepit: æstiuos quidem dies feruoribus mitigãdis, Autumnis fru-*

cti-

ctibus decerpendis.

Istæ feriæ necessariç vtique à iure sint inductæ; sed Præses loci eas indicit secundum loci consuetudinem: *l. Præsides, ff. de ferijs*, ibi *Præsides Prouinciarum, ex consuetudine cuiusque loci, solent messis, vindemiarũ que causa tempus statuere:* & ita non inducunt nouas; sed antiquas confirmant: *l. si in aliquam, ff. de off. Procons.* ibi, *& ferias secundum mores, & consuetudinem, quæ retro obtinuit, dare.*

Et quia contingit, vt in diuersis locis feriæ hæc diuersis temporibus indicãtur, ex quo in locis maritimis, & calidis, citiùs quàm in montaneis, & frigidis maturantur fructus; ideò quærunt Doctores, an feriæ loci iudicij, an verò locorum actoris, siuè rei sint seruandç: & *Innoc. in d. cap. fin. de fer. num. 2. vsque 6. & Specul. in tit. de ferijs, §. 1. num. 5. vsque ad* 10. ponunt rationes pro, & contra, quibus omissis dicemus, communem esse conclusionem, quod attẽdantur feriæ loci iudicij, cùm in ordinatorijs consuetudo loci, & fori Iudicis attendatur, non autem loci, seù fori litigantium: *Abb. in d. cap. fin. de fer. nu. 23.* dicens, quod aliàs eueniret, vt reus, vel actor haberet duplicatas ferias, Regionis suæ, & loci iudicij. quæ feriæ etiam si generaliter non indicerentur, tamen Iudex, siuè ordinarius, siuè delegatus eas seruare debet, eò scilicet tempore, quo communiter messes fiunt; *Innoc. in d. cap. fin. de fer. num. 6.*

In Curia indicuntur de mẽse Iulij, & finiũt Calendis Octobris, & non nisi de mandato Papæ per Cancellarium, seù Regentem Cancellariæ: *Marches. de commiss. derog. fer. par. 3. §. 1. num. 54.*

56 Partes possunt huiusmodi ferijs necessarijs renunciare, siuè expresè, siuè tacitè, & sententia valet; secùs si ambæ partes non consenserint: *l. 1. ff. de ferijs*, ibi: *Sed si Prætor aut per ignorantiam, vel socordiam euocare hos perseuerauerit, hique spontè venerint. Si quidem sententiam dixerit præsentibus illis, & spontè litigantibus, sententia valebit; tametsi non rectè fecerit, qui eos euocauerit. Sin verò cùm abesse perseuerauerint, sententiam protulerit etiam absentibus illis, consequens erit dicere, sententiam nullius esse momenti; nec enim Prætoris factum*

iuris.

Iuri derogare oportet, citrà appellationem igitur sententia infirmabitur, & cap.fin.de ferijs, ibi *licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum, vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate;* & ratio est, quia indulgetur istud tempus ad fauorem priuatorum, cui per priuatos potest renũciari: *cap.ad Apostolicam, de regular.* ibi *vterque videtur renunciare ei, quod pro se noscitur introductum, l.si quis in conscribendo, C.de pactis,* ibi *cùm alia regula est iuris antiqui, omnes licentiam habere his, quæ pro se introducta sunt renunciare; & l.si feriatis diebus, ff.de ferijs,* ibi *si feriatis diebus fuerit iudicatum, lege cautum est, ne his diebus iudicatum sit, nisi ex voluntate partium.* Qui textus licet loquatur indefinitè de feriatis diebus; tamen intelligitur de ferijs necessarijs, non autem de honorarijs, quia legem superioris nemo tollere potest: *l.nàm Magistratus, ff.de arbitris*; ità declarat *gloss.1. in d.l. si feriatis.*

Sed quid si partibus renũciãtibus ferijs Iudex nolit fauori suo renunciare? dic quod partes inuito Iudice, nõ possunt procedere tempore feriarum prædictarum, sed si Iudex consenserit fieri acta, non possent posteà pro eorum nullitate allegari feriæ.

Atque his renunciare videtur ferijs, qui illis pendentibus adit Iudicem, & petit sententiam ferri, inducitur enim renunciatio ex actu, qui fieri non potest citra renunciationem: *Castr. consil. 119. col.1. vol.2. Menoch. cons.87. numer.23. & 24. Surd. cons.8. num.22.*

57 Ille autem, qui citatus est tempore feriarum, si non comparet; non censetur consentire processui, neque ferijs renunciare: *Alexand.cons.213. num.3. lib.2.* sed quando comparet, & non opponit, vtique consentire videtur *d. l.1. & d. cap.fin. de ferijs.*

58 Sed non ne tali tempore citatus deberet comparere ad allegandum priuilegium feriarum: respondet *gloss.* in *d. l.1. ff. de ferijs*, in verbo nullius esse momenti, quod non, si certum erat eum vocari nõ debere, non enim comparendum est coram Iudice, quando supra iurisdictionem suam vult ius dicere, & ei non est parendum: *l.fin. ff.de iurisdict. omn.*

omn.Iud. secùs quando est dubium: *l.fin.ff. de Iud.*

59 Renunciatio huiusmodi ferijs potest fieri etiã in instrumento, quamuis statutum diceret, quod tépore messium, & vindemiarum ius nõ redderetur: *Alex.conf.36.n.7.vol.2.*

Potest etiam fieri hæc renunciatio per Procuratores, cũ sit exceptio dilatoria, quę non tendit in præiudiciũ Domini; debet tamen fieri ante factum processum, vel latam sententiam: quod si fieret post sententiam, esset nulla, & non conualesceret: *Castr. in d.l.1. §.sed si Prætor, n.3. ff.de ferijs.*

60 Et si autem partes renunciauerint huiusmodi ferijs, nõ tamen in illis testes possunt cogi ad subijciendum se examini; ità respondet *gloss.* in *l.omnes dies*, in verbo *vel ortus, C.de fer.* & facit *l.si vnus, §. ante omnia, ff. de pactis*, ibi *ante omnia enim animaduertendum est: ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona in alia re: alijuè personæ noceat;* & idem notant Doctores in dict. *l.1.ff.de fer.Castr.n.5. Alex. nu.8.Iaf.nu.9.Butr. in cap.fin. nu.22. de ferijs;* & quod possit feriarum generalium tempore procedi in possessorio, dicunt *Achil.decis.vn. de ferijs, & Capell. Tholos. decis.159.*

61 Derogatur istis ferijs in Curia per Signaturam Iustitię ad petitionem partis; sed faciliùs cum consensu Iudicis, qui in commissione derogatoria feriarũ subscribit, videtur signãda: *Marches.de commiss.derog. feriar. par.3.§.1.nu.113.*

Quæ derogatio facilè conceditur in causis executiuis, & causis mercedis, & alimentorum; *Marches.ibid. nu.111.* in Rota autem nõ datur commissio derogatoria feriarum, nec in Curia Capitolinã: idem *Marches.d.§.1. num.98.& 99.* neque pro correctione Bullæ, *nu.101.* neque in causis pendentibus coram Cardinalibus *num.102.* neque etiam datur pro remissorijs, idẽ *Marches.* vbi supra *nu.100.*

Remissoria enim cùm requirat causæ cognitionem, non potest dari tempore feriarũ: vide *Crescent.dec.vnica, de fer. nu.5.* & dilatio secunda danda est causa cognita: *l.oratione, ff.de ferijs.*

Notãt Doctores, quod hęc feriæ, quia inducuntur propter messes, & vindemias, ideò si in aliquo loco nõ colligitur vinum, nec bibitur, prout in Hi-

Hibernia, non debent dari induciæ pro vindemijs; sed vbi vinum bibitur, licet non nascatur, debent dari pro tempore, quo illi prouident sibi de vino communiter in alijs locis. Feriæ autem pro messibus vbique dantur, etiam vbi granum non colligitur; quia vbique oportet illud præordinare: *Innoc. in dict. cap. fin. nu. 7. Butr. nu. 23. vers. hæc vbi fiunt. Abb. num. 24.*

Ex eo etiam, quod huiusmodi feriæ conceduntur, ne occupati circa rem rusticam, compellantur ad forum, dicunt Doctores, quod etiam censentur concessæ eis, qui si non per se, saltem per alios sunt in re rustica occupati, vel si testes, seu Aduocati, vel Procuratores essent etiam mediantibus eorum factoribus occupati; quamuis ipsi litigantes essent de remotis partibus: *Specul. d. tit. de fer. §. 1. n. 8. Innoc. d. cap. fin. nu. 5. Abb. nu. 25.*

62 Feriæ repentinæ sunt, quæ repentè, & extra ordinem indicuntur propter aliquod prosperè per ipsum Principem gestum, vel ei fæliciter occursum, vt propter victoriam aliquam, vel quia Princeps duxit vxorem, vel ei natus est filius: & vocantur feriæ Imperiales: *Hostien. in sum. tit. de ferijs, nu. 2. vers. qualiter feriæ distinguantur*; & *tex.* est in *l. 1. C. de fer.* ibi *feriarum, quæ rebus fæliciter secūdis proueniunt*, & in *l. siuè pars, C. de dilat.* ibi *feriæ autem siuè repentinæ, siuè solemnes sint*, & in *l. sed etsi per Pretorem, §. si feriæ, ff. ex quibus caus. maior.* ibi *si feriæ extra ordinem sint indictæ ob res putà prosperè gestas.*

Indici nequeunt istæ feriæ ab alio, quàm à Principe, etsi fortè ab inferiore indicerentur, non valerent: *l. à nullo, C. de fer.* vbi dicitur *à nullo Iudice præsumi debet, vt sua auctoritate aliquas ferias concedat, nec enim imperiales ferias vocari oportet, quas administrator edixerit, ac per hoc si nomine eximuntur, etiam fructu carebunt.*

Renunciari non potest ferijs repentinis, sicut nec ferijs in honorem Dei, vel Principis, ex supra deductis, & quod istæ feriæ repentinæ, æquiparentur ferijs in honorem Dei: notat *Bald. in l. 1. C. de ferijs*, vbi *sub nu. 3.* respondet huiusmodi ferijs renunciari non posse, & idē tradit *Specul. lib. 2. p. 1. §. nūc videamus in princ. tit. de fer.*

His

63 His explicatis superest, vt distinctè, & breuiter videamus, qui actus in ferijs prohibiti sint, & qui permissi.

Et in primis firmo regulã, quod omnia sunt permissa, quæ per legem prohibita non inueniuntur *l. mutus*, §. *cùm queritur*, *ff. de procur.* ibi *cùm queritur an alicui Procuratorẽ habere liceat, inspiciendum erit, an non prohibeantur Procuratorem dare, quia hoc edictũ prohibitorium est*. Concordat, *l. 1. §. 1. ff. de testib.* cum alijs.

64 Deindè ex prohibitis infero ad ea, quæ permissa censeri debent.

Et primo in festis diebus prohibentur placita, iurgia, & strepitus iudiciales: *cap. 2. 15. quæst. 4. cap. fin. de fer. l fin. C. eodem.* Ergò dum prohibentur actus iurisdictionis cõtentiosæ, permittuntur actus iurisdictionis volũtariæ: *l. actus, C. de ferijs*.

65 Secundo, Sancitũ est, quod festis diebus non audeant Iudices cuiuscunque causæ negocium ventilare: *cap. 1. 15. q. 4.* hoc est causas iudicare, vt in *cap. 3. ead. 15. quæst. 4.* Ergò si Iudices prohibẽtur causas iudicare, non prohibentur de causis se informare, & audire partes extraiudicialiter informantes, & id licitè fieri potest: *Nauarr. in manuali, de tertio Præcepto decalogi cap. 13. num. 12. vers. octauo, Doctor.* & concordant alij Summistæ.

66 Tertio, Iura volunt, vt in festis diebus conquiescat iudicialis strepitus: *cap. fin. de ferijs*, ergò actus extraiudiciales possunt expediri: *l. Diuus Traianus, ff. de ferijs*.

67 Quarto, Mandat lex, quod dies festus sit à cognitione alienus: *l. fin. C. de ferijs*, ergò lex non prohibet actus, qui fieri possunt sine causæ cognitione: *l. 1. & l. actus, C. de ferijs*.

68 Quinto, Constitutum est, quod in diebus festiuis iuramenta non præstentur, nisi pro pace, vel alia necessitate: *cap. 1. de ferijs*, ibi, *nec sacramẽta nisi pro pace, vel alia necessitate*; sequitur, vt cessante necessitate, iuramenta nec deferri, recipiuè possint; qui autem sint casus necessitatis explicat ibi *gloss. final. putà pro fide, pro obedientia, & pro fama*, & ibi additio ponit carmen.

„ *Pax, & fama, fides, reuerentia, cautio damni,*
„ *Defectus veri, sibi possunt magna caueri.*

Sex-

69 Sexto, Nolunt iura, vt in diebus festis aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur: dict. *cap. 1. de ferijs*, ergò si id fiat, nullum, & irritum manet; nisi subsit iusta causa.

70 Septimo, & vltimo, Dum lex quæcunque prohibet fieri in diebus festis; prohibet cum hac declaratione, nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat; ergò permittuntur expediri quęcũque celeritatem desiderant, & quæ tempore essent peritura, & causæ debilium, & miserabilium personarum; *gloss.* in d. *cap. fin.* in verbo *necessitas*, & in verbo *pietas*.

Verùm, quia hæc indigent explicatione

Primo ordinatim dicemus de actibus voluntariæ iurisdictionis.

Secundo de actibus extraiudicialibus, qui fiunt per Iudicem.

Tertio de ijs, qui fiunt per partes.

Quarto de causæ cognitione.

Quinto de pręstatione iuramenti, & de instrumentis.

Sexto de actibus criminalibus.

Septimo de actibus, pro quibus agendis necessitas vrget, vel pietas. An scilicet, & quando fieri possint tempore feriato.

71 Modò quantum ad primũ, Actus iurisdictionis voluntariæ in quibuslibet ferijs possunt per Iudicem expediri; ità loquitur *Imper.* in *l. actus, C. de ferijs, actus omnes seù publici, seù priuati, diebus paschalibus conquiescant; in his tamen manumittendi cuncti licentiam habeant; & super his acta non prohibeantur*; & dicitur in *l. 2. C. eodem, tit. de ferijs*; *vt in die Dominico emancipare, ac manumittere liceat, reliquæ causæ, vel lites quiescant*.

Aduertendum tamen est, quod quamuis possit Iudex actus voluntarię iurisdictionis expedire etiam in festis de Præcepto, & acta valeant; tamen Iudex hæc faciens peccat, quando necessitas, vel pietas non suadeat: iuxta *tex.* in *d. cap. fin. de fer.* nàm festi dies debent cum omni veneratione celebrari, & per huiusmodi actus abstrahuntur homines à contemplatione diuinorum; & Notarius super his conficiens acta intendit lucro, & seruili operi in scribendo: ità notat *Abb.* in dict. *cap.*

*cap.fin. num.*18. *de ferijs*.

72 Sed insuper cõsidero, quod si fieret aliquis actus iurisdictionis voluntariæ, cui aliquis pro suo interesse contradiceret; tunc factus quouis die feriato sine partis citatione, & sine causæ cognitione non valeret: *l.de vnoquoq ff. de iud.* & cum causæ cognitione cum partis autem citatione non posset fieri nedũ in die feriato in honorem Dei; sed neque in alijs; quia tunc Iudex propter alterius præiudicium deberet iudicialiter procedere parte citata, qui actus iudiciales, & contentiosi nequeunt fieri in ferijs; nisi ex vrgenti causa: *l.*1. *ff.de fer. l.fin. C.eod. cap.*1.*& cap.fin. de ferijs*.

73 Exemplum affero in collatione beneficiorum, quæ est actus volũtariæ iurisdictionis, & potest fieri extra Territorium: *gloss. in cap. nouit, in fin.* & ibi *Abb.n.*3.*de off. deleg.gloss. & Doct.in cap. transmissam, de elect.cap.post electionem, de concess.præben.Gonzalez reg.*8.§.4. *probem. nu.*27. *& gloss.*61.*n.*2. *& seq.*& ideò si fiat vni absque alterius oppositione, tunc potest fieri extraiudicialiter, & facta valebit etiã in die festo, & vt puto etiã sine peccato, quia est causa pia, cùm agatur de prouidendo Ecclesiæ de Rectore, vbi enim necessitas, vel pietas excusat non incurritur peccatum: *Abb.* in d. *cap.fin. de fer. nu.*16. *&* 18.

74 Si autem fiat in concursu, & cum oppositione aliorum, tunc non potest fieri extraiudicialiter; sed debet fieri cum causæ cognitione, & cum partis citatione iudicialiter formato processu: *Doct.in cap.concertationi, de appellat.lib.*6.*Lancellot.de attentat.*2.*par.cap.*4. *in præfat.nu.*725. *Gonzalez d.reg.*8. *in annot. nu.*14. *& num* 36. cum alijs seqq.& tali casu collatio facta, stantibus ferijs quibusuis, esset nulla, tanquam actus non voluntariæ; sed contentiosę iurisdictionis; Et tanquã actus iudicialis requirens causæ cognitionem; non autem tanquam actus extraiudicialis non requirens causę cognitionẽ: iuxta *Text.*in præalleg. *l. actus, C. de ferijs*.

75 Inter actus voluntariæ iurisdictionis cõnumeratur excommunicatio, & absolutio; & dicunt Doctores, quod Iudex ecclesiasticus potest in qualibet die feriata excommunicare, & etiam absoluere, quando scilicet non requiri-

tur causæ cognitio: & quando ea requireretur, si Iudex vellet eam adhibere, non posset in die feriata: sed si eam omitteret, excommunicationis, & absolutionis sententia valeret, sed esset iniusta, ob non adhibitam causæ cognitionem: ita dicit *Specul. in tit. de ferijs, §.sequitur, vers. porrò; num.*7. & idem *sentit Feder. de Senis, cons.*11. sequitur *Abb. d. cap. fin. num.*16. *de ferijs*; alios etiam cumulat *Mandos. de cõmiss. form.*13. *commiss. ferijs non obstan. quæst.*13.

76 Excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis, aut pro perditis, seù subtractis rebus ferri solent: *cap.*3. *sess.*25. *Concil. Trident.* vtique in die feriata concedũtur, & sine citatione partis, non enim tractatur de præiudicio: sed de vtilitate animarum, vt reuelare debẽtes exeant de peccato: *Genua in prax. Curiæ Archiepisc. Neap. cap.*1. *num.*18. & 11. & publicantur per Parochos in diebus Dominicis, & alijs festiuis, pulsatisque Campanis, & candelis extinctis non reuelantes excommunicati publicè nunciantur: vt in *Extrauag. infideles, de furtis*.

In solemnioribus tamen diebus, videlicet Natiuitatis Domini, Paschatis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, non solent publicari, nisi vrgenti causa, vt fideles in tanta solemnitate absque animorum perturbatione vacent deuotioni: vt in dict. *praxi Neapol. cap.*1. *nu.*10. *Lazar. de monit. sect.*1. *quæst.*19. *nu.*4.

77 Sed in sententia declaratoria incursus in excommunicationem, aliter videtur dicendum; quia est actus iudicialis, quando scilicet controuertitur incursus, & non valet sine citatione partis; iuxta supra deducta in *cap.*5. *nu.*84.

78 Absolutio autem, non obstante quod quis contradicat, & appellet, valida est data etiam in quauis die feriata, præstita tamen per eum cautione de parendo iuri: iuxta *Tex.* in *cap. qua fronte, de appellation.* vbi redditur hæc ratio, *ne in excommunicatione decedat*: vbi *gloss.* subiungit, *quod appellatio nõ admittitur propter periculum mortis, nec in his quæ dilationem non capiunt*.

79 Connumeratur etiam inter actus volũtariæ iurisdictionis interpositio decreti in contra-

ctibus

ctibus minorum, & quærunt Doctores, an huiusmodi decretum possit interponi die feriata in honorem Dei, Opinionem affirmatiuã tenuit *Salicet.* in *d.l. actus, C. de ferijs*, *& secutus est Castr.ibidem n.2.* qui miratur de Doctoribus, quod formẽt hanc quęstionẽ, & de hac re dubitent; licet enim, inquit ipse, huiusmodi decretum requirat causæ cognitionem, quæ consistit in multis, quæ habentur in *l. magis puto, ff. de reb. eorum*; & de omnibus illis debeant acta confici, & Iudex debeat sedere pro Tribunali: *l. à procedente, C. de dilat.* tamen hæc causę cognitio debet adhiberi in fauorem minoris, & non admittitur contradictor prætendens proprium interesse; & sic non dicitur contentiosæ iurisdictionis, & ista causæ cognitio potest fieri de plano; quia non est propriè actus iudiciarius, qui dirigatur contra certum aduersarium.

Et non obstat, quod debeãt confici acta coram Iudice de his, quæ requirunt causæ cognitionem: *dict. l. magis puto*, quia, vt ipse ait, etiam in emãcipatione, & manumissione, quæ possunt fieri in diebus feriatis in honorem Dei: *dict. l. actus*, acta conficiuntur coram Iudice, vltra quod hodie, vt ipse subiungit, in contractibus minorum de consuetudine non conficiuntur acta; sed sufficit contineri in instrumento, quod Iudex tali venditioni causa cognita interposuit auctoritatem, & decretum.

Sed magis mirandum videtur, quod ipsemet *Castren.* cõtrariũ dixerit in *l. Diuus Traianus, ff. de ferijs*; dum firmat, quod feriæ locum non habent in actibus voluntarię iurisdictionis, qui non requirunt causæ cognitionem, licet expediantur coram Iudice: vt in emancipationibus, & adoptionibus, vt in *d. l. actus omnes*, secùs si requirerent causæ cognitionem, vt interpositio decreti super alienationibus bonorum immobilium, & minorum: allegans not. in simili in *l.2. ff. de off. eius cui mandata est iurisdictio*, iuncta *l. nec quicquam, §. vbi decretum. ff. de off. Proconf. & leg.*

Ideòque firmant Doctores opinionem negatiuam communem esse, & veriorem, quã tenuerunt *Specul. Cyn. Iacob. de Arena, Bal. & alij in d.l. actus:*

nempè die feriato non posse interponi decretum: sequitur *Mandos. de commiss. ferijs non obstan.*& quam plures alios allegat, & sequitur *Simoncell. de decretis, lib. 1. tit. 1. inspect. 3. n. 84. Picus ad statutũ Vrbis, lib. 1. cap. 151. gloss. 21. num. 6. & 7.* & dicit *nu. 9.* in Curia decreta in contractibus minorum, & mulierum non interponi diebus feriatis in honorem Dei, vel Sanctorum, siuè de præcepto generali Ecclesiæ, siuè de consuetudine Vrbis, & ea mouentur ratione, quam adducit idẽ *Castren.* in *d. l. Diuus Traianus*; quia huiusmodi actus, & si sit voluntariæ iurisdictionis, tamen requirit causæ cognitionem: *Rot. diuers. decis. 957. par. 3. lib. 3.* vbi tenuit non valere decretum interpositum in die Sancti Syluestri, quia requirit causæ cognitionem, & sessionem pro Tribunali, nihil tamen allegat; sed neminem vidi, qui tollat rationes contrarias adductas per eũdem *Castrensem* in *d. l. actus, C. de ferijs*.

80 Et proptereà considero totam difficultatem consistere in intellectu, *d. l. actus*, & dico, quod ea in principio ponit regulam generalẽ in hæc verba, *actus omnes siuè publici, siuè priuati diebus quindecim paschalibus conquiescant.* demum subiungit hanc exceptionem in *bis tamen emancipandi, & manumittendi cuncti licentiam habeant, & super bis acta non prohibeantur*; modo sic argumentor.

81 Exceptio firmat regulam in casibus nõ exceptuatis: *l. nàm quod liquidè, §. fin. ff. de penu legata*, ibi, *si cui penus legata sit præter vinum, omnis penus legata videtur excepto vino*, cũ alijs per *Doct.* in *l. 1. ff. de reg. iur.* sed sic est, quod *d. l. actus* prohibet generaliter in feriatis diebus in honorẽ Dei fieri actus, siuè publicos, siuè priuatos, exceptis actibus emancipationis, & manumissionis; ergò huiusmodi exceptio firmat regulam in actu interpositionis decreti super contractibus minorum, & mulierum non exceptuato.

Responderi posset, quod exceptio in certis casibus facta extenditur etiam ad consimiles; nàm vbi est eadem ratio, eadem esse debet iuris dispositio: *l. illud, ff. ad l. Aquil. cùm enim circa furti actionem bocidem sit, ne ex vno delicto tota familia dominus careat,*

eaque

eaque ratio similiter, & in actione damni iniuriæ interueniat, sequitur, vt idem debeat æstimari, vbi *gloss. not. quod vbi est eadem ratio, & idem ius*, & allegat plures concordantes.

82 Quæ interpretatio fieri dicitur, vel per viam extensionis, quando scilicet vel mens, seù ratio non est expressa; sed aut verisimilis est, aut tacita, vt in *l. Titius, §. Lucius*, & ibi *Bart. ff. de lib. & posthum.* vel per viam comprehensionis, quando ratio est expressa, & in pluribus casibus militat eadem ratio; tunc enim non habet locum extensio; sed sicuti genus comprehendit omnes suas species, ita & ratio generalis omnes casus cōplectitur: *Litem veniunt, §. ait Senatus, ff. de petit. hæred.* ibi *idem etsi vacantia bona Fisco vendicentur. Bald. in l. de quibus, col. 6. ff. de legibus. Alexand. cons. 79. lib. 6. Dec. cons. 37. Cagnol. in l. 1. ff. de reg. iur. nu. 41. vers. quandoque, vbi in lege, vel statuto.*

83 Cæterum hæc responsio non intrat; quia nō est eadem ratio in cōtractu mulieris, vel minoris, quæ est in emancipatione, & manumissione, ac adoptione: vt enim considero isti actus pendent ex solo arbitrio emancipātis, manumittentis, & adoptantis absq; alia disceptatione, & cognitione causæ: *l. 2. ff. de offic. Procons. & Legati*, ibi *omnes Proconsules statim quam Vrbem egressi fuerint, habent iurisdictionem; sed non contentiosam, sed voluntariam: vt ecce manumitti apud eos possunt tàm liberi, quàm serui, & adoptiones fieri*, vbi *gloss.* subiūgit, *contentiosa est, quæ redditur in inuitum, voluntaria verò dicitur, quæ inter volentes tantum.*

84 Et ideò Iudex in expediendis dictis actibus, nō debet sedere pro Tribunali: §. *præterea, instit. quib. mod. ius pat. pot. soluit*, ibi *Nostra autem prouidentia etiam hoc in melius, per constitutionem reformauit, vt fictione pristina explosa, recta via apud competentes Iudices, vel Magistratus, parentes intrent, & filios à sua manu dimittant*, vbi *gloss.* in verbo *intrēt*, explicat, *si Iudex est in domo, idē vbicunque sit, dummodò non in loco turpi*; & in *l. final. C. de emancipat. liber.* dicitur *intrare competentis Iudicis tribunal, vel Magistratus adire*; non tamē dicitur, quod Iudex debet sedere pro Tribunali; & in *l. non est, ff. de manum. vindict.*

dicitur *non est omninò necesse pro Tribunali manumittere, itaque plerumque in transitu serui manumitti solent: cùm aut lauandi, aut gestandi, aut ludorum gratia prodierit Prætor, aut Proconsul, Legatusue Cæsaris*. atque in istis actibus Iudex non debet aliam causæ cognitionem adhibere; sed solam voluntatem manumittere, & manumitti, emancipare, & emancipari, adoptareque, & adoptari volentium, exquirere; solamque auctoritatem suam interponere: *l. non nudo, C. de emancipat. liber.* ibi *nec causa quibus motus pater emancipauit filium sed actus, solemnitas quaritur*; vbi *gloss. ait, nota, non est locus quare? quia varia sunt voluntates hominum*, *& l. in adoptionibus. ff. de adoption. & emancipat.* vbi dicitur *in adoptionibus eorum dumtaxat, qui sua potestatis sunt, voluntas exploratur; sin autem à patre dantur in adoptionem, in his vtriusque arbitrium spectandum est, vel consentiendo, vel non contradicendo*.

85 Contractus autem minorũ, vel mulierum nõ pendent ab eorum mero arbitrio; sed ab vtilitate, & necessitate contrahendi; super qua Iudex debet cognoscere auditis vel testibus, vel consanguineis: vt latè explicat Vulpianus in *l. magis puto, §. non passim, & in §. si as alienum, ff. de reb. eorum*, & sedere debet pro Tribunali *l. 3. §. si causa cognita. ff. de bonorum possess.* & suam interponere auctoritatem; *l. lex, qua tutores, §. præcipimus itaque, C. de administrat. tutor.*

86 Et in quantum dicit *Castr.* in *d. l. actus*, quod ista causę cognitio potest fieri de plano, cùm non sit actus iudiciarius, qui dirigatur contra certum aduersarium, singulariter animaduerto, quod ipse errat, & loquitur contra Textus, expressos, qui declarant cognitionem illam, quam debet Iudex adhibere sedens pro Tribunali, esse diuersam ab ea cognitione, quæ fit de plano: *tex* est in *l. à procedente, C. de dilat.* ibi *cùm non alias, nisi causa cognita indulgeri queat, & cognitio causæ non interpellatione plenaria, sed considente magis Iudice legitimè colligatur*; vbi *gloss.* exponit *plenaria, aliàs planaria, quæ fit de plano, sed subtiliter, & causa cognita*, & in *l. nec quicquam, §. de plano, ff. de offic. Proconsul. gloss.* exponit *eundo per Palatium, & sine*

causa

causa cognitione; & in *l.1.ff. de constit. Principum*, ibi *quodcũque igitur Imperator per Epistolam, & subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto praecepit*; vndè colligitur aliud esse cognoscendo decernere, & aliud de plano interloqui.

Accedat *Tex.* in *l.2.§. dies, ff. quis ordo in bon.possess.seruetur.* ibi *dies bonorum possessionis vtiles esse palàm est, si modo ea sit bonorum possessio, quae de plano peti potuit; quod si ea est, quae causae cognitionem pro Tribunali desiderat, &c.* vbi *glos.* in verbo *de plano* exponit. idest *quae non sedente Iudice datur*; Cùm igitur Iudex in contractibus minorum, & mulierum, debeat adhibere causę cognitionem, & sedere pro tribunali, non potest interpretari, quod illa sit cognitio, quae fit de plano, & indubitanter dicendum videtur, quod de iure in diebus feriatis in honorem Dei huiusmodi decretum nequeat per Iudicem interponi; atq; quod huiusmodi decretũ contineatur sub regula posita in *d.l.actus*, non autem sub exceptione; cùm differat à casibus exceptuatis, vt suprà.

87 Et ex his etiam detego errasse; *Scacc.de Iudic.lib.2.cap.5 nu.106.* qui volens tenere opinionem affirmatiuã, quod huiusmodi decretũ possit interponi etiam diebus feriatis in honorem Dei, ait, quod licet requiratur causae cognitio; tamen non exercetur iurisdictio contentiosa, & quando nõ exercetur iurisdictio contentiosa, potest procedi etiam tempore feriato in honorem Dei; nàm si actus iurisdictionis volunariae prohiberentur, quando requiritur causae cognitio; sequeretur, quod instrumenta, & transactiones, nõ possent fieri, quia etiam in eis adhibetur cognitio à partibus & à Notario, sed ista consequentia est falsa, inquit ipse.

Errat, inquam, non distinguens inter cognitionem, quę fit à Iudice; & inter eam, quae fit à Notario, minusque inter cognitionem, quae fit à Iudice pro Tribunali, & quae de plano, atque non aduertens, quod in *d.l.actus* prohibentur generaliter in diebus feriatis in honorem Dei omnes actus tàm publici, quã priuati, exceptis manumissione, & emancipatione, quae nullam requirunt causae cognitionem, sed solam

volũtatis exploratione, prout nos distinguimus, & animaduertimus ex iam dictis.

88. Quantum ad secundum actus extraiudiciales fieri per Iudicẽ in diebus festiuis nulla lex prohibet; ideòq; vt superiùs *nu.63.diximus*, potest Iudex in festis etiam diebus audire partes extraiudicialiter informantes: *Nauarr. in manuali cap.13.nu.12. vers. Octauo Doctor.* & etiam in diebus feriatis potest extraiudicialiter informationem sumere in casu, quo valeat aliquid expedire secundum suam conscientiam, & quando aliquid exquirit ad sui instructionem, vt si vult se informare de stylo ordinatorio; item quando vult facere bannum; hæc enim potest facere sine partis citatione, vt latè *supra c.8. n.260* sed quatenus Iudex hęc vellet facere; cum citatione, quod facere potest, *d. cap.8.nu.277.*

89 Iudex enim quando potest procedere extraiudicialiter, nihilominus si vult potest assumere partes Iudicis, & iudicialiter procedere, non tamen tenetur, si nõ vult iuxta declarationes positas per *Felin.in cap. fin. num.16. vsque 28. de præsump* Nullatenus in diebus feriatis in honorem Dei facere posset, cùm in illis iudicialis strepitus debeat conquiescere: *cap. fin. de ferijs*.

90. Inter actus extraiudiciales connumerãtur testium depositiones, quia fieri debent secretè, quod per *Danielem* inductum est, vt not. *gloss.* in *l. si quando, C. de testibus*, in verbo, *noluerunt*: volens enim Daniel examinare testes Susannæ, dixit *separate eos ad inuicem procul, & dijudicabo eos; Daniel cap.13.* & retrotrahitur dies depositionis ad diem iuramenti, cùm habeatur testis dictum pro recepto de tẽpore iuramenti: *l. si quando, C. de testibus*, vbi *Bart. num.2.* not. quod tũc videtur testis deponere cùm iurat.

91 Iuramentum autem testiũ, seù receptio eorum iuramenti, est actus iudicialis, qui fieri non potest diebus feriatis: *l. fin. C. de ferijs*, ibi *nulla quemquam vrgeat admonitio, & cap. 1. de fer.* ibi *nec sacramenta nisi pro pace, vel alia necessitatè præstentur*.

92 Et propterea si testis iurauit tempore iuridico, benè potest examinari tempore feriato, & valet testimoniũ: *Specul. in tit. de fer. §. sequitur, num.6. Doct.*

in

in *d.cap.* 1. *de fer. vbi Io. Andr. nu.*4.*Butr. nu.*10. *Abb.nu.*9.& similiter si testis iurauit in termino, potest deponere post terminum, & valet eius dictũ, *Bart.in d.l.si quando,C.de testib.* vbi dicit placere sibi practicã eorũ, qui nunquã faciũt scribi diem,neque locũ, in quo examinãtur testes; sed solũmodo diem, & locum iuramenti.

Quæ receptio depositionũ testiũ siuè per Iudices,siuè per executores litterarũ Apostolicarum potest alteri cõmitti: vt in *Clem.vnic.de off.iud.deleg.*

93 Quoad hæc tamen aduerte primo, quod etiam testes simpliciter examinare, & recipere eorum depositiones nõ videtur licere in diebus festis de præcepto, quãuis sit actus extraiudicialis;quia nihilominus est executio actus iudicialis, & sine dubio abstrahit à cultu diuino, ità aduertit *Butr. in d. cap.*1.*de fer.n.*10.ibi,*& hoc puto,* sequitur *Abb. ibid. nu.*9.

94 Aduerte secundo, quod si pars nollet consentire, vt testes deponerẽt die feriato, vel testis recusaret, non posset fieri examen; iuxta *text.* in *dict. l. fin. C. de ferijs*, ibi *vt à cũctis executionibus excusetur, & nulla quemquã vrgeat admonitio*, & sentit *Specul.d.tit. de ferijs, n.*6. ibi *sunt etiam qui dicunt, quod partibus, & testibus volentibus hoc fieri potest, aliàs non*, sequitur *Abb.d.cap.*1.*sub num.*9.

95 Aduerte tertio, quod licet receptio iuramenti testium sit actus iudicialis, & fieri nequeat tempore feriato; tamen quando necessitas suaderet, fieri posset *d. cap.*1. *& cap.fin. de fer.* vtputà quia testes essent valetudinarij, vel affuturi, & de quorum morte scilicet, vel absentia diuturna timetur; quia tunc extra iudicium recipiuntur: *cap.quoniã,* §.1. *vt lit. non contest.* ibi, *nisi forte de morte testium timeatur, vel absentia diuturna, in quibus casibus ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur*, & tradit *Specul. dicto numer.*6. & sequuntur *Doctores d. cap.* 1. *Io.Andr.& Butr.nu.*10. *in fine. Abb.nu.*9. *circa med.*

96 Quarto, & vltimo aduerte, quod licet testes possint examinari, & iurare in diebus feriatis,quando sunt valetudinarij, vel affuturi, vel ad perpetuam rei memoriam, quando scilicet extra iudicium recipiuntur: vt per *Specul.* vbi supra

supra, tamen eorum dicta non possunt publicari die feriato; quia publicatio est actus iudicialis, & circa eam non potest considerari periculum in mora temporis, & potest absque periculo differri in diem iuridicam: *Bald. in conf. 2. num. 1. vol. 2.*

97 Quantũ ad tertiũ. Actus extraiudiciales possunt per partes fieri die feriato: & quatuor exempla afferunt Doctores. Primum est in oblatione libelli; secundum in protestatione; tertium in appellatione; postremum in executione, quæ per partem fieri censetur cùm ea instante fiat.

Circa primum exemplum, quod simplex oblatio libelli sit actus extraiudicialis, habetur in *l. libertus, ff. de in ius voc.* ibi *neque enim qui libellum Principi, vel Præsidi dat, in ius vocare videtur patronum*; vbi *glossa prima* in fine notat, *quod sola libelli conuentionalis datio non facit, vt videatur vocari in ius, nisi nuncius mittatur*; hoc est, nisi libellus detur parte citata: quia tunc ratione citationis esset actus iudicialis; *Butr. in cap. præterea, vers. oppono secundo, de dilat.* iux. *auth. offeratur, C. de lit. contest. Abb. in cap. fin. num. 17. in princ. de Iud.* & quod libellus in die feriato possit offerri Iudici, *tex.* est in *l. miles, §. sexaginta, ff. ad l. Iul. de adult.* vbi dicitur, quod inter sexaginta dies vtiles, qui dantur marito accusanti, connumerãtur etiam dies feriati, si accusator facultatem habuerit adeundi Præsidem, & redditur hæc ratio, quoniam de plano quoque libellus dari potest, vbi *gloss.* exponit de plano, idest non sedente Iudice, & sic extraiudicialiter; & *diximus supra nu. 86.* aduertendum tamen est, quod etiam libellus soli Iudici; & absque partis citatione non potest offerri in die feriato in honorem Dei; sed dũtaxat in ferijs necessarijs: *Bart. in l. nec quicquã, §. de plano, vers. & licet Iudex, ff. de off. Proconf.* & in *extrauag. ad reprim.* in verbo *de plano*, ibi, *& die feriata ob necessitatem hominum*; *Abb. in d. cap. fin. post num. 17. de Iud. Soc. in cap. 1. de libell. oblat. num. 148.* & hæc est magis communis opinio; vt per *Maran. in spec. par. 6. vers. rectè concipiatur libellus, num. 19.* & sub *num. 20.* dicit ab hac opinione non esse recedendum in iudicando, sequitur *Mandos. in d. commiss.*

ferijs

ferijs non obstan. 2. quæst.

98 Circa hanc materiam Doctores nonnulla dicunt, quæ mihi non placent, eo quia prædictis iuribus minimè videtur conuenire.

Dicunt talem libelli oblationem extraiudicialem nullum parere effectum, quia debet iterum produci parte citata; quandoquidem petitio debet fieri in iure: *cap. vnic. de lit. contest.* ita *Butr. in cap. fin. de Iud.* & ibi *Abb. sub num. 17. vers. item petitio debet fieri: Soc. cap. 1. de libell. oblat. sub n.* 148. *vers. & ideò si petitio extraiudicialiter producitur*.

Sed mihi videtur, quod effectum satis considerabilem pariat, ex quo offerens Iudici libellum, extraiudicialiter dicitur petere in termino sibi, vel à iure, vel ab homine præfixo, licet offerat in die feriato; nàm dies feriati computantur tanquam vtiles ad hũc effectum: *d. l. miles, §. sexaginta, ff. ad l. Iul. de adult.* ibi *sexaginta dies, qui marito accusanti vtiles cõputantur, feriatis quoque diebus, si modo facultatem Præsidis adeundi accusator habuerit, numerari certum est; quoniam de plano quoque libellus dari potest;* vndè colligitur, quod in extraiudicialiter agendis feriati dies habentur pro vtilibus.

Ad *tex.* autẽ in *c. vn. de lit. contest.* respondeo quod ibi dicitur petitionẽ in iure fieri debere, non ad effectum, vt quis dicatur petijsse in tempore; sed ad effectum, vt super ea fieri possit litis contestatio, ibi *quia tamen litis contestationem non inuenimus esse factam, tum non per positiones, & responsiones ad eas; sed per petitionem in iure propositam, & responsionem secutam litis contestatio fiat*.

99 Dicunt etiam huiusmodi libelli extraiudicialem oblationem nihil operari; quia non inducit præuentionem, neque perpetuationẽ iurisdictionis, deficiente partis citatione: *cap. pen. de for. competen.* ita *Io. Andr. in addit. ad Specul. lib. 4. par. 1. de libellorũ concept. §. nunc videamus in verbo sexaginta, Butr. in cap. 1. de libelli oblat. Abb. in dict. cap. fin. de Iud. sub nu. 17. vers. dicit tamen, quod per talem. Soc. in cap. pen. de for. compet.*

Sed ego dico, hoc mirum non esse, cùm huiusmodi libelli oblatio soli Iudici facta sit actus extraiudicialis, quem offerens non dicitur vocare in ius: *d. l. libertus, ff. de in ius voc.*

& ideò

& ideò si non parit effectus, quos pariunt actus iudiciales satis est, quod pariat eos, quos pariunt actus extraiudiciales.

100 Dicunt etiam, quod talis oblatio libelli extraiudicialis nihil operatur, quia si offerens illum in die feriata, censetur offerre in tempore, oritur ex eo, quod actio tempore erat peritura, qua ratione possunt fieri etiam actus iudiciales in die feriato; *cap. fin.* & ibi *gloss. de ferijs*; ita *Io. Andr. ad Specul. d. §. nunc videamus, de libellorũ concept. & gloss. in d. cap. fin. de iudic.* & ibidem *Abb. d. nu.* 17. *vers.* 2. *dicit gloss. Soc. d. cap.* 1. *de libelli oblat. nu.* 148. *vers. sed vt dixi*.

Sed ego dico, quod offerens libellum extraiudicialiter in die feriato, censetur offerre in tempore ex vi actus extraiudicialis, qui fieri potest etiam die feriata, quæ in tali casu est vtilis, vt in *d. §. sexaginta*, non autem quia res sit tempore peritura, quia illud procedit, quando aliter actus in illo tempore geri non potest, prout est actus iudicialis, qui fieri nequit in die feriata, nisi quando res, vel actio sit tẽpore peritura, vel alia subsit causa necessitatis, vel pietatis *d. cap. fin. de ferijs*.

101 Aduerte, quod *gloss.* in *cap. placita*, 15. *quæst.* 4. in verbo *orationibus*; post medium dicit, quod quamuis nõ possit quis citari ad respondendum libello in die feriata, tamen citari potest ad libellum recipiendum in tempore feriato, nam huic *glossæ* contradicit *tex.* dum prohibet placita sæcularia, & eam reprobat *Io. Andr. ad Specul. vbi supra* & sequuntur *Abb. & Socin. in locis præalleg.*

102 Tandem hic nota, quod sicut libellus potest dari die feriata per actorem, eadem ratione exceptio dari potest per reum die feriata; terminus autem ad componendas exceptiones non potest dari die feriata, cum terminus dari, & limitari debeat causa cognita: *l.* 2. *ff. de re iud.* ità *Bart. in d. l. miles, §. sexaginta, nu.* 2. *ff. ad l. Iul. de adult.*

103 Circa secundum exemplũ actuum extraiudicialiũ, quod supra diximus esse in protestatione. Quattuor protestationis species distinguit *Bart. in l. non solùm, §. fin. num.* 12. *ff. de nou. oper. nunciat.* alia est protestatio declaratoria volũtatis protestantis; alia prohibito-

bitoria, seù inhibitoria ne aliquid fiat; tertia est incitatoria, vt aliquid fiat; quarta est certificatoria alicuius, quod est, vel non est, quas per totam legem sigillatim explicat.

104 Fieri autē protestatio potest vel in iudicio, vel extra iudicium: *Bart. ibidem nu. 56.* in iudicio certum est, quod fieri non potest die feriata, cùm sit tempus incongruum; extra iudicinm autē fieri potest: *Bart. ibidem nu. 58.*

105 Protestatio autem, seù interpellatio facta non congruo tempore, nō constituit quem in mora: *Bart.* in *l. cùm filius familias 49. §. si promissor, nu. 1. ff. de verborum oblig.*

106 Vbi dicit, quod protestatio, seù interpellatio potest fieri die feriata, cùm sit actus extraiudicialis, & sic tempus feriatum est congruū. Et prędicta intellige in casu, quo protestatio fit parti pręsēti, prout loquitur *Bart.* in prædictis locis; secùs autem quando fit parte absente; quia tunc non valet, nisi facta sit parte citata, & contumace; vel nisi parti absenti intimetur; vt *supra dixi cap. 6. nu. 123.*

107 Tertium exemplum adduximus in appellatione; appellare enim est actus extraiudicialis: *Felin. in cap. cùm M. de constit. num. 56. vers. & hinc est quod potest appellari die feriata:* qui actus fit coram solo Iudice altera parte absente.

108 Cui satis est, vt posteà appellatio intimetur, extraiudicialis scilicet, vt in *Clem. 1. in fin. de appellat.* & *Clem. causam, de elect.* Et quando appellatur ab actu iudiciali non fit talis intimatio, nec requiritur partis præsentia, quia non agitur de eius, sed de Iudicis facto, qui grauauit, non autem pars: *Franc. in cap. si iustus metus, num. 19. de appellat.* cui Iudici libellus appellationis offertur, vt *in auth. de appellat. & intra qua temp. §. 1. col. 4.* ibi *& Sancimus omnes appellationes posse intra decem dierum spatium à recitatione sententia numerandum Iudicibus ab his, quorum interest, offerri*; & in *cap. vt debitus, de appellat.* ibi *coram eodem Iudice causa probabili appellationis exposita.*

109 Et valet appellatio porrecta in scriptis, licet coram Iudice non legatur: *cap. appellatio, de appellas. lib. 6.* ibi *appellatio, quam in scriptis Iudici, à quo appellare volebas te porrexisse*

xisse proponis, non potest ex eo, quod coram ipso lecta non fuerit, rationabiliter impugnari; vbi *gloss.* in verbo *lecta*, dicit quod non requiritur tanta solemnitas in appellando, quanta in diffiniendo; aliàs sequeretur, quod die feriato non posset appellari.

110 Iudex autem post latam sententiam non debet se abscondere, seù subtrahere, ne grauatus possit illi offerre suã appellationem: *l. 1. §. dies, ff. quando appellan. sit.* ibi *quare si fortè post sententiam dictam statim copiam sui non fecerit is, qui pronunciauerit, vt fieri assolet, dicendum est, nihil nocere appellatori, nàm vbi primum copiam eius habuerit, prouocare poterit*; ergò si statim se subduxit, similiter subueniendum est; vbi enim præsentia Iudicis à quo, haberi nõ possit, appellari potest vel coram Iudice, ad quem, vel coram honestis personis, vt not. *Canonistæ in cap. si iustus metus*, & ibi *Franc. num. 21. & 30. de appelat.* & *Legistæ in d. l. 1. §. dies, & §. si quis, ff. quando appellandum sit*, & *gloss. in d. §. dies*, in verbo *copiam*, declarat *etiam die feriato*.

111 Et benè quia appellationis tempora sunt continua; & ideò in eis computantur feriæ: *l. 1. ff. de ferijs*, vbi not. *gloss. Bart. Bald. & alij*, quod tempore feriarum etiam in honorem Dei potest interponi; sed interposita nõ potest exerceri, neque propter ipsas ferias ipsa fatalia prorogantur: *Abb. in cap. fin. de fer. num. 13.*

112 Et sicut potest appellari die feriata, ita etiam die feriata potest appellatio admitti; quia concessis extremis, media conceduntur: *Salic. in dict. l. 1. ff. de fer. Felin. in cap. fin. de Iud. num. 10. sexta declaratione*, adde *Franc. in d. cap. si iustus metus, nu. 29. quæst* 8.

113 Qui dicit differentiam esse inter Apostolos, qui debent peti congruo loco, & tempore, & inter appellationem, quæ interponi potest etiam die feriato in honorem Dei, & etiam de nocte, cũ sit actus extraiudicialis; & *text.* est in *cap. ab eo, qui appellat. de appellat. in 6.* quod Apostoli non insimul cum appellatione sunt necessariò petendi; sed instanter infra triginta dies, ibi *ab eo, qui appellat infra triginta dies instanter Apostoli peti debent; & idem infra dictum tempus à Iudice exhiberi, aliàs pra-*

præsumitur appellationi suæ renunciare appellans; si eos infra idem tempus petere prætermittat, etiam si vadat, aut mittat ad appellationem huiusmodi prosequendam, vbi *gloss.* in verbo *instanter* declarat, quãdo censentur Apostoli petiti instanter; sed quod omisso rigore iuris possint peti Apostoli vna cum appellatione; *text.* est in *Clem. quamuis, de appellat.* vbi etiam dicitur, quod Iudex tũc vel potest respondere, vel statuere certum tempus, ad redeundum pro illis, vbi vide, & alia etiam ad praxim pertinentia de eisdem Apostolis; vide per *Vestr. in praxi lib. 7. cap. 3. nu. 65. & seqq.* & ibidem *Adden. nu. 72.*

114 Circà quartum, & vltimum exemplum, quod diximus esse executionem, quatenus consumatur instante parte; aduertendum est, quod in hoc articulo. An executio possit fieri die feriato, variæ, & diuersæ sunt Doctorum opiniones, quas breuiter recensere vtile existimo, ad hoc, vt iuribus, & rationibus perpensis, possimus pro veritate cognoscere, quid dicendum.

Quod indistinctè fieri nequeat executio in diebus feriatis, exceptis solis diebus feriatis ob necessitatem hominum, in quibus personæ, & pignora possunt capi; sentiunt *Bar. in l. omnes, C. de ferijs*, & in *l. ait Prætor, §. si debitorem, num. 3. ff. quæ in fraud. cred.* & *Bald. in l. in minorum, nu. 5. C. in quibus caus. in integr. restit. non est necess.*

115 Distinguendũ autem censuit *Io. Andr. in addit. ad Specul. tit. de libell. concept. §. nunc dicendum est, num. 17. in fin.* in verbo *offerendus*; inter mandatum, quod facit Iudex de exequendo sentẽtiã, & ipsam nudam facti executionẽ, quę fit ex tali mandato; primum dicit regulariter fieri nõ posse per iura, quæ ferias seruari præcipiunt; in secundo casu distinctionis subdistinguit inter nudam actualem executionem facti, quæ in ciuilibus fit per executorem, & illam, quę fit in criminalibus; primam in ferijs fauore hominum inductis, vel repentinis dicit fieri posse, cùm sit nudus minister; secùs in ferijs ob honorẽ Dei, nisi res esset subitò peritura, vel imineret animarum periculum; in criminalibus verò dicit executionem fieri posse in ferijs repentinis, vel fauo-

re

re hominũ introductis; secùs de diebus solemnibus ad honorem Dei, & Sanctorum; nisi esset publicus latro, vel nocturnus depopulator agrorum.

116 In contrariũ autem, quod nuda executio possit fieri etiã in ferijs inductis in honorem Dei, cùm non exigatur causę cognitio, tenuit *Federic. de Senis, cons.* 139. aliàs 103. *relatus* per *Abbatem in cap. fin. de Iud. sub nu.* 20. sed est *consil.* 244.

117 At declarando hoc dictũ *Federici* idem *Abb. ibidem ait num.* 22. quod nuda executio facti non debet fieri in feriatis diebus in honorem Dei; sed si fieret de facto, teneret, licet cõmitteretur peccatum; quia non est actus iudicialis.

118 Cęterum hoc Abbatis dictum non placet *Felino* in eodem *cap. fin. de Iud. nu.* 13. vbi inquit, quod executio facta in die feriato in honorem Dei non tenet, posset enim parte instante reuocari.

119 Quoad commissionem, mandatumuè Iudicis de exequendo, aliter, distinguit *Aret.* in eodem *cap. fin.* relatus per *Felin. d. nu.* 13. quod scilicet fieri nequeat in quibusuis ferijs, quando requirit pãrtis citationem; quando verò eam non requirit, possit fieri quibusuis ferijs non obstantibus, per *tex. in l. actus, C. de ferijs*; nisi illa lex, vt ipse dicit, intelligeretur in ferijs, quæ non sunt in honorem Dei; sed in hoc aduerto, quod non benè dicit, quia expressè illa lex loquitur de quindecim diebus paschalibus, qui sine dubio sunt feriati in honorem Dei, licet in tribus solis quiescant opera seruilia, & artes męchanicæ.

120 Aliam distinctionem affert *Castr. in l. Diuus, vers. nec etiam habet locũ in executionibus sententiarum, ff. de ferijs*; distinguens inter executionem sententiarum, quam vocat executionem meram, & inter illam executionem instrumentorum, quæ fit sine causæ cognitione, & postquam est facta, reuocatur in dubium, quam appellat executionem mixtam, & dicit quod executio mera, quando nulla præcedere debet causæ cognitio, potest fieri tempore feriato, propter messes, & vindemias: non in honorem Dei: mixta autem non potest fieri etiam in eisdem ferijs messiũ, & vinde-

demiarum; quia nõ posset cognosci de iustitia eius, nisi fieret contra suspectum de fuga.

121 Diuersimodè distinguit *Guidopap. quaest.* 215. inter pignorationem, & incantum, & firmat ex pluribus, quod pignoratio potest fieri in diebus feriatis in honorem Dei, & Sanctorum, exceptis diebus Dominicis; incantus verò potest fieri in solis ferijs ob vtilitatem hominum inductis, non in alijs, quia fiunt cum tuba, & voce præconis, quæ cessare debet in eis; vt in *l. dies festos, C. de ferijs*.

122 Senatus Pedemontanus, vt refert *Thesaur. decis.* 95. *n.* 2. in quæstione, an in diebus hebdomadæ sanctæ possit fieri executio, diù dubitauit; sed tandem dixit non posse respõderi ad *tex. in l. omnes dies, in fine, C. de ferijs*, ibi *in quindecim autem paschalibus diebus cõpulsio, & annonariæ functionis omnium priuatorumque debitorum differatur exactio*.

123 Materiam hanc non parum controuersam, & confusam, vt aliquo ordine complectar, & explicem, distinguo tres actus, videlicet relaxationem executionis, preceptum de exequendo, & actualem executionem; & dico, quod primus actus fit per Iudicem tanquam cognitorem, & rem disponentem, secundus fit per Iudicem tanquam merũ executorem, & arctatorem mandantem executionem relaxatam vti rem dispositam ad effectum deduci, tertius fit per Nuncium, seù executorem tanquam nudum ministrum rem ad totalem effectum perducentem. Rursus dico quod primus actus fit per sententiã, secundus fit per nudum præceptum, tertius per capturam personæ, vel pignorum; adduco *tex.* in *l. Executorem, C. de executione rei iud.* ibi *executorem eum solum esse manifestum sit, qui post sententiam inter partes, (audita omni, & discussa lite) prolatam iudicatæ rei vigore ad effectum videtur adducere*.

124 Hic moueo vnam difficultatem. In Curia Romana solent Procuratores in Cedulis sententiarum, siuè in prima, siuè in secunda instantia apponere hæc verba, & mandatum executiuũ desuper necessarium, & opportunum decernendum, & relaxandum fore, & esse, prout decernimus, & relaxamus: sed aliqui Iudi-

ces considerantes sententiam recipere appellationem, solent illa verba delere, quasi eorum non sit tunc executionem relaxare: in hac re ego dicerem, quod in causis ordinarijs duo petuntur à Iudice, vnum vt reum condemnet, alterum vt condemnatum cogat, & compellat: *Pract. Papien. in for. libelli in act. real. vers. cõdemnetis*., & subiungerem illa verba, & mandatum desuper necessarium relaxandum fore, & esse; tunc importare declarationem, quod reus sit nedũ condemnandus, sed etiam compellendus, non autem importare actum relaxationis, executionis, quæ non posset relaxari vigore solius citationis ad sententiam, nisi etiam reus citaretur ad executionẽ.

Distinctis igitur tribus actibus, videamus, qui fieri possint in die feriato, quiuè exigant causæ cognitionem, & citationem partis.

125 Quantum ad primum actũ relaxationis, scilicet executionis, cõsidero quod aut petitur vigore rei iudicatæ, aut vigore instrumenti, aut vigore testamenti, aut vigore litterarum Apostolicarum, aut vigore præcepti, seù banni; si executionis relaxatio petitur vigore rei iudicatæ, dico quod aut petitur ab eodẽ Iudice, qui tulit sententiã, & tunc petitur officio Iudicis, aut petitur ab alio Iudice ordinario, & tunc petitur actione rei iudicatæ, seu in factũ, & vtroque modo est actus iudicialis, qui in die feriato fieri nequit, vti exigens causæ cognitionem, & partis citationem, cùm debeat Iudici constare de re iudicata; cùmque multa possint opponi ad impediẽdam executionem: *Specul. in tit. de execut. sent. §. est autem, & §. breuiter. Bart. in l. à Diuo Pio, §. si super rebus, ff. de re iudic. Gregor. decis.* 545. *num.* 2. *&* 3. & diximus *supra cap.* 8. *num.* 328. *& seq.* & latiùs dicemus *infra cap.* 14. *ad quos actus citatio sit necessaria*; vbi agendũ erit de citatione pro executione sententiæ. Aut petitur vigore rescripti, seù commissionis, & hoc casu benè distinguit: *Bar. in l. à Diuo Pio, nu.* 4. *ff. de re iud.* aut mandatur executio nulla præcedente causæ cognitione, vt quia in rescripto alicui committitur, quod N. in sua possessione restitui faciat; & tunc idem executor debet cognoscere de veritate præ-

precum: *l. etsi non cognitio, C. si contra ius, vel vtil. publ.* ibi *etsi non cognitio; sed executio mandatur de veritate precum inquiri oportet, vt si fraus interuenerit; de omni negocio cognoscatur*, & cùm committitur executio videtur cõmissum præambulum ipsius, scilicet cognitio, vt enim dicitur in *l. 2. ff. de iurisdict. omn. Iud. Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest*; & cui cõmittuntur consequentia, videntur cõmitti antecedentia: *l. ad rem mobilem, & l. ad legatum, ff. de procur.* & hoc pariter casu executionis relaxatio fieri nequit in die feriato tanquam actus iudicialis.

Quando verò est priùs cognitum de causa, tunc executio committitur vel in defectum, vel in auxilium iurisdictionis; committitur autem executio in defectum iurisdictionis, quando vel delegatus, vel arbiter iudicauit, qui tanquam functus officio suo, non potest exequi: *l. à Diuo Pio, ff. de re iudic.* ibi *à Diuo Pio rescriptum est Magistratibus Populi Romani, vt Iudicum à se datorum, vel arbitrorum sententiam exequantur, hi, qui eos dederunt.*

In auxilium verò iurisdictionis committitur executio, quando vnus Iudex committit alteri, vt suam sententiam exequatur: *d. l. à Diuo Pio, §. sententiam. ff. de re iudic.* ibi *sententiam dictam etiam in Prouincijs posse per Præsides, si hoc visum fuerit, ad finem persequi idem Imperator noster cum patre suo rescripsit*; & in *cap. postulasti, de foro competen.* ibi *ad quod breuiter respondemus quod per Episcopum, in cuius Diœcesi dèliquit, sententia promulgari poterit in eundem, sed ab eo in cuius Diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda.*

126 Et isti executores siuè in defectum, siuè in auxilium iurisdictionis debent adhibere causæ cognitionem, non solum quoad executionem; sed etiam quoad merita; diuersò tamen modo; si enim opponantur exceptiones concernentes nullitatem sententiæ; tunc executor potest de his nullitatibus cognoscere, non vt pronunciet sententiam nõ esse exequendam; sed vt si cognouerit exceptiones releuare, supersedeat in executione; & partes remittat ad Iu-

dicem, qui executionem cõmisit, vt ipse reuocet: iuxta tex. in *l. si Prætor iusserit, §. Marcellus, ff. de Iud.* ibi *Marcellus notat si per dolum sciens falso aliquid allegauerit; & hoc modo consecutum eum sententiam Prætoris liquido fuerit approbatum: existimo debere Iudicem querelam rei admittere. Paulus notat si aut morbo impeditus, aut Reipublicæ causa aduocatus esset, non potuit reus: puto vel actionem iudicati eo casu in eum denegandam, vel exequi Prætorem ità iudicatum non debere*; & idem dicitur in *cap. de cætero, de re iud.* ibi, *quod si sententiam à nobis latam præcipimus per aliquem executioni mãdari, non est facultas executoris de negocio cognoscendi: sed deferri quæstiones, quæ inciderint ad Sedem Apostolicã oportebit*.

127 Quando autem opponeretur de iniustitia, Iudex executor de ea non debet cognoscere; sed exequi; quia sufficit pronunciatum esse: *l. si Prætor iusserit, in princip. ff. de Iud.* ibi *non vtique Iudex, qui de iudicato cognoscit, debet de Prætoris sententia cognoscere, alioquin illusoria erũt huiusmodi edicta, & decreta Prætorum*.

Et exemplo diuini iudicij non est deneganda executio rei iudicatæ, sicut dilata non fuit sententia contrà primum parentẽ fulminata: *cap. Adam, de pœnit. dist. 1.* ibi *Adam post culpam statim de Paradiso Deus eiecit, non distulit; sed statim separauit à delicijs, vt ageret pœnitentiam; statim tunicam vestiuit pelliceam, non sericam*.

Si verò opponantur exceptiones respiciẽtes executionem, tunc executor potest cognoscere circà res, in quibus debet fieri executio, vt primo capiantur mobilia, deinde alia, iuxtà ordinem datum in *d. l. à Diuo Pio, §. in venditione, ff. de re iud.* & circà res in executione captas, an sint debitoris, vel alterius: *d. l. à. Diuo Pio, §. si super rebus*; & ità apparet relaxationem executionis, etiam vigore rescripti, esse actum iudicialem, & contentiosum, & requirere causæ cognitionem, & citationem partis, & fieri non posse tempore feriato maximè in honorem Dei, vel etiam Principis, vel in ferijs repentinis, secùs in necessarijs.

128 Si vigore instrumẽti executio petatur, necesse est etiã à citatione incipere, *§. final. instit. de pen. temer. litigan.* vt possit

possit Iudici constare, an instrumentum sit verum, & exequibile; & an reus habeat aliquam releuãtem exceptionem: quinimò si illam Iudex relaxaret parte non citata, nulliter ageret; nisi in casu, quo statutum aliter disponeret: *Ant. à Canario, de execut. instrum. quaest.43.*

Similiter si executio petatur vigore testamenti, debet illud citata parte considerare, an sit abolitum, vel cancellatum, vel in aliqua parte suspectum, vbi scilicet adsit contradictor: iuxta *Text.* in *l.fin.* cum ibi *not. per gloss. & Doct. C. de edict. Diu. Adr. tollen.*

Ità etiam si vigore litterarum Apostolicarum petatur executio, & si illæ habeant paratam executionem: vt in *d. l.fin. C.de edict. Diu. Adr. tollen. Mohed. decis.13. circa fin. vt lit. pend.* attamen debẽt iustificari parte citata: *Caes. de Grass. decis.12. num.5. de probat.* quæ quando faciant mixtum executorem, & quando merum, latè *supra diximus cap.2. n.22. vsque 60.*

Si denique vigore pręcepti, seù banni petatur executio, requiritur citatio partis, & causę cognitio, vt constet Iudici de transgressione, & inobediẽtia, an talis sit, vt debeat esse locus executioni, an verò aliqua possit ratione excusari: iuxta *gloss.* in *Clem. praesenti*, in verbo *constiterit, de censibus*, & in *Clem.2.* in verbo *constiterit, de paenis, & dixi supra cap.5. n.84.*

Concludo igitur relaxationem executionis vti actũ iudiciarium, & requirentẽ causę cognitionem, nõ posse fieri in die feriato in honorem Dei; neq; in ferijs solemnibus; nec repentinis; quouis iure petatur; secus autem in ferijs necessarijs messium, & vindemiarum: *cap.fin. de iud.* imò, vt superiùs diximus, in illarum indictione in pluribus locis excipiuntur causæ executiuæ, & & in executiuis coram A. C. eædem feriæ non seruantur, & hoc casu existimo verificari prædictam opinionem *Bar. in d.l.omnes, C. de feriis*; quod executio in diebus feriatis fieri nõ potest, exceptis solis feriatis ob hominũ necessitatẽ.

129 Quantum ad secundũ actũ præcepti de exequendo, ego puto, quod tunc Iudex faciat præceptum de exequendo, quãdo vel subscribit mandatũ executiuum anteà per ipsum relaxatum, & per eius

Notarium extensum, vel quãdo commisit suæ familiæ, seù Nuncio, vt exequatur mandatum sibi præsentatum, & ab alio Iudice relaxatum, & subscriptum; & dico quod huiusmodi actus verè est extraiudicialis nullam requirens causæ cognitionem, nec partis citationem, ideò potest fieri etiam qualibet die feriata; & in hoc puto verificari opinionẽ *Calderin.d.consf.139. aliàs 103. seù 244.* & aliorum, quod nuda executio fieri potest etiam in ferijs in honorem Dei, cùm non exigatur causæ cognitio: ad d.*l.actus, C.de ferijs*; & subintrare posse declarationem *Abbatis in d. cap. fin. de iud. sub num.20.* quod si fieret in die festo valeret, sed Iudex ita præcipiẽdo in die festo peccaret, nec video quomodo possit verificari, quod in contrariũ dicit Felin. quod hic actus subscriptionis mandati, & verbalis cõmissionis de exequendo posit retractari instante parte, tanquam factus in die festo; quia subscriptio mandati fit sine die, & retrotrahitur ad diem decreti facti, prout etiã sine appositione diei fit dicta verbalis commissio; & ideò frustrà pars instaret pro reuocatione, cùm deficeret in probatione.

130 In hac quæstione an nudæ executionis commissio fieri posit die feriato in honorem Dei. Doctores distinguunt, quod aut committitur super eadem re, de qua fuit iudicatum; & tunc potest fieri; quia non requiritur causę cognitio, nisi quando reus præsens, vel aliter citatus aliquid opponeneret: iuxtà *l.1. C.si ex falsis instrum. Abb. in d. cap. fin. sub num. 2. circa fin. de iud.* & ibi *Felin. nu.13.* aut committitur super alia re, & tunc, quia requiritur causę cognitio, conueniunt omnes, quod fieri non possit: iuxtà *l.à Diuo Pio, §. in venditione, ff. de re iud. Alex. cons.53. num.7. & 10. lib.5.*

131 Quod autem in ferijs messium, & vindemiarum posit fieri huiusmodi cõmissio executionis, & possit peti familia pro associatione, & pro executione mera facti, & posit implorari brachium alterius superioris, latè probat *Alex. cons.130. nu.2. lib.4.*

132 Quantum autem ad tertiũ actum familiæ, seu nuncij, qui fit per capturam personæ, vel pignorum, iuxtà *tex. in l. qui restituere, ff. de rei vend.* ibi, qui

qui restituere iussus, Iudici non paret, contendens non posse restituere; si quidem habeat rem, manumilitari officio Iudicis ab eo possessio transferatur; dicunt Doctores, quod fieri potest etiam in diebus feriatis; quia non est actus iudicialis,& non requirit causæ cognitionem, & non interuenit strepitus Iudici; ad *text. in d.l.actus, C. de ferijs*;sed non video quomodo termini *d. l. actus*, quæ loquitur de Iudice, possint adaptari nuncio,seù birruario executori; & puto quod eius actus licet non sit in die feriato in honorem Dei prohibitus ea ratione: quia non sit actus iudicialis; sit tamen prohibitus alia ratione; quia est actus seruilis,à quo in diebus festis cessandum est: *l. omnes Iudices, C.de ferijs, cap.licet, eod. tit. de ferijs*; vel etiam quia est actus executiuus; & in diebus feriatis in honorem Dei prohibetur omnis exactio siuè publicorum, siuè priuatorum debitorum: *l.omnes dies, in fin. C. de ferijs*; pro huius rei declaratione, & per concordia opinionum dicit *Guid. Papa quæst.205. num.2. & num.5.* quod huiusmodi executio per nuncium non potest fieri in die Dominico: per *text. in l fin. C.de ferijs*, ibi *Dominicum itaque diem semper honorabilem decernimus venerandum, vt à cũctis executionibus excusetur*; in alijs autem diebus feriatis in honorem Dei, dicit, quod ipse crederet, pignorationem posse fieri, non autem incantum; sed errat, quia mouetur per *text. in d. l. actus*, quæ, vt dixi, non applicatur facto nũcij executoris, & loquitur cõtra textus expressos, videlicet in *l.omnes dies, C. de ferijs*, ibi *sacros quoque Paschæ dies, qui septeno, vel præcedunt numero, vel sequuntur dies etiam natalis atque Epiphaniarum Christi, & quo tempore commemoratio Apostolicæ passionis totius Christianitatis magistræ à cunctis iure celebratur, in eadem numeramus obseruatione, & dies Solis, quos Dominicos ritè dixere maiores.*

133 Ergò quoad feriarum obseruationem non est differentia inter diem Dominicum, & alios in honorem Dei feriatos; accedit *tex. in l.2. C. de ferijs*, ibi, *vt in die Dominico emancipare, ac manumittere liceat, reliquæ causæ, vel lites quiescant*;& in fine ibi *sanctum quoque diem Paschæ, & diem*

Natalis Domini, & Epiphaniæ septem qui præcedunt, & septem qui sequuntur sine strepitu volumus obseruari; & quod citrà hoc factum fuerit omnibus modis irritatur, & infirmatur; & clarè in *cap. fin. de ferijs*; æquiparantur eidem diei Dominico aliæ festiuitates Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum, & Sanctorum Martyrum; idem habetur in *cap. 1. de reliq. & ven. Sanct. in 6.* & de festo corporis Christi dicitur in *Clem. 1. eod. tit. de reliq. & ven. Sanct.*

Et idem legitur in *cap. licet, de ferijs*, ibi *indulgemus, vt liceat Parochianis vestris diebus Dominicis, & aliis festis, præter quam in maioribus anni solemnitatibus*; & ibi *gloss.* exponit, *vtputà Natiuitatis Domini diei, Epiphaniarum, Paschatis, Ascensionis Domini, & Pentecostes*, ergò sunt alij dies festi ita obseruandi, sicut dies Dominicus; Et idē dicitur in *cap. placita 15. quæst. 4.* ibi *placita sæcularia Dominicis diebus, vel alijs præcipuis festis*. sicut ergò prædictus Doctor firmauit in diebus Dominicis non posse fieri executiones per Nuncios, idem firmare debuit in alijs festis diebus; imò & in alijs non festis, sed feriatis in honorē Dei, vtputà in hebdomada sancta, per Textum in *d. l. omnes dies*, in fine, *C. de ferijs*, vbi *Castr. nu. 4.* expressè dicit, quod in hebdomada sancta, & in sequenti post Pascha non debent reddi iura, nec fieri executiones instrumentorum, vel sententiarum, nec capi debitores pro debitis publicis, vel priuatis, & ad eundem *Textum*, vt supra retulimus, respondit Senatus Pedemontanus, responderi non posse; vt per *Thesaur. dicta decis. 95.*

134 In hac igitur quæstione, an Nūcius executionem possit facere in die feriato in honorē Dei; ego ita distinguo, aut Iudex in mandato, seù cōmissione verbali expressè cōmisit vt exequeretur etiam in die feriato, aut nō: primo casu puto, quod nuncius non peccaret, violando festum; quia tenetur Iudici obedire, Iudex autem peccaret, nisi ex causa commisisset, iussus enim Iudicis excusat à pœna; etiam si non rectè sit factus: *gloss. & Doct. in l. iustè possidet, ff. de acq. poss.* & in hac materia dicit *Sot. de iustit. & iure, lib. 2. quæst. 4. artic. 4.* ante finem, quod

quod vbi in more est nubiles puellas non exire; nullam contrahunt culpam non prodeuntes in templum; quin verò si mater aduersum quidpiam filiæ timeret; posset domi manere eius custos; etsi maritus, zelotypia æstuans, vxorem cohibeat ne in sacrum progrediatur, parere ipsa tenetur, & pariter serui, & famuli dum herus, vel iter eis imperat, vel aliud negocium, licet sacrum non audiāt, in ipsum autem herum refundetur noxa, si absque causa seruum impediat; quominus Missam audiat.

Si igitur Iudex mandat, vt fiat executio in die feriato, mandatum est nullum: *l. 1. ff. de ferijs, Innoc. & alij in cap. fin. de ferijs; & successiuè nulla est executio.*

135 Si verò non commisit Iudex, vt nuncius exequeretur die festo, tunc nuncius duplicem errorem committeret; quia operaretur in festo, & excederet fines mandati, qui diligenter sunt custodiendi; *l. diligenter; ff. mand.* & in generali mandato non videtur commissum, nisi id, quod fieri potest: *l. si procurator, ff. de cond. indeb. gloss. in cap. dilecto, in verbo generalis, de praben.* & talis executio remaneret nulla, & reuocanda; quia executor non potest; nisi illud, quod mandatur: *cap. cùm olim, il primo, &* ibi *Felin. & alij, de off. delegat. Put. decis. 318. lib. 2.* & ita verificari etiam potest supra relatum dictum *Felin. in dict. cap. fin. de Iud. num. 13.* quod executio facta in die feriato in honorem Dei posset parte instante reuocari.

136 Tria in hac materia notāda super sunt, vnum, quod incantus rei in executionem captæ, non valent in die feriata in honorem Dei, vel Sanctorum; quia fiunt cum tumultu, & voce præconis, quæ silere debet: *l. dies festos, C. de ferijs; Guidopapa d. decis. 215. sub nu. 5.*

137 Alterum, quod resistens executioni, quæ fieret in die festo, vel alio, quo vel de iure, vel de stylo fieri non deberet; non debet remanere impunitus, licet mitiori pœna, pecuniaria scilicet sit puniendus: *Thesaur. dicta decision. 95. num. 3.*

138 Postremum, quod pendētibus ferijs Natiuitatis Domini nostri, indictis per decretum Visitæ Carcerum, potest

test heres immitti in possessionem bonorum hæreditariorũ; quia dictum decretum loquitur de executionibus, quæ fiũt pro debitis; non autem ex capite successionis; vt *Rota* respondit in vna *Romana de Bõbellis 21. Maij 1613. coram Cardinali Sacrato, vers. quinto, fuit oppositum*; atque diebus, etiam festiuis capi potest possessio; cùm sit actus voluntariæ iurisdictionis: *d. l. actus, C. de feriis. Feder. de Sen. cons. 144. ad fin. vers. & ea. Buratt. decis. 688. num. 12.*

139 Superest, vt aggrediamur, quod quarto loco proposuimus specialiter dicendum de causæ cognitione, an scilicet possit adhiberi in diebus feriatis in honorem Dei, & considero in primis, quod vbi per Iudicem, vel per partes Iudicis auctoritate aliquid fit agẽdum, semper requiritur causæ cognitio: *l. sed, si hac, §. Prætor, ff. de in ius voc.* ibi *& totum hoc causa cognita debet facere*, *l. cùm hi, §. vult igitur*, & ibi *gloss.* & *Bart. ff. de transaction.* quæ cognitio causæ censetur esse de iure diuino: *Abb. in cap. 1. n. 5. in fin. de causa poss. & propr. Felin. in cap. Ecclesia Sãctæ Mariæ, num. 26. de constitut.* & est *tex. in cap. Deus omnipotens, 2. quæst. 1.* ibi *Deus omnipotens, vt nos à præcipitate sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda, & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, priusquam manifestè agnosceret, quæ dicebantur; vndè ipse ait, Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam*; quæ verba leguntur in *Genesi cap. 18.*

140 Et quando Iudex procedit sine causæ cognitione, cẽsetur vti priuatus procedere; itaut ei obediendum non sit: *cap. conquerente, de restit. spoliat.* & cuiusuis Iudicis sententia, siuè diffinitiua, siuè interlocutoria, siuè decretum extraiudiciale, non tenet sine causæ cognitione: *cap. ad audientiam, de appellat.* ibi *non debuit sine causa cognitione aliqua sententia condemnari*; *l. ex stipulatione, C. de sententiis, & interlocut. omn. Iud.* ibi *si nihil causa cognita secũdum iuris rationem pronunciatum est vox pascisci suadentis Præsidis actionem tuam perimere, si quam habuisti, minimè potuit*; & vt eleganter dicitur in *l. Iudices, C. de iudic. Iudices oportet in primis rei*

rei qualitatem plena inquisitione discutere, & tunc vtramque partem interrogare sæpiùs, ne quid noui addi desiderent; cùm hoc ipsum ad alterutram partem proficiat, siuè difinienda causa per Iudicem, siuè ad maiorem potestatem referenda sit; idem habetur in *l. magis puto, §. non passim, ff. de rebus eorum*, ibi *& ideò Prætori arbitrium huius rei Senatus dedit; cuius officio inprimis conuenit hoc excutere*; & eadem ratio pleniùs redditur in *l. cùm hi, §. si Prætor, ff. de transact.* ibi *Prætori enim ea res quærenda commissa est, non negligenda, nec donanda, sed & si de omnibus non inquisierit, quæ oratio mandat; hoc est de causa, de modo, de personis transigentium, dicendum est, quamuis de quibusdam quæsierit, trāsactionem esse irritam, & in l. lex, quæ tutores, C. de administrat. tut.* ibi *scilicet per inquisitionem Iudicis, & probationem causæ, interpositionemque decreti, vt fraudi locus non sit.*

141 Et ideò si Iudex non recipiat vtriusque partis probationes; non dicitur causæ cognitionem adhibuisse: *cap. cùm Bertoldus, de sententia, & re iud. in fin.* ibi *tum etiam, quia causam recepit sufficiēter instructam, cùm vnius tantum partis attestationes receperit, quæ parum faciebant ad causam*, & nulliter agit, si causam diligēter non examinet, videlicet acta, dicta testium, confessiones partium, instrumenta, & euidentiam facti non consideret; *cap. cùm ad Sedem, de restitut. spoliat.* ibi *nos Prioris acta iudicij recensentes; quia nec per dicta testium, vel confessiones partium, cùm nulla penitus in iudicio facta fuerint; vel etiam instrumenta, quæ nullatenus de spoliatione tractabant, nec per euidentiam facti nobis constare potuerit.*

142 Et tunc quando pars non probauit, sibi debet imputare; sed quando probauit, & Iudex probationes, vel non vidit, vel non benè examinauit, de Iudice conquerendum est: *l. Argentarius, §. cùm autem, ff. de eden.* ibi, *& si non probauit, aut si probātem Iudex non curauit, de se ipso, aut de Iudice quæri debet.*

143 Et Iudex debet esse plenè instructus, antequam pronūciet; etiam si sit Princeps, siuè Papa: *captum ex litteris de in integrum restit.* ibi *perspeximus quoque ex data sententia in registro dicti Eugenij Papæ re-*

reperta, quod primo mense sui Pontificatus fuerit promulgata, quando nō plenè de meritis ipsius causa videbatur instructus.

De Iudice autem conquerimur, quando vel sententiam præcipitauit: *Clem. pastoralis, de sent. & re iudic.* ibi *verùm, quia huiusmodi sententia, quæ non à discretione matre virtutum; sed à nouerca iustitia, voluntaria scilicet iudicantis præcipitatione, processit.*

Vel quando iura partium non benè fuit perscruatus; vt enim dicitur in *cap. iudicātem, 30. quæst. 5. iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerū plena inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, obijciendique præbita patientia ab eo: vt ibi actio ambarum illuminata sit pleniter; nec litigantibus Iudex prius velit sua sententia obuiare; nisi quando ipsi, iam peractis omnibus nihil habeant in quæstione. quod proponat, & tamdiù actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perueniatur.*

144 Itaque si in criminalibus iudicandum sit; præcedere debet cognitio, à quo fuerit accusatus; & quomodo reum se confessus fuerit; & quomodo per testes fuerit conuictus: *cap. nihil, 2. quæst. 1.* ibi *nihil, contra quemlibet accusatum absque legitimo, & idoneo accusatore fiat; nàm & Dominus noster Iesus Christus Iudā furem esse sciebat; sed quia non est accusatus; ideò non est eiectus;* & in *cap. seq.* leguntur hæc verba: *Primates accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiā proferāt damnationis, quàm Apostolica freti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur; aut per innocentes, & canonicè examinatos regulariter testes conuincatur; aliter irritam esse censemus; & iniustam Episcoporum damnationem*; & idem dicitur in *cap. 2. ead. 2. quæst. 1.* ibi *Iudex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quàm aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes cōuincatur,* & *gloss. in cap. 1. eadem 2. quæst. 1.* in verbo *conuictum*, notat, *quem conuinci quattuor modis; aut iure, scilicet instrumentis, vel testibus; aut facti euidētia, aut iuris interpretatione; aut violenta suspicione, seù præsumptione.*

145 Et in delictis iudicandis non solum factum inspiciendum est; sed considerari debet insuper tempus, causa, voluntas, & persona: *cap. occidit phi-*

phinees 23. quæst. 8. ibi *non sola igitur respiciamus operas, sed tẽpus, & causam, & voluntatem, & personarum differentiam, & quantacunque alia ipsis operibus acciderint diligentissimè inquiramus; nõ enim possumus ad veritatem aliter peruenire.*

146 Si ferenda sit diffinitiua sentẽtia tàm in criminalibus, quã in ciuilibus debet ferri secũdum ordinem iudiciorum, aliàs esset nulla: *l. prolatam, C. de sententijs, & interloc. omn. Iud.* ibi *prolatam à Præside sententiam contra solitum iudiciorum ordinem, auctoritatem rei iudicatæ non obtinere certum est*; vbi *gloss.* in verbo *solitum* declarat, *vt si non dedit in scriptis, vel si stando, vel in turpi loco, vel si non cognouit de causa*, & subiungit, quod ordo iudiciorum est, vt offeratur libellus, lis contestetur, iuretur de calumnia, depositiones testiũ conscribantur, & publicentur, sententia scribatur, & à Iudice proferatur, qui ordo si peruertitur, non valet sententia, vt si primò pronunciat, deindè sententiam scribat, vel primò iuretur de calumnia, deindè fiat litis contestatio, & dicebat *D. Hieronymus super Hieremiam lib. 20. non potest esse maturitas consilij, vbi nullus est ordo iudicij.*

147 Sententia tamen si sit lata nullis factis probationibus, tenet: vt per *Bart. Bal. & alios in d. l. prolatã, C. de sententijs, & interloc. omn. Iud.* & in *d. l. Argẽtarius, §. cùm autem, ff. de eden.* quia media causæ, & sic probationes, non sunt de ordine substantiali, licet sint de Iustitia: *Felin. in d. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num. 24. de constit.*

148 Si interlocutoria sententia sit, pariter præcedere debet causæ cognitio; ità notat *Bald. in d. l. ex stipulatione* per illum *Tex.* in verbo *causa cognita. ff. de fer.* & in *l. à procedente, C. de dilat.* per illum *Tex.* in verbo *non alias sine causa cognita. Felin. in d. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ n. 28. de constit.*

149 Si in extraiudicialibus interponatur decretum, vtputà in alienationibus rerum minorum, in transactionibus super alimentis, & similibus; præcedere debet causæ cognitio, aliàs nullũ remaneret: *d. l. cùm hi, §. vult igitur, ff. de transact.* ibi *vult igitur oratio apud Prætorem de istis quæri in primis de causa transactionis, deindè de modo, tertio de persona transigen-*

gentium, & *d.l.magis puto*, §.*nõ passim*, *ff. de reb.eorum*, ibi *quærere ergò debet, an pecuniam pupillus habeat, &c.* & inferiùs ibi *requirat ergo necessarios pupilli vel parentes, vel libertos aliquos fideles, vel quem alium, qui notitiam rerum pupillarium habeat*; & *d.l. lex quæ tutores, C.de admin. tut. Felin. in d.cap. Ecclesia Sancta Mariæ, nu.*15. latè *Rolan.conf.*60.*per tot.lib.*4.

150 Differt decretum huiusmodi à sententia diffinitiua; quia si sit interpositum ex falsa causa non valet; diffinitiua autem lata ex falsa causa non est nulla; sed iniusta, vt pluribus cõprobat: *Natt.conf.*631. *num.*31. *lib.*3.

151 Et non sufficit, quod sit verum illud, quod est causa decreti; sed quod hoc verum sit, debet esse notum, & certũ Iudici: *l.hac autem in princ. ff.quibus ex cauſ. in poſſ. eatur*, ibi *Non defendi pupillum constare debet, liquereque Prætori. Bart. conf.* 106. *verſ. præterea non sufficit, lib.*2.

152 Et quia in huiusmodi decretis causæ cognitio requiritur pro forma; ideò debet impleri per cognitionem, & inquisitionẽ in specie, nec sufficeret in genere: *Ruin. conf.* 109. *col* 7. *in princ. vol.* 3. *Rolan.conf.*89. *num.* 57.*lib.*1.

153 Ex his patet, dum quærimus an causæ cognitio possit adhiberi tempore feriato, distinguendum esse inter actum, qui debet fieri cum causæ cognitione, & inter ipsam causæ cognitionem, quæ actum præcedere debet.

154 Nàm actus iudicialis, qui fieri debet cum causæ cognitione, videlicet diffinitiua; seù interlocutoria, cùm requirat citationem partis; iuxta ea, quæ *diximus supra cap.*8.*num.* 269.*vſque* 272. fieri nequit in diebus feriatis; vt *supra in hoc capite diximus nu.*77. 91. 119. *&* 126.

155 Et actus extraiudicialis, videlicet interpositio decreti, cùm requirat causæ cognitionem, & debeat interponi, Iudice pro Tribunali sedente, alias esset nullum, ex iur.alleg. per *Simoncell. de decreto, lib.*1. *tit.*1. *num.*63. non potest interponi diebus feriatis: iuxta *superiùs dicta in hoc cap.nu.*79. *& seqq.*

156 Ipsa autem causæ cognitio regulariter fieri non potest eodem tempore, quo fit actus illam requirens; nisi fieret, vtraque parte præsente in his, quæ

quæ paruam disceptationem requirunt, in quibus eo ipso, quod fit inter præsentes, dicitur fieri causa cognita, vel saltem præsupponitur causa cognita factum, vt ait *Bal. in l. peremptorias, num. 6. C. sententiam rescindi non posse*; vel nisi talis esset causæ cognitio, quæ incontinenti posset adhiberi; quia tunc valeret decretum, vtputà quando Iudex tempore contractus potuit informari à fide dignis, quod minor non habebat alios propinquos, ex deductis per *Alexand. conf. 80. nu. 11. vol. 5.* vel quando causa fuisset disputata, & ruminata coram vno, qui posteà fuit deputatus vel Iudex, vel arbiter: quia tunc in ipso actu cēseretur adhibita causæ cognitio; ex allegatis per *Duen. reg. 186.* in verbo *decretum, nu. 1. & 9.*

Vel nisi quādo per sententiam Iudicis res minoris adiudicaretur alij; vt *l. 1. C. de præd. min.* ibi *venditio quidem prædij, quod iure pignoris, vel in causa iudicati captum, & distractum est ad Senatusconsultum, quod de non alienandis prædijs pupillorum, vel adolescentium (nisi authore Prætore, vel Præside Prouinciæ) factum est, non pertinet,* vbi *Bald.* notat, quod non operatur minus decretum interpositum per modum iurisdictionis contentiosæ, quàm si per modum voluntariæ interponeretur.

157 Et tunc Iudex censetur suum decretum apponere, & causæ cognitionem adhibere, quādo fuit actum actione reali; quia tunc sententia habet vim decreti, & causæ cognitionis; secùs quando actione personali, & ea fit executioni demandanda in aliquibus rebus minoris; quia tunc debet præcedere causæ cognitio, antequam ad alienationem deueniatur, cùm in sententia lata in actione personali nulla possit cōsiderari cognitio causæ, super alienatione rei minoris: *Surd. conf. 30. num. 9. & 10. par. 1.*

158 Neque etiam causæ cognitio potest fieri post actum gestum; debet enim actū præcedere: *l. 2. C. de sententijs ex peric. recitan. & l. 1. C. de execut. rei iud.* & sententia debet ferri ex probationibus factis, non fiendis: *Bal. in l. cùm Iudex, C. de sentent. & interloc. Alex. conf. 37. num. 22. lib. 2.*

159 Et ideò iure non probatur stylus illorum Iudicum, qui sta-

ſtatim in principio cauſæ pronunciant prout in cedula, nondum factis probationibus, nec meritis cauſæ examinatis: *Vant. de nullit. ex defect. proceſs. nu.* 32.

160 In tantum autem præcedere debet cauſæ cognitio, vt requiratur tempus congruum *l. ſi finita*, §. *ſi fortè, ff. de damn. infect.* ibi *probandum eſt, non debere Prætorem feſtinare ad decernendum*; & in *cap.* 1. *de reb. Eccleſ. nõ alien. in* 6. ibi *quia etiã tractatus ſolemnis, & diligens, qui in talibus conceſſionibus perpetuis, & alienationibus rerum Eccleſiaſticarum exigitur, non fuit habitus in eadem, ordinationem, & conceſſionem ipſam (præſertim cùm euidens neceſſitas quare fieri deberet, vel vtilitas non ſubeſſet) de fratrum noſtrorum conſilio decernimus non valere.*

161 Ideòque tunc prçſumitur pro ſententia, ſeù decreto, quando præceſſit tempus cõgruum, quo potuerit cauſæ cognitio adhiberi, aliàs ſtante termini breuitate ceſſaret prçſumptio; neque probaretur adhibita cauſæ cognitio ex ſola aſſertione Notarij: *Benint. deciſ.* 2. *nu.* 4. neque ex ſola aſſertione Iudicis; *Caſtr. in l. cùm hi*, § *ſi Prætor, nu.* 2. *ff. de tranſact.* & ſiuè ſententia, ſiuè decretum ob temporis breuitatem nullũ remaneret: *Vant. de nullit. ex defect. proceſſ. n.* 34. *& ſeq.* & de hac materia plura ſcripſerunt Doct. cõgeſti per *Duen. d. reg.* 186. *per tot. Felin. in d. cap. Eccleſia Sancta Maria, de conſtit. num.* 12. *vſque* 36. *Menoch. de præſumpt. lib.* 2. *præſumpt.* 75. *per totam, & alij.*

162 Cõcludendo igitur in propoſita quæſtione, dico quod cauſæ cognitio, quæ præcedere debet ſententiam, quatenus conſiſtit, vel in admittendis, recipiendiſuè iuribus, teſtibus, alijſuè probationibus: iuxta *text.* in *d. cap. cùm Bertoldus, de ſentent. & re iud.* vel in interrogationibus faciẽdis vni vel alteri parti, & in dilationibus dandis; iuxta *tex.* in *d. l. Iudices oportet, cum auth. ſeq. C. de iud.* nullatenus poteſt fieri in die feriato, cùm eo tempore fieri nequeant per Iudicem actus iudiciales: *l. fin. C. de fer. & ſupra dictum eſt, num.* 38.

163 Quatenus autem conſiſtit in viſione actorum, probationum examinatione, & iurium partium diſcuſſione: iuxta *tex.* in *d. cap. cùm ad Sedem, de reſtit. ſpoliat.* & in conſideratio-

tio-

tione aliarũ qualitatum; iuxta *tex.* in *d.cap.occidit phinees* 23. *quæst.*8. vtique poteſt fieri per Iudicem ex ſe ipſo intra priuatos parietes; cùm actus extraiudiciales quouis tempore feriarũ fieri poſſint: *d.l. actus*, *C. de ferijs*, *& ſuperiùs dictum eſt num.*7. *cum ſeq.*

164 Ea autem cauſæ cognitio, quæ præcedere debet actum interpoſitionis decreti, quæ conſiſtit vel in inquiſitione facienda de cauſa, de modo, & de perſona; iuxta *text.* in *d.l. cùm hi*, *S. vult igitur*, *ff. de tranſact.* vel quatenus conſiſtit in informatione aſſumenda de rebus pupilli à perſonis informatis, & fide dignis; iuxta *tex. in d. l. magis puto*, *§. non paſſim*, *ff. de rebus eorum*; vtique fieri poteſt etiam feſtiuo tempore, cùm Iudex poſsit extraiudicialiter tẽpore etiam feſtiuo ſe informare: *vt ſupra nu.*65.

165 Et non ſolum poſſunt Iudices partes informantes in cauſis audire extraiudicialiter extra forum, ſeù Tribunal.

166 Sed etiam Aduocati, & Procuratores informantes etiam quæſtus gratia non violant feſtum: *Nauarr. in manual. de tertio Præcepto*, *cap.* 13. *num.*12. *verſ.octauo Doctor. & litteratus*. *Sot. de iuſtit. & iur. lib.*2. *quæſt.*3. *verſ. licet enim Aduocatis*, *Azor. par.*2. *inſtit. moral. lib.*1. *de* 3. *Præcepto cap.* 27. *quæſt.*11.

167 Et quod Doctor poſſit facere conſilium etiam in die feſto lucri gratia, vt expediat illum, qui de longè venit, dicit *Abb.* poſt *Butr. in cap.*1. *de fer. nu.*4. vbi latè diſſerit, an licitũ ſit die feſto ſtudere: *Angelic.* in verbo *feriæ*, *quæſt.*16. *n.*25.

168 Atq; arbitrator poteſt procedere etiam in diebus feſtis tanquam amicabilis compoſitor, & mediator pacis: *l. fin. C.de ferijs*, *& cap. fin. vbi Abb. num.*10. *eodem tit. de fer. Menoch. de arbitr. Iudic. quæſt.*30. *num.*17. & poteſt iudicare ſecundum veritatem, & extraiudicialiter: *Bald. conſil.* 240. *num.*2. *lib.*1. cum alijs allegat. *ſupra cap.*8. *nu.*304. ſecùs tamen eſt in arbitris *l. omnes dies*, *C. de ferijs* ibi, *vt neque apud ipſos arbitros, vel à Iudicibus flagitatos, vel ſpontè electos vlla ſit cognitio iurgiorum*.

169 Sequitur, vt quinto loco dicamus de præſtatione iuramenti; & quia aliud eſt iuramentum iudiciale, quod in iudicio prȩſtatur, quale eſt iu-

ramentum suppletorium; iuramentum decisorium, iuramentum veritatis, iuramentum calumniæ, iuramentum in litem, & iuramentum purgationis: *Maran. de ord. iud. par. 6. vers. defertur aliquando iuramentum, nu. 1. vsque 36.* & aliud extraiudiciale; quod extra iudicium præstatur, quale est iuramentum promissorium, iuramentum assertoriũ, iuramentum confirmatorium, iuramentum fidelitatis, & iuramentum ligium: *Maran. ibidem num. 36. vsque 45.*

170 Ideò dicemus breuiter iuramentum iudiciale non posse præstari feriatis diebus, quibus iudicia silere debent: *l. actus, & l. fin. C. de ferijs*, nisi præstaretur pro pace, vel alia necessitate: *cap. 1.* ibi *pro pace, vel alia necessitate, & cap. fin.* ibi *nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat, de ferijs.*

171 Sed quoad iuramentum extraiudiciale certũ est, quod iuramentum, siuè ligium, quod præstatur Imperatori, siuè fidelitatis, & obedientiæ, quod præstatur inferiori, vtique festis etiam diebus præstari potest: *gloss. in d. cap. 1.* in verbo *necessitate*, ibi *putà pro fide, pro obedientia*, & est *text. in cap. significasti, de elect.* ibi *hoc nimirum malo, ac necessitate compellimur iuramentum pro fide, pro obedientia, pro vnitate requirere.*

172 Difficultas reducitur ad iuramentum siuè promissorium siuè assertorium, siuè confirmatorium, quæ in contractibus adhiberi solent; an per cõtrahentes præstari, & per Notarium recipi possint diebus feriatis.

Pro negatiua dicit Amanel *de clarifs. acquis. sing. 2.* quod tex. est, & allegatur, quod instrumentum factum die feriato non valet in *l. fin, C. de ferijs*; sed pro affirmatiua, ita dicit *Specul. titulo de ferijs, §. sequitur, num. 5. in ferijs ob reuerentiam Dei indictis fit instrumentum per tabellionem super aliquo contractu dicunt quidam, quod non valet, nã dicit l. actus, C. de ferijs actus omnes, siuè publici, siuè priuati is diebus paschalibus conquiscant, sed dic contra, & quod ibi dicitur actus publici, vel priuati, expone, idest iurisdictionis contentiosæ, voluntariæ autem benè possunt exerceri prout in eadem l. dicitur, vt emancipare, contractus inire iustitiam facere, seu scribere, instrumenta, &*

& Testamenta facère, & huiusmodi; & sequitur *Abb. in cap. fin. de fer. num.* 16. *Maran. de ord. iud. par.* 4. *dist.* 16. *validum, vel inualidum, nu.* 86. *Mandos. de commiss. form.* 13. *ferijs non obstan. quaest.* 5. vbi dicit veriorem, & cõmuniorem opin. *Bertazzol. de clausul. instrum. clausula prima, gloss.* 5. *nu.* 36. *Seraphin. decis.* 782. *n.* 6. dicens iuramentum in contractu interpositum die Dominico valuisse.

173 Modo dicendum est sexto loco de actibus criminalibus, & quod crimina enormia possint etiam festis diebus puniri; *tex.* est in *l. Prouinciarum, C. de ferijs*, ibi *Prouinciarum Praesides moneantur, vt in quaestionibus latronum, nullum Quadragesimae, nec venerabilẽ Paschalium diem, existiment excipiendum; ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quae per latronum tormenta quaerenda est; cùm facillimè in hoc summi numinis speretur venia, per quod multorum salus, & incolumitas procuratur*; & quod punire malefactores Deo gratum sit sacrificium; *tex.* est in *cap. quali* 23. *quaest.* 5. ibi *nec quidquam maius est, vndè Deo sacrificium possitis offerre, quàm si id ordinetis, vt hi, qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur, cõpetenti debeant vigore compesci*. & vt legitur in *cap. homicidas*, 23. *quaest.* 5. *Homicidas, & sacrilegos, & venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium*; immò tũc publicũ gaudium turbatur, quãdo facinorosi non puniuntur, qui enormia commiserũt: *l.* 3. *C. de Episc. aud.* ibi *quibus contaminari potiùs gaudia, laetitiãque communem, si dimittantur, animaduertimus*.

174 Et propterea in diebus etiam festiuis in honorem Dei licitum esse propter immanitatem delicti reos torquere; not. Doct. in *d. l.* 3. *C. de Episc. aud. Bart. in tract. de carcer. nu.* 12. *Clar. in praxi crim. quaest.* 64. *nu* 33. *vers. quaero, an tortura, & quaest.* 97. *num.* 6. *vers. quaero etiam an si incidat, Franc. Marc. decis.* 409. *par.* 1. *Boer. decis.* 259. *num.* 8. at, si non esset periculum in mora, differenda videretur tortura, condemnatio, & executio, etiam contra latronem insignem; & laudabile videretur abstinere abhorrendo, & miserabili spectaculo propter reuerentiam Dei, & ne in die laetitiae populus contristaretur; *Bald. in*

dict. l. 3. C. de Episc. aud. not. 4. num. 21. & Doct. in cap. 1. de ferijs, & quod ita seruant Iudices Deum timentes, testatur *Clar. d. quaest. 97. d. versic. quaero etiam, in fine.*

Sed qui non ita seruant, adducunt pro se *Dauidis* dictum in *Psal. 105.* ibi *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam omni tempore*; sed hoc Prophetae dictum vtique monet ne vllo vnquam tempore fiat actus aliquis iniustitiae, nō autem suadet, vt quolibet die festiuo exerceantur huiusmodi actus iudiciales, à quibus in honorem Dei abstinendum est, quando id fieri possit sine periculo morae.

175 Captura autem delinquētis si reperitur in flagranti in die quantumcumque feriato fieri potest, & capi potest, nedum ab executore; sed etiam à quocumque priuato propria auctoritate, & duci ad Iudicem: *l. neminem, C. de exhib. reis*; cum alijs *supra deductis in cap. 7. nu. 156.* similiter, si qui die non feriata delictum commisit, reperiatur quouis festo die, vtique poterit capi; quod enim omni tempore possunt capi delinquentes, not. Doct. in *d. l. 3. C. de Episc. aud. & Bart. in dict. tract. de carcer. num. 12.*

176 In ciuilibus etiam captura debitoris de fuga suspecti potest fieri diebus festiuis, & Paschalibus; nō enim debet gaudere ferijs, legalibusue indultis, qui ad fugam instrueretur; *gloss. 2. in l. fin. C. de ferijs*, ibi *nisi timeretur de eius recessu*; sed est textus in *l. fin. in fin. ff. de requir. rei*, ibi *nec per hoc fuga eius instruatur*; & latè dictum est *supra cap. 7. sub vers. de citatione reali, & verbali, nu. 163. & 175.*

Si tamen captura suspecti debitoris malè, & erronee fieret die feriato, posset etiam reuocari die pariter feriato: *Bart. in l. 3. §. item si, ff. si quis in ius voc. non ier. num. 7.* vbi dicit, quod Iudex, qui fecit vnū actum tempore feriato, illum potest eodem feriato tempore reuocare, siuè tenuerit actus siuè non; nàm illud tempus, quod est iuridicum in actu faciendo, est etiam iuridicum in actu reuocando; ex allegat. per eum, & sequitur *Felin. in cap. fin. nu. 14. de iud.*

Et quod dictum est de debitore suspecto in ciuilibus, procedit etiam in suspecto de fuga in criminal. *Mil. in repertor. in verbo feriatis diebus etiam*

etiam in honorem Dei. Mădoſ. de commiſſ. form. 13. quæſt. 13.

177 Recommendatio autem carcerati, ſeù arreſtum debitoris in carceribus non poteſt fieri die feriato; quia tunc non eſt timor fugæ: *Bald. in auth. ei qui, col. 7. C. de bon. aut. iud. poſſ. Felin. in d. cap. fin. num. 15. de iud.*

178 Supereſt ſeptimum, & vltimum de actibus neceſſarijs, in quibus agendis, vel vrget neceſſitas, vel pietas: iuxta *text. in cap. 1. & cap. fin. de ferijs.*

179 Neceſſitas vrgere videtur tribus modis, primo quando actio eſſet tẽpore peritura, ſecundo quando res debita eſſet interitura, tertio, & vltimo quãdo res celeritatẽ deſiderat.

De primo habemus *textum in l. 1. in §. ſed excipiuntur, ff. de ferijs,* ibi *ſi res tempore peritura ſit, hoc eſt ſi dilatio actionẽ ſit perempturа; ſanè quoties res vrget, cogendi quidem ſumus ad Prætorem venire; verùm ad hoc tantum cogi æquum eſt, vt lis conteſtetur;* quando autem actio ſit tempore peritura, exemplificat *text. in l. ſolet, ff. eodem, de fer.* ibi *ſolet etiam meſſis, vindemiarumque tempore iuſdici de rebus, quæ tempore, vel morte perituræ ſunt, veluti furti, damni, iniuriarumque atrocium, & quæ de incendio, ruina, & naufragio rate, naue expugnata rapuiſſe dicantur, & ſi quæ ſimiles ſunt.*

Mortuo enim fure damnũ dante, iniuriante atrociter, & incendiario, & ſimilibus perit ea actio, quæ dabatur contra eorum perſonas, quia cum perſonis eiſdem moriũtur; vt ibidem not. *gloſſ. 1.* & de temporalibus actionibus, dicit idẽ *textus* eas perire, quando dies actionis exiturus eſt.

Sed quid de inſtantia, & de iuriſdictione, an agi poſſit tempore feriato, quando inſtantia, ſeù iuriſdictio eſſet tempore peritura? dic quod non; quia ſi tempore perit inſtantia, vel iuriſdictio, ſalua tamen remanet res, & actio; vt per *gloſſ. in cap. placita,* in verbo *orationibus, 15. quæſt. 4. Abb. in capit. final. num. 22. de Iudic.* & ibidem *Butr. numer. 24.*

180 De ſecundo, quando res debita eſſet peritura eadem *gloſſ. 1. in d. l. ſolet,* ponit exemplum in Boue, vel alio animali debito, cuius interitu debitor liberatur ante moram; iuxta *textum in l. ſi ex legati,*

gati 23. ff. de verb. obligat. ibi *si ex legati causa, aut ex stipulatu hominem certum mihi debeas: non aliter post mortem eius teneberis mihi, quàm si per te steterit, quominus viuo eo, eum mihi dares, quod ità fit si aut interpellatus nõ dedisti, aut occidisti eum.*

181 De tertio quando res celeritatem desiderat, habemus *text. in l. 1. ff. de damn. infect.* ibi *cùm res damni infecti celeritatem desiderat, & periculosa dilatio Pratori videtur: ex hac causa sibi iurisdictionem reseruare; & ideò Magistratibus municipalibus delegandum hoc rectè putauit*; vbi *gloss.* in verbo *ex hac causa* exponit *super interponenda cautione, vel non, & in quantum tempus, & qualis, cum fideiussione, vel non, & repete periculosum videtur; quia dum Romam iretur, vel dum mora fieret in satisdatione, interim damnum daretur.*

182 Item habemus exemplum in operibus ruralibus, vt colligi possint fructus diebus feriatis; quando esset periculum in mora, ne propter imminentem inundationem aquarum, vel aliam causam similem perirent; iuxta *tex. in l. omnes Iudices, C. de ferijs*, ibi *ruri tamen positi agrorum cultura liberè, licenterque inseruiant; quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus commendentur; ne occasione momenti pereat commoditas cælesti prouisione concessa.*

183 Aliud exemplũ habemus in piscatione, in *cap. licet, de ferijs*, ibi *indulgemus, vt liceat parochianis diebus Dominicis, & alijs festis (præterquam in maioribus anni solemnitatibus) si Alecia terræ se inclinauerint, eorum captioni, ingruente necessitate in endere*, vbi *gloss.* in verbo *Alecia* declarat *Alecia genus piscis est, & raro, & certis diebus apparet, ideoquè propter necessitatem faciliùs indulgetur Dominicis diebus, vt captioni intendant.*

184 Aliud etiam omissis alijs habemus exemplum in causis celeritatem desiderantibus, prout sunt causæ fiscales, & causæ pistorum; iuxta *text. in l. publicas, C. de ferijs*, ibi *publicas, ac fideles causas tua sinceritas etiam feriatis geminis mensibus hoc est sine aliqua intermissione distinguat. pistorijs quoque causis hisdem diebus ratum in futurum examen adhibebit*; vbi *gloss.* in verbo *pistorijs exponit*

an

an bonum panem faciant; non dico in alijs suis causis; quia etiam omni tempore pane egemus.

185 Et quod necessitas excuset, procedit siuè necessitas sit circa temporalia, siuè circa spiritualia; vt per *Abb. in cap. fin. num.* 14. *de fer.* atque necessitas sola sine licentia superioris sufficit, vt excuset à peccato, si necessitas sit indubitabilis: *Nauarr. in manuali cap.* 13. *de tertio Praecepto decalogi, n.* 15. *vers. an necessitas sola.*

186 Pietas suadet, vt in caussis pupillorum, & miserabiliũ personarum, & in alijs respicientibus fauorem animæ ius dicatur etiam feriatis diebus; in operibus enim misericordiæ dierum distinctio non est habenda, & summa est ratio, quæ pro religione habetur, *gloss. fin. in cap. fin. de fer.*

Exempla habemus in dandis, amouendis, excusandisue tutoribus, & curatoribus, in admittendis probationibus quæ fiunt per senes, in ventre in possessionem mittendo, in exhibendis testamentis, in dandis curatoribus bonorum, & in decernendis alimentis, & in alijs; vt *l. eadem oratione, ff. de ferijs,* ibi *eadem oratione Diuus Marcus in Senatu recitata effecit de alijs speciebus Praetorem adiri; etiam diebus feriatis; vtputà vt tutores, aut curatores dentur, vt officia amoueantur, cessantis excusationes allegentur, alimenta constituantur, ætates probentur, ventris nomine in possessionem mittatur, vel rei seruandæ causa, vel legatorum, fideiuecommissorum, vel damni infecti, item de testamentis exhibendis, & vt curator detur bonorum eius, cui an hæres extiturus sit, incertum est, aut de alendis liberis, parentibus, patronis, aut de adeunda suspecta hæreditate, aut vt aspectu atrox iniuria æstimetur, vel vbi fideicommissaria libertas præstanda sit.*

Aliud exemplum ponitur in *l fin. C. de ferijs,* ibi *respirent à controuersijs litigantes, & habeant fœderis interuallum; ad se se simul veniant aduersarij non timentes; pacta conferant, transactiones loquantur.*

Alia exempla ponit *gloss. fin. in cap. 1. de ferijs;* nempè vt in ferijs iuramenta præstetur pro pace, pro fide, pro obedientia, pro fama.

187 Sed vt ex prædictis quædam notabiliora tangam; noto primo quod tutor, & cura-

tor poteſt dari etiam in die feriata in honorem Dei, quando eſſet dandus ſine cauſæ cognitione, & Iudice non ſedente pro Tribunali; aliàs nõ poſſet dari. *Specul. in titul. de ferijs, §. 2. numer. 7. & 8. verſic. ergò, & tutores, & poſt verſ. quid autem, de tutore cum alijs per Mandoſ. de commiſſ. d. form. 13. commiſſionis ferijs non obſtan. quæſt. 6.*

188 Noto ſecũdo, quod cauſa alimentorum poteſt tractari diebus feriatis etiam in honorem Dei: *Spec. in d. tit. de fer. §. 2. poſt num. 7. verſ. alimenta conſtituuntur.*

Quod intelligendum eſt, quando alimenta petuntur officio Iudicis; ſecùs ſi iure actionis: *Caſtr. in d. l. 1. §. ſed excipiuntur, nu. 3. ff. de ferijs*; item intelligendum eſt ſi agitur de alimentis, vel præſentibus, vel futuris; ſecùs ſi de præteritis: *Bald. in l. 1. col. 2. verſ. quaro nunquid in cauſa, C. de fideicom. Maran. de ord. Iud. part. 4. diſtinct. 9. verſ. aliud ordinarium, aliud ſummarium, num. 168.*

189 Et quamuis legitima ſuccedat loco alimentorum; tamen cauſa legitimæ non eſt ſummaria, nec poteſt tractari tempore feriato: *Bald. in l. non nunquam, lect. 2. ff de iud. Bart. in l. 1. §. fin. col. 1. ff. de præt. ſtipul. Maran. vbi ſupra d. num. 168.*

190 Noto tertio, quod cauſæ carceratorum poſſunt tractari etiam diebus feriatis; *l. Diuus*, & ibi *Alex. ff. de ferijs*; & ſiuè quis ſit carceratus pro debito, ſiuè pro crimine; tamen ſi ipſe vult, poteſt procedi tempore etiam feriato: *Caſtrenſ. in dict. l. Diuus. in princip. ff. de fer.* & text. eſt in *l cuſtodias, ff de publ. iud.* ibi, *& feriatis diebus cuſtodias audiri poſſe reſcriptum eſt, itaut innoxios dimittat, & nocentes, qui duriore animaduerſione indigent, differat*; & cauſa carcerati ſemper dicitur pia, ſiuè ſit pro debito, ſiuè pro maleficio; *gloſſ. in cap. ſacrorum 12. quæſt. 2. Bald. in l. ſed & ſi ideò, in princip. ff. ſol. matrim.*

191 Et propterea filius qui non procurauit liberationem patris carcerati ſiuè ex cauſa ciuili, ſiuè criminali, poteſt exhæredari; *Rot. diuerſ. deciſ. 63. nu. 2. & 8. & per tot. par. 2.*

192 Hinc etiam vxor pro excarceratione viri ex quauis cauſa ſiuè ciuili, ſiuè criminali poteſt alienare partẽ fũdi dota-

talis; quia tali casu exercet officium pietatis: *Aret. in l. 1. in 2. notab. C. de fil. fam. min. Grat. discept. forens. cap. 108. nu. 2. & seqq.*

193 Noto quarto, quod sicut in diebus feriatis possunt fieri transactiones; *d. l. fin. C. de fer.* ita etiam arbitratores possunt in die feriato ferre eorum laudum; cùm arbitratores sint, velut amicabiles compositores, & eorum laudum sit ad instar transactionis; *l. si feriatis diebus, ff. de recep. arbitr. Bar. in l. societatem, §. arbitrorum, num. 8. ff. pro socio.*

194 Noto quinto, & vltimo, quod in causis matrimonialibus, vel electionum, seù vsurarum, quando in eis procedendum est summariè; iuxta dispositionem; *Clem. dispendiosam, de iudicijs*; potest procedi tempore feriarum ob necessitatem scilicet hominum indulrarum; iuxta dispositionem *Clem. sapè, de verborum signific. Abb. in dict. cap. fin. de ferijs, num. 14. & seqq.*

CITATIO AN POSSIT fieri in die feriata, vel ad diem feriatam.

195 Postquam hactenus locuti sumus in genere de ferijs, & de actibus, qui tempore feriato fieri possunt, sequitur, vt in specie dicamus de citatione, quando tempore feriato fieri possit.

Omnis dies censetur iuridica, nisi appareat, quod sit feriata; & qui ferias allegat, debet probare; *l. omnes dies*, & ibi *Bal. C. de ferijs; Gregor decis. 140. nu. 3.* & dies feriati non omnes sunt festi, cùm in aliquibus liceat operari, & non sit de præcepto in illis audire missam; sed tamen non liceat iusdicere; *l. sed etsi, §. si feria, vbi gloss. ff. ex quib. caus. maior. Buratt. decis. 758. nu. 6.*

196 Vbi igitur in diebus feriatis potest ex causa iusdici, vtputà in causis alimentorum, carceratorum, & similibus, vt superius diximus, tunc etiam citatio fieri potest; sed vt arctet ad comparendum, debet exprimi causa, seù casus specialis, quo possit illo tempore procedi: *Host. in summa tit. de fer. §. qui in eis, & §. fin. Mattheś. sing. 19. nu. 4. Natt. cons. 505. nu. 30. & 39. lib. 3. Soc. de cit. ar. 19 n. 7.* sed si non exprimeretur causa sufficiēs, citatus non tenetur cōparere: *Bart. in l. 2. n. 15. & in repet. nu. 27. ff. si quis in ius voc. non ier.*

In

197 In citatione autem emanata à Principe superiore nō attenditur, an dies sit feriatus: *Specul.in tit. de fer.* §.1. *num.*9. *Maran. de ord. iud. vers. rectè concipiatur citatio, nu.*122.*Soc. vbi supra nu.*6.nulla enim lex potest Curiā Principis coarctare, quin possit quolibet tēpore ius dicere, etiam diebus festis; iuxta *l. præsenti, C. de his, qui ad Ecclesiam cōfugiunt*. ibi *excepta hac Vrbe regia, in qua nos diuinitate propitia degentes, quotiens vsus exegerit inuocati singulis causis, atque personis præsentanea constituta præstamus.* Est enim Princeps lex animata in terris: vt in *Auth.de consulibus*, §. *penult. in fin.*ibi *omnibus enim à nobis dictis Imperatoris excipiatur fortuna, cui & ipsas Deus leges subiecit, legem animatam committens hominibus*; & est solutus legibus *l. digna vox*, & ibi *gloss.* in verbo, *quod, idest solutos esse legibus*.

Et subiungit idem *Spec.*vbi supra *num.*10. posse excusari consuetudinem Curiæ Regis Franciæ, quæ tempore Parlamentorum omni die ius reddit; vt venientes de longinquis citius expediātur: & *Bar. in d.l.*2.§.*item si, ff.si quis in ius voc.non ier.num.*8.ait quod citatus à Papa, vel Imperatore die feriata debet comparere; quia feriæ non sunt de iure diuino, sed de iure ciuili potius. quod debet intelligi de ferijs causa hominum, & in honorem Principis constitutis,quę bene sūt de iure ciuili non autem de ferijs in honorē Dei,& Sanctorū indictis,quæ, vt supra diximus, sunt de iure Canonico.

In solis igitur citationibus, quæ emanant ab inferioribus, inspicitur, an dies fuerit feriata, vel non, vt valida censeri debeat, vel inualida.

198 Qua in re Doctores considerant plures actus citationis; & *Bart. in d l.*2 §.*item si, nu.*6. *ff.si quis in ius voc. non ierit* considerat duos actus,vnum Iudicis mandantis citari; alterum nuncij actualiter citantis; sed *Io. Andr. in cap. fin. de fer. num.* 3. considerat tertium actum, scilicet processum ex citatione inchoatum; & sequitur *Henric. Boich. ibidem nu.*12.*Bal. verò in l.si feriatis, sub n.*3.*vers. extra quaero, ff. de ferijs*, considerat insuper alios duos, videlicet actum comparitionis, & actum relationis nuncij; à quorum dictis

non

non longe recedentes distinguemus tres actus citationis; Iudicis scilicet, Nũcij, & Partium, qui an, & quando fieri possint diebus feriatis, breuiter dicemus.

Quantum ad actus Iudicis duos considero, vnum, quando Iudex partes pręsẽtes monet ad aliam diem, alterum, quando mandat vnam, vel alteram partem citari.

199 Actus monitionis fieri nõ potest, nisi Iudex sedeat pro Tribunali, & partes sint præsentes: *Spec. in tit. de citat. § sequitur in princ. cum alijs supra deductis cap. 7. num. 12.* & successiuè, nec fieri potest in diebus feriatis, quibus Iudex non sedet, & partes non adsunt: *cap. 1. & cap. placita, 15. quæst. 4. l. 1. ff. de ferijs.*

Actus autem mandati, seù decreti de parte citãda fit per Iudicem extraiudicialiter sine causæ cognitione, ideò decretum citationis tanquam actus extraiudicialis: *Rot. in nou. decis. 1. de fer. num. 1.* fieri potest etiam die feriata; *l. actus, C. de ferijs*, & censetur actus iurisdictionis voluntariæ, licet processus illius vigore agitatus sit iurisdictionis cõtentiosæ; *Bellam. decis. 649. num. 6. in fine*, actus autem voluntariæ iurisdictionis fiunt absque causę cognitione; *l. 2. ff. de off. Proconsul.* & ideò decretum citationis tanquam iurisdictionis voluntariæ potest fieri die feriato; *d. l. actus, C. de ferijs*, & de citatione exequenda per edictum, quod possit decerni die feriata, & exequi; dicit *Cassad. dec. 5. de dol. et cont. n. 2. & Rot. in nou. d. dec. 1. de fer. n. 2*

In contrarium, quod citationis decretum, siuè commissio per Iudicem fieri nequeat diebus feriatis, facit primo, quia aut censeri debet sententia interlocutoria: *l. cum Clericis, C. de Episc. & Cleric.* & fieri non potest die feriata; *l. fin. C. de fer. Bal. in l. si feriatis sub num. 3. ff. de fer.* aut censetur sententia quędam comminatoria: *l. præsenti, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, & die feriata fieri non potest: *cap. fin. de fer.* & ibi *Io. Andr. nu. 3.* aut si non est sententia, est nihilominus pars processus, seù de processu; *cap. quoniam contra, de probat. §. fin. instit. de pœn. temp. litig.* & ideò nequit fieri die feriato, aut est tanquã species dilationis, quæ non cõceditur à Iudice, nisi causa cognita: *l. à procedente, C. de dilat.*

dilat. ideò die feriata facta nõ valet.

200 Pro declaratione distinguendum est, quod si decretum citationis requirit causæ cognitionem, quando scilicet adest contradictor; & altercantur partes, an citatio sit decernenda; & tunc citationis decretum die feriato fieri nequit; tunc enim Iudex interloquitur cum causæ cognitione: *Cyn. in d.l. dies festos, & in d.l. à procedente. Bellam. dicta decis. 649. num. 5.* & tempore feriato, iurisdictionis exercitium suspensum remanet: *Bal. in d. l. fin. C. de fer. nu. 1. Vant. de nullit. ex defect. citat. nu. 46.* & idem dicendum est de dilatione: quia si partes controuertunt, an sit danda, Iudex debet cognoscere, & in die non feriato interloqui; & ita intelligitur *d.l. à procedente*, *Io. Andr. in d. cap. fin. de fer. n. 3.* Si verò decretum citationis non requirit causæ cognitionem, quando scilicet vna pars instat pro citatione altera parte, vel absente, vel non contradicente, & tunc decretum citationis fieri potest in die feriato, cùm sit actus extraiudicialis, & voluntariæ iurisdictionis; iuxta prædicta *Rot. in nou. decis. vnica, num. 1. de fer.* & hoc casu non obstat, quod citatio sit interlocutoria, & fiant acta per Notarium; quia etiam in actibus voluntariæ iurisdictionis fiunt acta etiam in diebus feriatis; *d.l. actus, C. de ferijs*, aduerte tamen, quia hoc est verum, nisi feriæ essent in honorem Dei; quia tunc indistinctè non valet cõmissio, quia lex resistit in principio; vt notat *Bald. in d.l. si feriatis, num. 3. ff. de dilat.*

201 An autem Iudex possit in die iuridico decernere citationem ad diem feriatam, dicendum est, quod si citat ad respondendum, seù se defendendum, vel ad aliquem alium actũ iudiciariũ, qui illa die non potest explicari, illã decernere nõ potest, nec arctare citatũ ad cõparendum; *l. 1. ff. de fer.*

202 Quando enim liquet citationem esse nullam, non tenetur citatus comparere ad allegandum ferias; sed si dubium sit, tenetur ire ad allegandum; *cap. si Episcopus, 3. quæst. 2. gloss. in l. 2.* in verbo *sciatur, ff. si quis in ius voc. non ierit;* si autem citat simpliciter ad comparendum, vel ad aliquem alium actum extraiudicialem, qui potest illa die feriata

riata explicari, poteſt illam decernere ad diem feriatam, & citatio arctat ad comparendum: *l.miles, §.ſexaginta, ff.ad l.Iuliam,de adult.* ita diſtinguit *gloſſ.vlt.in cap.placita,* 15.q.4. *circa fin.* ibi *reſpondeo ſi citat. Sum.Angelic.* in verbo *feria, num.*37.*Henric. Boicb.in d.cap. fin. de fer. ſub num.*7. & 8. & *ſeq.*

203 Modo tres quæſtiones per Doctores excitatæ veniunt diſcutiendæ; Prima an citatio decreta in die feriato ſuſtineatur, ex eo quod ſit decreta expreſſe ad diem nō feriatam. Altera an citatio decreta in die iuridico ad certam diem feriatam ſuſtineatur, vt citatus debeat comparere pro die ſequenti iuridica. Poſtrema an citatio cum termino plurium dierum, quarum vltima cadit in diem feriatam; ſuſtineatur ex eo quod citatus potuerit comparere in alijs præcedentibus diebus.

204 Quãtum ad primam quæſtionem *Bar.in l.*1. *§.nunciatio, num.*30. *ff. de nou. oper. nunc.* dicit eam fuiſſe motam per *Iacobum de Arena*, qui tenuit, quod non; & per *Dyn.* qui tenuit,quod non, & poſteà mutauit opinionem, & ſubiungit fuiſſe diſputatã per *Iac.Butrig.* qui tenuit ſimpliciter citationem non valere & recitat opinionem *Oldradi*; qui dixit citationem factam in die feriato in honorem Dei non valere. factam autem tempore feriato in vtilitatem hominum valere, & hanc diſtinctionem veram putat; & hanc etiam quæſtionem tetigit *Soc. de cit. art.* 19.*num.*4. qui dicit eſſe maximã dubitationem propter varias ſententias Doctorum, & referens ſententias prædictorum, probat opinionem *Oldradi*, & dicit, quod ceſſante conſuetudine, talis citatio de iure non poteſt valere.

205 Sed ſtante conſuetudine valeret; vbi enim ſunt diuerſæ opiniones,conſuetudo poteſt operari: *cap. cùm dilectus, de conſuetudine*, & hoc refert placuiſſe; *Io.de Imola. V ant.de nullit.ex defect.citationis, n.*46. dicit, quod ſi decerneretur citatio tempore feriato in honorem Dei, decretum non valeret, & ſubiungit, contrarium tamen, quod citatio die feriata pro die non feriata decerni, & committi poſſit, tenuiſſe *Bart.in l.*1. *§. nunciatio, ff. de oper.nou. nunc.* & *Lanfranc. in cap. quoniam contra verſ. citatio-*

*tiones, nu.*5. *de probat.* & quod ita tenet *Rot. in nou. decis.* 1. *de fer. & Cassad. decis.*5. *in fin. de dol. & contum.*

206 Sed in hoc errat, quia *Bart.* vt supra tenuit distinctionem *Oldradi*, quod valeat in die feriato in hominum vtilitatem, non autem in honorem Dei, & idem dicit Lanfranc. scilicet quod vera est, & communis opinio, & omnes Doctores concordant in hoc, quod citatio non valeat, si citetur die feriato ob honorem Dei; si autem citetur die feriato ob necessitates hominũ, tunc benè valet, & quod ista est sententia *Oldradi*, quam sequitur *Bart. in d. l.* 1. §. *nunciatio*, *ff. de nou. oper. nunc.* & prædictę decisiones pariter loquuntur de citatione decreta in die feriato ob necessitatem hominum, non autem ob honorem Dei.

207 Refert *Tiraquel. de retract. consanguin. in fin. nu.* 78. *& seq.* tres Doctorũ opiniones; prima est *Glossa, Dyni*, *Alberici*, & aliorum, quod indistinctè possit fieri citatio in die feriata ad diem non feriatam; secunda est *Oldradi, Bart.* & aliorum, qui absolutè dicunt citationem fieri non posse in die feriata in honorẽ Dei pro die iuridica; tertia est *Alberici*, & aliorum, qui distinguunt inter dies Dominicos, & inter alios feriatos in honorem Dei, vt in illis citare non liceat, in his liceat, & concludit, quod generalis consuetudo admisit, vt citatio etiam decreta in die feriato in honorẽ Dei valeat, si sit decreta ad diem iuridicam, & de hac consuetudine testati sunt *Iac. de Arena*, *Alber. Oldrad. & Io. Andr. & Bart. in tractat. de citation. quæst.* 7. *& Ias. in dict. l.* 1. §. *nunciatio*, *num.* 8. *ff. de nou. oper. nunciat.* verùm *Tiraq.* in hoc procesit simpliciter distinguendo tres opiniones, & cumulando singulos cuiuslibet opinionis sequaces, nulla ratione adducta, nec distinctione facta, adeò vt ex eius labore colligi non potest, quid sentiendum.

208 Vt igitur aliquid in hac controuersia præstitisse videamur, aduertendum est, quod etsi, vt supra diximus, in controuersia partium, & cum causæ cognitione citatio decerni nequeat die feriato, sed fieri possit, vbi in absentia partium cognitio causæ non exigitur; tamen quando citatio decernitur in die feriato, pro die non

non feriato, videtur, quod citationis decretum debeat indistinctè valere.

209 Ea ratione; quia licet sit factũ tempore prohibito, tamen eius effectus directus, & collatus est in tempus permissum, ideò debet valere, sic donatio inter virum, & vxorem, constante matrimonio facta non valet;sed si constante matrimonio fiat donatio ante nuptias, valet, quia eius effectus est collatus in tempus permissum ante nuptias, licet donatio sit facta tempore prohibito, constante scilicet matrimonio; vt dicitur in *l. inter eos, & in l.Seia, §. Virgini, ff. de don. int. vir. & vxor*; sic inter virum,& vxorem mortis causa donationes receptæ sunt à iure; quia in hoc tempus excurrit donationis euẽtus, quo vir, & vxor esse desinunt. formaliter dicitur in *l. si eum seruũ vxori, in fin.* & in *l. seq. ff. de don. inter vir. & vxor.* Sic etiã mulier nupta potest sibi eligere sepulchrum, vt dicitur in *cap. de vxore, de sepultur.* electio ista ad eum potiùs statum pertinet, in quo mulier soluitur à lege viri; sic etiam valet institutio hæredis collata in tempus capiendæ hæreditatis, veluti cùm Lucius Titius capere poterit, hæres esto; vt dicitur in *l. in tempus, ff. de hæred. instit.*

210 Adde quod idem iuris est de tempore, quod de loco; vt in *l. vinum, ff. si cert. pet.* valet autem actus factus in loco inhabili, quando eius effectus confertur in locum habilem: *l. fin. ff. de off. Præfect. Vrbis*; vbi dicitur, quod Præfectus Vrbis extra Vrbem potest iubere iudicare, hoc est delegare; locus enim extra Prouinciam est inhabilis, quia extra eam Prætor nõ habet potestatem; sed quia effectus delegationis confertur in locum habilem; quia mandat iudicare in Prouincia, ideò actus delegationis valet; licet sit factus in loco inhabili; quia eius effectus confertur in locum habilem; ad idem est *tex. in l. omnes, 31. §. executoribus, vers. verum si apparitor, C. de Episc. & Cleric.* iuncta *gloss.* in verbo *commouerit*; vbi habetur, quod Præfectus Vrbis, qui non habet iurisdictionem, nisi in Vrbe, vel in territorio Vrbis mandat citari existentem in Prouincia, & citatio valet, vt compareat loco habili, licet citatio fiat in loco inhabili; idem igi-

igitur dicendum est de tempore, vt citatio decreta tempore prohibito valeat, quando eius effectus cōfertur in tempus permissum, & hæc sunt rationes eorum, qui voluerunt citationem valere factam in die feriata ad diem non feriatam.

211 Sed alij, qui contrarium voluerunt distinguunt, quod quando lex prohibet actum ratione solius effectus, tunc satis est, quod effectus conferatur in tempus permissum, licet fiat in tempore prohibito; & ita procedunt iura adducta, donatio enim inter virum, & vxorem prohibetur à lege ratione eius effectus, ne scilicet mutuo amore inuicem spoliarentur, donationibus nō obtemperantes; vt in *l. 1. ff. de donat. inter vir, & vxor*; & ideò non est mirum, si donatio valet, quando eius effectus confertur vel in tempus ante nuptias, vel in tēpus mortis.

212 Sed quando lex prohibet actum non ratione effectus; sed ratione sui principij, & ratione eiusdem actus; tunc non sufficit, quod eius effectus cōferatur in tempus concessum: iuxta *text. in cap. fin. de restit. spoliat.* vbi Papa, qui duo commiserat, vnum quod restitueretur possessio, alterum, quod restitutio fieret plenè, ac liberè, vt possessor remaneret sicut prius, respondit vtrumque debuisse impleri, quia vtrumque considerauit, & voluit, sic stante Prętoris edicto, quod si quis fraudationis causa latitet, & boni viri arbitratu nō defendatur, eius bona per creditores possideātur, respondit *Vlpianus* vtrumque concurrere debere; nempe quod debitor latitet, & quod causa fraudationis latitet: *l. fulcinius post principium, ff. quib. ex caus. in poss. eatur*.

213 Quia igitur ius prohibens citationem fieri tempore feriato, non respexit effectum citationis; sed respicit eumdem actum citationis, & principium, & qualitatem temporis, quo Deo debetur honor, & homines à litibus debēt respirare, ideò non potest sustineri, quando fit tempore feriato, licet eius effectus conferatur in tempus non feriatum, quia habet vitiosum initium, cui lex resistit: *Bart. in l. 2. §. item si, nu. 6. ff. si quis in ius voc. non ier. Bald. in l. si feriatis, sub num. 3. ff. de ferijs, Abb. in cap. final. sub num. 20.* †

ibi

ibi *lex enim prohibens de ferijs*.
214 Sic si minor viginti annis seruum alicui vendat, & tradat vt eum manumittat, quãdo ipse expleuisset viginti annos, licet præstatio libertatis conferatur in tempus permissum; tamen quia traditio fuit facta tempore inhabili minoris ætatis, non valet; vt habetur in *l. si minor, ff. de seru. exportan.* Sic etiam si minor adiuit hæreditatem paternam, & maior factus exegit aliquid à creditoribus paternis, mox petijt restitui in integrum aduersus aditã hæreditatem, & non obstante quod maior cõprobasset, nihilominus I. C. respondit illum esse restituendum attento principio, quia minor existens se immiscuit; vt dicitur in *l. 3. §. scio, ff. de minoribus*, ibi *putamus tamen restituendum in integrũ initio inspecto*; Sic etiam minor licet possit agere possessorio; non tamen potest agere, nec conueniri petitorio sine authoritate curatoris; etsi sub colore adipiscendæ possessionis postea conueniatur petitorio, iudicium non valet; quia vitiosum fuit initium sine authoritate curatoris; vt in *l. fin. C. qui legit. pers. stan. in iud. hab. vel non*, ibi *cùm absque conuentione persona legitima initiatum iurgium videatur*.

Sed qualiter ius prohibens citationem decerni die feriato, non habuerit solum respectũ ad effectum, sed etiam ad principium, videamus.

215 In ferijs sacris in honorem Dei, & Sanctorum ius prohibet omnem actum Iudicis, & in specie monitionẽ, seù præceptum, vel commissionem citandi; & in ius vocandi, vt in *l. dies festos, C. de ferijs*, ibi *nulla quemquã vrgeat admonitio, aduocatio delitescat, sit idem dies à cognitione alienus*; & sic resistit principio ratione temporis, quod exigit reuerentiam, ibi *Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus venerandum*.

216 Nec probari potest tertia opinio relata per *Tiraq.* illorum scilicet, qui constituunt differentiam inter dies Dominicos, & alios dies feriatos in honorem Dei, quæ fundatur in eo, quod d. *l. dies festos*, loquitur de die Dominico; quia in principio loquitur generaliter de omnibus diebus festis; ibi *dies festos dies Maiestati altissimæ dicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec*

vllis exactionum vexationibus prophanari; & verba, quæ subiunguntur, *Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus venerandum*, non possunt intelligi, vt stent restrictiuè, sed exemplificatiuè, & pro hoc est alius *text.* in *l. omnes dies, C. de ferijs*; vbi nō solum in diebus Dominicis; sed etiam in alijs festiuis ibidem enumeratis, prohibetur omnis actus Iudicis, ibi *vt neque apud ipsos arbitros, vel à Iudicibus flagitatos, vel spontè electos vlla sit cognitio iurgiorum*, quæ verba negatiua negant quamuis cognitionem in Iudice.

217 Verùm est, quod supra diximus, quod in absentia partis, pro decernenda citatione non requiritur causę cognitio; sed verum est etiam, quod requiritur ex parte Iudicis aliqualis cognitio, quippè qui debet discutere, an talis citatio cum tali termino, & ad illum locum, & contra talem personam sit decernenda; ita *Ant. de Butr. in d. cap. fin. de ferijs, & ibidem Abb. sub numer. 20.*

218 Addens quod citatio facta in die feriato licet non arctet tunc ad comparendum, quando est facta ad diem iuridicam, tamen arctat pro tunc, & afficit citatum, & prouocat eum quodammodo ad iram, & aliqualiter abstrahit à cōtemplatione Dei.

219 Et idem dicit in Iudice, qui in die festo, cū debeat intendere diuinis, non debet facere præceptum de citando, cùm etsi non exigatur cognitio inter partes, tamen intra se debet adhibere aliqualem cognitionem in statuendo terminum; & sequitur *Soc. de citat. art. 19. num. 4.*

220 Et quod nulla sit differentia, quoad feriarum obseruationem inter diem Dominicum, & alios dies festos in honorem Dei, & Sanctorum feriatos, probatum est supra *num. 133.* & est *tex. in dict. cap. fin. de ferijs*; vbi enumerantur alij dies festiui in honorē Virginis, Apostolorum, & aliorum Sanctorum martyrum, & quoscunque processus in illis diebus factos lex annullat; ergò annullat etiam citationem, quæ est de processu: *cap. quoniam contra, de probat.* ergò citatio annullatur propter legis prohibitionē; nàm ea nulla sunt, quæ contra legis prohibitionem fiunt: *l. non du-*

dubium, *C. de legibus*; *Specul. tit. de citat. §. 1. verſ. item excipitur, quod eſt facta in die feſto, vel feriato, n. 14. Henric. Boich. in d. cap. fin. de fer. ſub num. 7. & 11.*

221 Atque quod idem dicendum ſit de citatione facta tempore feriato in honorem Principis, & etiam in ferijs repentinis; dicit idem *Abb. d. cap. fin. de fer. ſub dicto nu. 20.* circa finem; quia in illis etiam lex non prohibet ſolum effectum; ſed etiam actum citationis. Nàm Imperator mandat eas ſub eadem veneratione obſeruari, quaſi ſolemnes; vt *dicta l. omnes dies, C. de ferijs*, ibi, *nec vlla ſit cognitio iurgiorum noſtris etiam diebus, qui vel lucis auſpicia, vel ortus imperij protulerunt*; & quod feriæ repentinæ æquiparentur ferijs in honorem Dei, not. *Bald. in l. 1. C. de fer. ſub n. 3. & dictum eſt ſupra nu. 62.*

222 In ferijs autem neceſſarijs ius prohibet citationē non reſpectu principij, ſed reſpectu finis, & exercitij citationis: *l. 1. ff. de ferijs*, ibi *ne quis meſſiū, vindemiarumque tēpore aduerſarium cogat ad iudicium venire*; & vt obſeruauit *Oldrad. in l. 1. §. nunciatio, ff. de oper. nou. nunciat.* lex non dicit, quod non citetur; ſed quod non compellatur venire; & ſequitur *Bart. ibidem num. 30. circa fin. & Abb. in dict. cap. fin. dict. num. 20. circa fin.* ad idem eſt *text. in l. 2. ff. ſi quis in ius voc. non ier.* vbi qui in ius vocatus non ierit, mulctari debet, ſed ſi dies feriatus fuerit, Prætor remittit pœnam, ibi *putà, quia dies feriatus fuit*.

Et ideò in ferijs neceſſarijs citatio facta ad diem non feriatā valet, quia in illis prohibetur ſolus effectus, & finis citationis, quę prohibitio ceſſat, quando finis, & effectus dirigitur in diem iuridicam.

223 Et ex his concludo primam opinionem, vt ſupra per Tiraquellum relatam, quod citatio poſſit per Iudicem committi die feriata pro non feriata, veram eſſe reſpectu feriarum ob neceſſitatem, vtilitatemuè hominum inductarum, in quibus lex prohibet ſolum effectum, non autem actum citationis; ſecundā verò opinionem, quod citatio decreta in die feriata ad diem non feriatam non valet, veram eſſe reſpectu feriarum ſacrarum, ſolemnium, & repentinarum; quibus ius prohibet citatio-

nem, nedum ratione effectus; sed etiam ratione eiusdem actus. Difficultas remanet, quoad tertiam opinionem eorum, qui dicunt de generali consuetudine seruari, quod citatio valeat in die feriata ad diem non feriatam, de qua consuetudine testati sunt *Iac. de Arena, Dyn. & Io. Andr. in d. cap. fin. num. 3. de ferijs; Soc. d. art. 19. num. 3. & refert. Iaf. in d. l. 1. §. nunciatio, ff. de oper. nou. nunciat. num. 8. circa med.* Sed huic attestationi absolutè, & indistinctè non credo, & quantum attinet ad decretum citationis mihi placet dictum *Baldi in l. final. C. de fer. num. 2. in fin. quod ista consuetudo non est in actu Iudicis*; sed in quantum dicit, quod est in actu nuncij, inferius suo loco examinabimus.

224 Quantum ad secundam quæstionem, an citatio decreta in die iuridica, ad certam diem feriatam sustineatur, vt citatus debeat comparere die sequenti iuridica, dicunt Doctores, quod de iure ciuili non valet; iuxta *l. fin. C. de ferijs*; sed quod de iure canonico valet, quia citatus debet comparere die sequenti iuridica, per *tex. in cap. veniens, de accusat. & cap. cùm dilecti, de dol. & contum.* & in hoc notant discordantiam inter Legistas, in *l. 2. ff. de in ius voc.* & Canonistas in *cap. propterea, de dilat.* vt per *Felin. in cap. quoad consultationem col. 3. vers. obstat, 2. text. num. 3. de re iud. Vant. de nullit. ex defect. cit. nu. 65. & 66.*

Sed ego animaduerto hanc conclusionem non esse omninò veram, quod scilicet de iure canonico citatio ad diem feriatam valeat, itaut citatus teneatur cõparere die sequenti iuridica; illam enim non probant prædicti text. ad hoc allegati.

Nàm *tex. in d. cap. veniens, de accusat.* loquitur de citatione facta per Papam, qui vt supra diximus, nullis ligatur ferijs, & quæstio nostra est de citatione facta per inferiores, non autem per Principes, vt supra, & quod loquatur de citatione emanata à Papa, clara sunt verba ibi, *vndè prædictum Episcopum ad festum Resurrectionis Dominicæ perẽptoriè nos meminimus citauisse.*

Et pariter *tex. in d. cap. cùm dilecti, de dol. & cont.* loquitur de citatione Papæ: ibi *volentes tamen iuris ordinem obseruare mandamus, quatenus vsque ad*

ad Dominicam, qua cantatur; Ego sum Pastor bonus, per se, vel Procuratorem sufficiẽtem ad præsentiam nostram accederet super prædictis omnibus responsurus; alioquin cùm assignaremus ei pro peremptorio terminũ supradictum, sciret quod (quantum de iure possemus) procederemus ex tunc in negocio memorato; sed vlterius ibi Papa nõ citauit ad diem feriatam; sed vsque ad Dominicam diẽ, qua cãtatur, Ego sũ pastor bonus.

225 Quæ dictio vsque stat exclusiuè; vt in *cap. cùm dilectus, de fid. instr.* ibi *vsque ad diffinitiuæ sententiæ calculum exhibere, antequam sit in causa conclusum*; & ideò non potest firmari, quod ibi Papa citauerit ad diem feriatã; ad idem est *text. in cap. cùm ex litteris, de in integr. restit.* ibi *quatenus vsq; ad festum Beati Lucæ*; & animaduertit etiam *Soc. de cit. d. art. 19. nu. 14. vers. circa secundũ membrũ*; sed insuper aduertẽdũ est quod quãdo quis citatur vsq; ad certam diem, intelligitur citatus nõ pro illa die, sed etiã pro alijs, quæ sunt vsque ad illam diem: *Castr. in l. 1. ff. de fer. nu. 3. Abb. in d. cap. fin. nu. 22. de ferijs*; sic qui debet proponere suas exceptiones vsque ad talem diem, quod post illam nequeat, dicit *Specul. de dilat. §. 1. n. 4. Asin. in prax. §. 17. cap. 10. n. 10.* tandem cõsiderando verba *text. in d. cap. cùm dilecti, de dol. & cont.* ibi *præterea cùm mandatur alicui, vt ad certum terminum se Iudici repræsentet, duo sub hac forma mandantur, vt ad Iudicem veniat, & ad diem sibi præfixam accedat; vndè si venire non possit ad diem assignatum, tenetur nihilominus se Iudici præsentare; si enim mandatur alicui, vt alij ad certam diem rem certam exoluat, non ideò erit à mandato solutus, si soluere nequiuerit die data, imò ad solutionem (elapso etiam die solutioni præfixo) tenetur*.

226 Colligitur quod citatus à Iudice simpliciter ad comparendum debet comparere; quod si sit impeditus comparere in termino assignato debet comparere quamprimum cessante impedimento; & ideò ille *textus* non probat absolutè, quod de iure Canonico citatus à Iudice ad diem feriatam debeat comparere die sequenti; quia hoc tantum dicit, si sit citatus solum ad se præsentandum, qui est actus explicabilis etiam die festo;

secus autem si ad aliquem actum iudicialem, qui non possit illa die explicari; quia tunc citatio non arctat ad cōparendum: *l.1. ff. de fer.* & supra firmauimus iuxta distinctionem *glossæ vlt. in cap. placita, 15. quæst. 4.* atque idem *text.* considerat impedimentum in comparendo, non autem defectum in citatione; & quod citatus ad aliquem actum iudicialem pro die Dominico, seù alia die feriata nō teneatur comparere die sequenti; sed citatio remaneat nulla.

227 Adduci possunt aliæ tres rationes; vna est, quia citatio facta vel ad diem feriatam, putà Dominicam, vel ad diem quintam, quæ cadat in die feriata, continet expressum errorem; & ideò tanquam erronea remanet nulla; ad dicta per *Innocent. in cap. fin. de fer.* & ibi *Abb. num. 21. Soc. de cit. d. art. 19. num. 13.*

228 Et citatio facta pro vna die non valet pro alia: *Rot. in recentiss. decis 365. par. 1.*

229 Sic etiā si citatio ad sententiam, vel ad alium actum iudiciarium fieret ad secundam, vel tertiam horam noctis non valeret; quia esset notoriè illegitima, & expressè erronea; quia debet citari pro hora solita; nisi aliqua causa legitima aliud exigeret; *Gemin. in cap. consuluit, de off. deleg. Soc. d. art. 19. num. 12. Castr. in l. more Romano, ff. de fer. nu. 5.*

230 Altera est, quia citatio præcipuè in iudicialibus fit ad instantiam partis, quæ in termino citationis debet cōparere, & accusare contumaciam citati non comparentis, alias citatio remanet circumducta, & nulla, ac si non fuisset facta; *l. post edictum, §. quod si is, ff. de iud.* & declarat *Bart. in l. ex quacunque, in prima lec. num. 14. & ibidem Bald. in prima lect. col. penult. vers. vlt. quæro, ff. si quis in ius voc. non ier. Ias. in §. penales, sub num. 130. instit. de act. Alex. cons. 100. sub num. 6. lib. 5.* & propterea si pars citaret ad diem feriatam, non posset ipsa allegare contumaciam; quia die feriata non fit processus, & factus annullatur: *l. 1. ff. de ferijs, cap. fin. de ferijs.*

231 Atque contumacia, negari non potest, quin sit delictum: *cap. qui resistit 11. q. 3. c. si quis, de maior. & obed. c. ad Apostolicæ de sent. & re iud. lib. 6.* & à delicto quælibet causa excusat.

Et

Et qui non comparet in die feriato etiam ad vtilitatem hominum excusatur: *l. 2. in fin. ff. si quis in ius voc. non ier.*

232 Tertia est, quod vbi citatio fit ad diem feriatam est temeraria, & contra ius; ergò non debet aliquo modo afficere citatum; vt in *cap. bona, de elect. il 2.*

Et quæ contra ius fiunt, habentur pro infectis: *cap. quæ contra ius, de reg. iur. in 6. l. non dubium, C. de legib. l. aut qui aliter, ff. quod vi, aut clam.* per quem *text.* dicit *ibidem* Bart. quod si citatio fit eo tempore, quo citatus venire nõ potest, non valet citatio; ita declarat *Abb. d. cap. fin. num. 22.*

233 Ad illud, quod dicitur præceptum de comparendo tali die, duo continere, scilicet vt cõpareat, & in tali die: vt in *d. cap. cùm dilecti, de dol. & contum.* & est etiam *text. in l. Celsus, ff. de arbitr.* ibi *Celsus ait, si arbiter intra Kalendas Septembris dari iusserit, nec datũ erit, licet postea offeratur; attamen semel commissa pœna compromissi non euanescit; quoniam semper verum est intra Kalendas datum non esse.* Aduertẽdum est, quod illud procedit, quando mandatum tenuit à principio; tunc enim per superuenientem casũ, seù impedimentum suspenditur, non autem tollitur; sed quando quis citatur ad diem feriatam, mandatum ab initio est nullum, & temerarium; ideò vitiatur; & in *d. cap. bonæ, il 2. de elect. in fine,* ibi *temeraria nimis extitit, & ideò non potuit arcere citatũ*; ita declarat *Abb. d. cap. fin. num. 22. in fin.*

234 Item aduertendum est secundo, quod si alicui statuatur certus terminus ad producendum, vel excipiendum, vel ad probandum, non possunt esse duo præcepta, secundũ quod dicitur in *d. l. Celsus*, quando enim est actus, qui ad sui substantiam requirit certũ tempus, post tempus certum nõ valet, & dilatio, quæ est fine tẽpore nõ valet; quia debet habere diẽ certam, & post illud tẽpus certũ remanet nulla; ita singulariter *Petr. & Cyn. in dict. l. dies festos, C. de ferijs*; refert, & sequitur *Bald. in l. si ea, C. de ijs, qui accus. non poss. num. 4.*

235 Quantum ad vltimam quæstionem, an citatio cum termino plurium dierum, quarum vltima cadat in die feriata, sustineatur ex eo quod citatus potuit comparere in

alijs pręcedētibus diebus, vel in sequenti.

236 Sciendum est, quod in in contrarietate, & varietate opinionum in hac materia *Ricard. de Senis Cardinalis in l. dies festos, C. de fer.* consuluit, quod in huiusmodi citationibus Iudex dicat, & sic terminum assignet; tibi talem diem assignamus, & si forsan dies feriata occurrat, assignamus tibi non feriatam, sed proximam subsequētem iuridicam, quod consilium: *Cynus, & alij ibidem* approbarunt, & secuti sunt Canonistæ *Io. Andr. Abb. & alij in cap. fin. de fer.* & fuit receptū in practica: vt per *Felin. in cap. quoad consultationem, sub num. 4. extra, de re iudic.* quam dicit fuisse valdè necessariam, *Vant. de nullitat. ex defect. cit. num. 66. in fin.*

237 Cùm enim terminus cōparendi præfixus in citatione nō incipiat currere, nisi à tēpore factæ executionis: *cap. super eo il. 2 de appel.* ibi *ex tūc terminus incipit currere cū Iudices cōtigerit litteras recepisse* Iudex scire nō potest, quando nuncius executurus sit citationē, & successiuè, an vltima dies termini in citatione præfixi possit cadere in die festo, seù aliàs feriato.

238 Sed quid si omissa fuisset hæc cautela? dicit *Bart. in repet. l. ex quacunque, §. item si nu. 3. ff. si quis in ius voc. non ier.* istā quæstionem poni per *Innoc. in cap. final. de ferijs*; & Doctores videri communiter tenere, quod aut error est expressus in citatione, putà quia citatus est, vt compareat die Dominico, tunc citatio est nulla, ipso iure, aut error non est expressus in citatione, & valet citatio.

239 Sed hic aduertendum est, quod si quis citaretur pro die decima currentis mensis, quę si sit feriata, citatio non valet; quia continet expressum errorem, saltem per relationem ad ipsam diem; ad *text. in l. certum, ff. si cert. pet. Maran. de ord. iudic. versic. rectè concipiatur citatio, sub nu. 120.*

240 Et tali casu, qui est citatus ad certam diem, prius venire non potest, neque in illa, quando dies est feriata: *Abb. in dict. cap. fin. num. 22. vers. secùs vbi simpliciter citatus*; atque tunc dicitur citatio directa in tempus, à quo non potest incipere; & ideò vitiatur: vt ita sensit *Ricardus de Senis*, cuius authoritas maxima

xima fuit; vt subiungit *Bart. in dicto §.item si, num.4. circa fin.* & facit *text. in l. existimo, ff. de verb. oblig.* ibi *cùm in eum casum reciderunt, à quo non potuerunt consistere*.

241 Tunc autem non censeretur expressus error in citatione, quando citaretur vsque ad decem dies, & citatio valeret, licet vltima dies caderet in diem feriatam, vel etiam si citaretur vsque ad diē Dominicum; nam dictio vsque est exclusiua, & ideò debet citatus comparere die præcedenti, etsi non comparet, sibi imputet, quando scilicet actus est talis, qui non potest explicari in die feriata: ad *l. Celsus, ff. de arbitris*, ita declarat *Bart. in dicta repetitione, l. ex quacunque, §. item si, num.4.* ibi *aut est terminus, in quem, & num.5.* ibi *prætereà, l. Celsus*.

242 Quod si non potuit, nec in præcedenti, nec in vltima die termini comparere propter impedimentum morbi, vel alterius accidentis, tunc debet comparere quamprimum cessante morbo, iuxta *tex. in d. cap. cùm dilecti, de dol. & cont.*

243 Quod non procedit quādo impossibilitas comparendi prouenit ex parte Iudicis, qui citauit ad diem feriatam, & sic nulliter; ita declarat *Bartol. in dict. §. item si, numer.2.* & est *text. in §. loca, institut. de verborum obligat.* ibi *& ideò si quis Romæ ita stipuletur, hodie Carthagini dare spondes? inutilis erit stipulatio, cùm impossibilis sit repromissio*; quod benè applicatur in citationibus, & præceptis Iudicum, quæ sunt stricti iuris, vt inutilia reddantur, si contineant impossibilitatem *Bart. dict. numer.5.*

Hactenus dictum est de actu Iudicis, sequitur dicendum de actu nuncij, qui in citatione duplex est, videlicet executio, & relatio.

244 Quantum ad executionē citationis nuncius citat vel in scriptis, vel verbaliter; in scriptis potest citare etiam in die feriato, pro die tamen non feriata; quia actus executoris trahitur ad tēpus actus Iudicis & si factus est tēpore feriato, retrotrahitur ad tēpus non feriatū, quo fuit citatio decreta.

245 Sic examen testium potest fieri die feriato, quia trahitur ad tempus iuramenti, vt per *Bart. in l. si quando, C. de testi-*

testibus, & ita loquitur *idem Bart.in d.repet.l.ex quacunque, §.item si, num.6. ff. si quis in ius voc.non ier.* & sequitur *Bald.in l.si feriatis, num.3.ff.de fer.*

246 Verbaliter etiam, & sine scriptis potest nuncius citare die feriato pro non feriato, cùm effectus cōsiderandus sit, & cùm actus nūcij sit extraiudicialis, nullam requirens causæ cognitionem, & mera sit executio facti, quæ fieri potest in die feriato: *cap. fin. de Iud.l. miles, §. sexaginta, ff. ad l.Iul. de adulter. & ita respondit Federic. de Senis, consf.244.*

247 Sed in contrarium videtur textus expressus in *d.l.fin.C.de ferijs*, ibi *nulla quemquam vrgeat admonitio, taceat apparitio, aduocatio delitescat, præconis horrida vox silescat*; qui textus cùm loquatur nedū in specie de die Dominico, sed etiā in genere de diebus festis Maiestati altissimę dicatis, & extendatur ad omnes dies feriatos in honorē Dei, vt sup.dictū est.

248 Ideò distinguendo, concludendum est, quod nuncius de iure potest exequi citationes in diebus feriatis in honorem hominum; secùs autem in feriatis in honorem Dei; ita declarat *Bart.in d.repet.l.ex quacunque, §.item si. nu.6. ff. si quis in ius voc. non ier.* & sequitur *Bal.in d.l.si feriatis, n.3.ff.de ferijs*; vbi dicit hoc esse verum de iure: sed quod de cōsuetudine fieri potest, vt nuncius citet etiam in die Dominico, & alijs diebus festiuis, quia illa executio nō lędit partem; sed de hoc paulò inferiùs dicemus.

249 Quātum ad diem Dominicum, quod executio citationis facta in die Dominico non valeat, sæpiùs etiam respondit *Rota*, vt in *recentiss. par.1. decis.365. nu.1.*

250 Quantum ad alios dies festos *Rota* etiam respondit, quod citatio executa in die Sancti Marci non valebat; vt in *decis. 334. nu.12. post tract. Posti de manutenen.*

251 Atque quod Nuncius nō possit etiam in die non feriato exequi citationem decretam per Iudicem tempore feriato in honorē Dei, probat *Soc. de citat. d. art.19. n.8. circa fin.* cū enim non valeat cōmissio, nec valere potest cōmissionis executio; *l. non dubium, C. de legibus, cap. qualiter, de elect.*

252 Quantum ad relationem citationis, cùm non sit actus iuridicus, & fieri possit partibus absentibus sine figura iudicij,

dicij, & fine vlla causæ cognitione, videtur, quod fieri possit in die feriato: *Lanfranc. in cap. quoniam contra, de probat. tit. de citat. nu.* 25.

Sed in contrarium dicit *Bal. in l. in minorum, C. in quib. caus. in integr. restit. non est necess. num.* 6. quod nuncius nō potest facere relationem suam super citatione in die feriata; quia iste actus debet fieri in iudicio, & apud Tribunal; & quod practica obseruat, & rationabiliter, quod istæ relationes fiunt tempore iuridico; est enim ista relatio quoddam testimonium ipsius Nuncij, vt in *cap. cùm parati. de appellat.* & ideò debet fieri tempore iuridico; non tamen propterea requiritur præsentia partis, quia nec posset contradicere, quando nuncius faceret relationem suam.

Eodem modo, quo supra de executione distinguēdum est, & concludendum, quod relatio citationis potest fieri tempore feriato in honorem hominum, non autem in honorem Dei: *Bal. in d. l. si feriatis num.* 4. *ff de fer. Soc dict. art.* 19. *num.* 11 *in fin. de citat.*

253 Quantum autem ad actus partium, duo considerantur, videlicet reproductio citationis, & instantia pro processu, qui tanquam actus iudiciales fieri nequeunt tempore feriato: *d. l. si feriatis*, & ibi *Bal. sub num.* 3. *C. de fer. cap. placita*, 15. *quæst.* 4. *cap.* 1. *& cap. fin. de ferijs.*

254 Superest; vt examinemus id, quod dicunt Doctores de generali consuetudine citandi die feriata ad diem non feriatam: dicit *Imol. in d. l.* 1. *§. nunciatio, ff. de oper. nou. nunc.* se non repetijsse alios de hac cōsuetudine testantes præter *Iacobum de Arena, & Io. Andr.* vt refert *Ias. in d. §. nunciatio, num.* 8. asserit *Bart. in tract. de citat. quæst.* 7. *Dynum* tenuisse citationem valere in die feriata pro nō feriata, & quod eius dictum de consuetudine seruatur, & quod sic obseruat stilus Romanę Curiæ: distinguit *Bald. in l. fin. C. de ferijs, num.* 2. *in fine*; quod ista consuetudo est in actu nuncij, non in actu Iudicis. Refert *Tiraquel. de retract. consanguin. in fin. sub d. num.* 80. quod quicquid sit de iure communi, primam illam opinionem, quod indistinctè valeat citatio facta in die feriata pro die non feriata, approbauit consuetudo: hinc dicit

dicit *Vant. de nullit. tit. quib. mod. sententia null. repar. poss. num.* 119. quod citatio tempore feriarum decerni, & exequi potest ex consuetudine; attestatur *Vestr. in praxi lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 6. quod generaliter omnis citatio quocunque tempore feriarum generaliũ, vel aliàs die feriato etiam in honorem Dei exequi poterit in Curia, vel extra in Prouincijs, & sequitur *Grauat. ibidem num.* 13.

Ait *Castr. cons.* 271. *num.* 3. *lib.* 1. non valere consuetudinem, quod citatio possit exequi in die feriato in honorem Dei, quem refert *Rota in dict. decis.* 334. *post tract. de manutenendo, num.* 18. Breuiter dicendum videtur, quod in ferijs generalibus, & ob necessitatem hominum inductis cõsuetudo absque dubio potest inducere, vt citationes per Iudices decernantur, & per nũcios intimentur, quandoquidem huiusmodi ferijs per partes potest renunciari, & in illis non dicit lex, quod non citetur, sed quod citatus non teneatur comparere; *l.* 1. *ff. de ferijs*; vt etiam supra dictum est.

255 Et propterea si citatus in his ferijs comparet, & non allegeт ferias, censetur illis renunciare, & acta facta parte non contradicente valerent; *Alex. cons.* 213. *nu.* 3. *lib.* 2. *Crauett. cons.* 248. *num.* 2. & *cons.* 272. *n.* 9. *Menoch. de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 46. *nu.* 24. atque si esset præsens, sententia contra eum lata, si non opponeret de ferijs, valeret: *Castr. in d. l.* 1. *§. sed si præsens, num.* 4. *ff. de ferijs*; sed si allegaret ferias, & peteret aduersarium condemnari in expensis, quia illum temerè citari fecit, vtique deberet condemnari, vt post *Speculat. not. Castr. in d. l.* 1. *num.* 6. *in fine*, *ff. de fer.* è conuerso si citatus esset suspectus, & feriæ multum durarent, posset compelli satisdare de stando in iudicio finitis ferijs: *l. si adulterium cum incestu*, *§. fin. ff. ad l. Iul. de adult. Castr. d. l.* 1. *nũ.* 6. *in fin.* si autem citatus tempore feriarum non compareret, tunc quicquid fieret, esset nullum: *Castr. in d. l.* 1. *§. sed etsi Prætor, nu.* 5. *ff. de fer.*

256 Sed an sententia lata in istis feriis absque præuia renunciatione possit per partes ratificari; *Bal. in d. l. si feriatis, n.* 3. *vers. extra quæro hic vnũ, ff. de*

ff. de fer. tenet quod non; quia quod incongruè factum est, ratificari non potest,& ratihabitio non trahitur retro; vbi reperitur iuris impedimentū. An verò talis sententia posset in secunda instantia confirmari, dico quod nō, stante nullitate ex defectu iurisdictionis; & si enim feriæ non tollant iurisdictionem; tamen tollunt exercitium iurisdictionis cōtentiosæ: *Anchar. consil.* 201. *num.* 3. *circa fin. Bald. in l. cùm anteà*, *num* 8. *vers. & considera, C. de arbitr. Vant. de nullit. ex defect. iurisdictionis ordinariæ, num.* 130.

Item stante nullitate ex defectu citationis, quæ non valet ad diem feriatam; vt superius pluries dictū fuit. Sed non ne saltem poterit vel cōfirmari tanquam iusta, vel noua ferri ex eisdem actis? dic quod sic, quatenus iustitia probaretur ex actis factis tēpore iuridico, secùs si acta fuissent facta tempore feriato, quia tanquam nulliter facta non probarent; *Alexand. cons.* 53. *numer.* 17. *lib.* 5. *Gratian. in decis. Marchiæ dec.* 144. *num.* 8. *& 9.*

257 In ferijs autem in honorem Dei inductis maior est dubitatio, an consuetudo possit inducere, vt in illis decernantur, & fiant citationes, cùm ius resistat; vt in *dicta l. fin. C. de ferijs*; nihilominus videtur respondendum, quod sic, stante varietate opinionum: *Cyn. enim, & alij in dicta l. fin.* illam intelligunt, quod non debet admoneri illa die pro illa die: sed bene illa die pro alia; quod tamen *Bald. ibidem num.* 2. non credit esse verum, & stante etiam quod huiusmodi actus videātur esse voluntariæ iurisdictionis, & extraiudiciales, iuxta aliàs superiùs dicta;& vbi sunt opiniones, & rationes hinc indè consuetudo operatur tāquā optima legum interpres. *cap. cùm dilectus, de consuetud. Soccin. de citation. dict. artic.* 19. *sub numer.* 5. & per statuta, & consuetudines locorum possunt feriæ induci, & inductæ tolli, quia ius Canonicum vult, quod etiam in ferijs in honorem Dei seruentur consuetudines,& statuta locorum: *cap. Capellanus, de ferijs, Bald. in dicta l. si feriatis, num.* 3. *ff. de ferijs*; *& in l. quadraginta, C. eodem*; & ideò dico, quod valeret consuetudo indistinctè seruans, quod quis possit

cita-

citari die feriata etiã in honorẽ Dei pro non feriata, iuxta dicta per *Iac. de Arena*, & *Oldrad. in l. 1. §. nunciatio, ff. de nou. oper. nunc.* & *per Dyn.* & *Alberic. in d. l. fin. C. de fer.* & *per Bart. in dict. tract. de citation. quæst. 7. Gratus resp. 78. num. 15. lib. 2. Ant. Piagg. in tractat. de consuetud. quæst. 11. num. 44.* vndè dicta per *Castr. dict. cons. 271. nu. 3. videntur corruere.*

258 In quantum autem Doctores attestantur de consuetudine, dico illis non esse credendum, nisi consuetudo legitimè probetur: *Mohed. decis. 2. de consuet. Seraph. dec. 1349. Gabr. de probat. conclus. 4. sub num. 1. Greg. decis. 274. num. 5. vbi Adden. num. 8.* dicunt, hoc posse procedere in illis curijs, & foris, quibus Doctores versati non sunt, secùs autem in illis, vbi versati sunt, iuxta distinctionem, quã facit *Surd. decis. 74. num. 14. post Gabr. de probat. concluss. 4. numer. 2.* Sed considero, quod in primis difficilè esset probare, an quis in foro esset versatus, vel non; deindè consuetudo est quid facti, & Doctores in eorum lecturis, tractatibus, & consilijs, debent respondere super ijs, quæ in iure consistunt: *Bald. in l. consentaneũ in 5. oppos. C. quomod. & quan. Iudex, nu. 30. Ias. in l. de quibus, nu. 89. ff. de legibus, Cacher. decis. 141. nu. 16. Piagg. in d. tract. de consuet. quæst. 10. num. 60.* videtur tamen attestationem Doctorum super consuetudine facere præsumptionem, itaut illi stetur, donec contrarium probetur *Bart. in l. de quibus, in repet. ff. de legibus, sub num. 21. vers. & vltra credo, Dec. cons. 559. in causa venerabilis, sub nu. 6. vers. sed tamen, & cons. 694. pro resolut. num. 4. Natt. cons. 218. licet de iure, n. 4. lib. 1. Crauett. cons. 166. & 325. & cons. 462. & 497. Benint. decis. 65. num. 23.*

Quod intelligendum videtur in consuetudine, quæ non sit contraius, nam ea debet aliter probari: *Bald. in l. si is, qui bona, §. 1. in lect. antiq. vers. illa tamen consuetudo, ff. de pignor. Gramat. vot. 13. in causa terragnoli, num. 3. Piagg. dict. tractat. de consuetud. quæst. 10. num. 95.*

259 Quantum ad Curiæ consuetudinem, in ferijs generalibus decernuntur, & intimantur citationes, & ita loquitur *Rota in nou. decis. 1. de ferijs, & Cas-*

Cassad. decis. 5. *eod. tit.* in diebus autem feriatis in honorẽ Dei Cursores non citant; sed Mandatarij aliarum Curiarum Vicarij, scilicet Vrbis, Gubernatoris, & Capitolij.

DE COMPVTATIONE Dierum, & Terminorũ.

260 Deus diuisit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem: *Genes. cap.* 1. Dies igitur est, quãdo Sol lucet super terram, & aliquando habet duodecim horas, & aliquando plures, & aliquando minores.

261 Sed septem horas canonicas instituit Sãcta Mater Ecclesia, quibus Creatori laudes referantur, & recolatur passio Christi; *cap.* 1. *de celebratione Missarum*, ibi *Propheta dicẽte: Septies in die laudem dixi tibi; qui septenarius numerus à nobis impletur. Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vespere, & Completorij tempore nostræ seruitutis officia persoluamus, nàm de nocturnis vigilijs idem ipse Propheta ait, Media nocte surgebam, &c. ergò his temporibus laudes Creatori nostro super iudicia suæ iustitiæ referamus*; sed qua ratione septem horæ Canonicę, & non plures, nec pauciores distinctæ sint; refert *gloss. fin. in dict. cap.* 1. in verbo *septenarius*, dicens, *Sunt septem horæ, sicut sunt septem dona Spiritus sancti, septem dies sæculi, septem ætates, quibus completis, finietur mundus.*

Quæ autem his horis sint meditanda hoc carmine complectitur, *additio ad eamdem glossam*.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis,
Sexta Cruci nectit latus eius, Nona bipertit,
Vespera deponit tumulo, Completa reponit.

262 Sed quando Sol non lucet super terram, nox est; *l. hæc verba* 124. *ff. de verb. signific.* & habet duodecim horas in æquinoctio, & aliquando plures in hyeme, & aliquãdo minores in ęstate: & quattuor sũt eius partes, vna dicitur sero, altera media nox, tertia Galli cantus, quarta mane; ita locutus fuit Dominus Discipulis suis: *Vigilate ergò, nescitis enim, quando Dominus domũ veniat: Sero, an Media nocte, an Galli can-*

cantu, an mane, ne cùm venerit repentè inueniat vos dormiẽtes: Marci cap.13. in fin. sero est, quando factis tenebris, vix cognosci potest: *cap. si quis persodiens, de homicid.* media nox est in sexta hora noctis in æquinoctio scilicet, sed in alijs tẽporibus incipit diuersis horis, vt indicant Calendaria, & Lunaria perpetua.

263 Galli cantus sumitur pro illo tempore noctis, quod præcedit Auroram; ita Dominus dixit Petro: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam Gallus cantet ter me negabis: Matthæi cap.26.* Verum est, quod Galli audiuntur cantare etiam de die, atque etiam prima nocte; sed frequentiùs post mediam noctem canere solẽt versus Auroram, & illud tempus dicitur Gallicinium, quod vt aiunt, erat apud Romanos Castrensis vigilia. Mane dicitur extremum tempus noctis, quando incipit clarescere aër, idest Aurora: *Bart. in l. Titius, §. Lucius, num. 2. ff. de lib. & posthum. Felin. in cap. consuluit, col.3. num.6. de off. deleg. Angel. de Perus. in l.1. num.2. C. de custod. reorum.*

Consueuerunt Ciuitates, & loca proprijs Statutis decernere, vt sono Campanæ de sero principium noctis, & de mane illius finis indicaretur; de quibus statutis loquuntur *Doctores in l.2. §. hoc autem Senatus, & ibi Roman. ff. ad Sillan. Bald. in l. fin. C. de his, quib. vt indignis.*

Sancta autem Ecclesia instituit sonum Aue Mariæ Noctis, Diei, & Meridiei, vt supplices Beatissimam Virginem Dei Matrem Aduocatam nostram omni tẽpore salutemus.

264 Secũdum varietatem Regionum dies varijs modis fuit computatus, nec est mirum, cùm vnaquæque Natio, ac Prouincia soleat in suo sensu abundare, & leges maiorum interpretari: *cap. vtinam, 76. dist.* scribit *Varro in libris rerũ humanarum*; & refert *gloss. in l. more Romano, ff. de ferijs*; quod Athenienses cõputarũt diem ab occasu, Babylonij; ab ortu, Arabes à meridie. Nos autem quinque modis computamus diem, primo à media nocte, vsque ad aliam mediam noctem, quam Doctores appellant diem naturalem. Secundo à Vespera ad Vesperam, quam vocant Ecclesiasticam: Tertio à mane vsq; ad Vesperam, quàm artificialem appel-

pellant; quarto de momento ad momentum, quam vocant diem legalem; quinto & vltimo prout contrahentibus placet, quam vocant diem conuentionalem: *Bal. Castr. Ias. & alij in dict. l. more Romano, ff. de fer.*

265 More Romanorum computamus diem, vt incipiat à media nocte, & finiat in media parte noctis sequentis; & quicquid fit in his vigintiquattuor horis, idest duabus dimidiatis noctibus, & luce media perindè est, ac si quauis hora lucis actum esset: *d.l. more, ff. de ferijs.*

266 Hac computatione vtuntur Notarij, qui si faciunt instrumentum de nocte, debent actum attribuere diei, non autem nocti; & quod factum est ante mediam noctem, debent ponere sub die præcedēti, & quando post, subsequenti: *Innoc. Felin. & cæteri in cap. consuluit, de off. deleg. Bald. Angel. & Castr. in d.l. more, Alex. in cons. 190. nu. 20. lib. 6.* & tuta res est, quod Notarius scribat horam noctis, vt appareat, an actus conueniat diei præcedenti, an subsequenti: *Bald. in d. cap. consuluit, de off. deleg. num. 11.* & ibi *Felin. n. 6. Abb. num. 6. Ias. in d.l. more, num. 16.*

267 Possunt enim contractus fieri de nocte; *l. non minorem, C. de transact.* ibi *nec enim ad rescindendum pactum, sufficit; quod hoc secunda hora noctis intercessisse proponas, cùm nullum tempus sanæ mentis maioris vigintiquinque annis consensum repudiet.*

Item, & testamēta fieri possunt de nocte; *l. ad testium, §. penult. ff. de testam.* ibi *posse, & nocte signari testamentum, nulla dubitatio est,* ne tamen hæc fiant in obscuro, cùm testes debeant partes cōtrahentes cognoscere, ac etiam testatorem videre, requiruntur saltē tria luminaria; iuxta *tex. in l. 1. §. tria lumina, ff. de ventre inspic.* ibi *tria lumina, nec minus ibi sint, scilicet quia tenebræ ad subijciendum partum aptiores sunt; Duran. d. art. testan. tit. 2. caut. 8. nu 3.*

268 Et secundum hanc computationem diei naturalis, si quis fuerit citatus ad se præsentandum in termino decem dierum, vel fuerit positus in bannum, nisi se præsentauerit tali die, poterit se præsentare in vltima die, vsque ad mediam noctem; *gloss. 2. in dict.*

dict. l. more, vbi dicit *Angel.* quod Iudex debebit de sua Camera descendere ad suum Tribunal; vt recipiat præsentationem suam, & conficiatur publica scriptura, ne incidat in pœnam banni: sequitur *Castren. ibidem nu.* 5. hoc tamen *Alex. in eadem l. more, num.* 8.

269 Putat intelligendum si citatus nō fuit in culpa, vt quia non se arctauit, aliàs secùs; quia Iudex de nocte potest sui copiam non facere: *l.* 1. *§. dies, vers. quid ergò. ff. quando appellandum sit*, ibi *quid ergò si conditio horæ effecerit, vt se reciperet, si fortè dicta sit sententia iam suprema hora, vtique non videbitur se subtraxisse*; nàm imputandum est ei, qui se arctauit: *l.* 2. *§. si quis tamen cùm posset, ff. si quis caut.* ibi *nàm neque sic arctandus est, vt possit ei dici, cur non multo tempore ante profectus est* & hinc dicunt, quod Iudex non tenetur de nocte relaxare carceratum, nisi periculū esset in mora, aliàs enim Iudex non tenetur sui copiam facere de nocte: *Bald. in dict. l. more, & ibidem Alex. num.* 9.

270 Sed quid in solutionibus faciendis? dicit *gloss.* 2. *in dict. l. more*, quod in contractibus censetur tacitè actum, vt soluatur de die; & videtur, quod creditor possit recusare recipere solutionem de nocte; *l. si soluturus, ff. de solut.* ibi *quid enim si non opportuno tempore obtulerim*; est enim periculosa res de nocte aperire ostium, vel propter inimicos, vel fures, vel propter calliditatem debitoris, qui de nocte facilè posset creditorem decipere in qualitate monetæ, quod tamen intelligunt *Doctores in eadem l. more*, vbi *Alex. nu.* 10. esse verum, si creditor paratus sit prorogare dilationem, ne fortè debitor incideret in pœnam; nàm debitor potest etiā soluere de nocte; quia totum spacium temporis videtur esse positum in facultate ipsius debitoris: *l. qui hoc anno, ff. de verb. oblig.*

271 In materia conuentionis, quæ fit in Societatibus officiorum de nominando periculo vitæ infra quindecim dies proximos, quod prima dies debeat computari à media nocte eiusdem diei, qua contractus gestus est: censuit *Rota diuers. part.* 4. *decis.* 333. *per tot.*

272 Atque in materia reseruationis beneficiorum attenditur

tur hæc eadem computatio à medietate noctis, adeò vt si quis beneficiatus moriatur in nocte vltimi diei mẽsis Ordinarij, in quo scilicet Ordinarius posset conferre, si obitus contingit ante mediam noctẽ, beneficium censetur vacare in mense Ordinarij,& collatio ab eo facta tenet; si verò post mediam noctem, tunc censetur vacasse in principio mẽsis sequentis, qui est reseruatus Sedi Apostolicæ vigore regulæ octauæ Cancellariæ;& conferri non potest, nisi per Papam: *dict. l more Rom.* vbi *Ias. & alij, & cap. consuluit, de off. deleg.* vbi *Felin. nu. 6. Archid. in cap. quod à Patribus 75. distinct. num. 4.* & ibi *Turrecrem. Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gloss. 11. num. 17.* & ita respondit *Rota in Perusina parochialis 28. Iunij 1617. coram Card. Verospio*; me informante pro prouiso Apostolico contra prouisum ab Ordinario de beneficio Castri Crociani, quod vacauerat per obitum in nocte vltimæ diei Octobris, qui vigore alternatiuæ nõ erat reseruatus; sed quia obitus accidit post septimam horam noctis pulsatam, resolutum fuit vacasse prima die mensis Nouembris reseruati, attenta prædicta diei cõputatione, in qua non fiebat tota difficultas; sed in eo, quod prouisus ab Ordinario allegabat horologium non fuisse benè adaptatũ, & citiùs pulsasse; quæ tamen obiectio ex contraria testium depositione remansit sublata; & in loco, in quo non aderat horologium, fuit aliàs resolutum in vna *Auersana parochialis 12. Martij 1562. coram Oradino*. Beneficium vacasse in mense Apostolico per obitum Beneficiati, quia obijt in nocte vltimi diei mensis Ordinarij de tempore, quo Galli cãtabant, qui verisimiliter versus diem, & sic post mediam noctem cãtare solent; vt refert *Gonzalez reg. 8. gloss. 11. num. 16.*

273 Et in materia alternatiuæ fuit resolutum in *Pistorien. alternatiua 17. Octobris 1558. coram Quiroga*, quæ est penès *Garziam de Benef. 5. par. cap. 1. nu. 739.* quod Episcopus amisit beneficiũ alternatiuæ propter eius abusum, quia contulerat beneficium, quod vacauerat vltima die Iulij ante mediam noctem, vt in ea; & ideò in huiusmodi casibus rectè faceret Ordinarius, antequam conferret, si examinari faceret

testes de hora, & puncto obitus, & in ipso collationis instrumento annotari faceret ad euitandam dubitationem, an vacauerit beneficium in mense Ordinario, vel Apostolico: *Gonzalez d. gloss.* 11. *nu.* 11.

274 Est autẽ media nox, quando cœpit sonare hora duodecima secundum vsum Hispaniarum, & hora sexta secundum vsum Italiæ scilicet in æquinoctio; in alijs verò temporibus media nox accipitur secundum magnitudinem, & paucitatem dierum, vt ex Calendarijs, seù Lunarijs perpetuis; *Sanchez. de matr. lib.* 2. *disput.* 41. *nu.* 40. *Garz. de benef.* 5. *par. cap.* 1. *n.* 524. *& n.* 525.

275 Vbi dicit, quod stante diuersitate horologiorum, attenditur horologiũ Parochię, vel viciniæ, in qua defunctus obijt.

276 More Hebræorum, quibus præceptum fuerat, vt à Vespera vsque ad Vesperam Sabbata celebrarent, vt in *Leuit. cap.* 23. *cap.* 2. *de ferijs*, Sancta Mater Ecclesia computat diem à Vespera in Vesperam: *cap.* 1. *de ferijs*.

277 Qua computatione vtitur in indulgentijs, quæ incipiunt à Vesperis vigiliæ Festiuitatis, & durant vsque ad Vesperas diei festi; & etiam in celebratione diuinorũ: *cap. fin. §. adijcimus, de sententia excom. lib.* 6. & ibi *gloss.* in verbo *Assumptionis, gloss. in c.* 2. in verbo *prius, de fer. Castr. in d.l. more, ff. de fer. num.* 2. *& ibidem Ias. nu.* 2. *&* 3. quæ computatio hodie non est iuris Diuini; sed iuris Canonici: *Abb. in cap. quoniam, de ferijs*.

278 Quo verò ad ieiunium, & ad esum carnium aliter computat eadem Ecclesia diem, videlicet post Cœnam: *cap. de esu, de consecrat. dist.* 3. ibi *de esu carnium apud vos vetustissima, & non improbanda traditio semper est tenenda, vt à cœna termino in principio noctis*; adde *gloss. in cap.* 2. *de fer.* in verbo *prius*, & terminus cęnæ intelligitur media nox, sicut enim media nox quoad ieiunium incipit à media nocte, ita & abstinentia carniũ, adeò, quod si Cœna protraheretur vltra mediam noctem, abstinendum esset ab esu carnium, succedente die veneris, vel alterius vigiliæ: *Abb. in d. cap.* 2. *de ferijs, nu.* 4. *Summa Angelica* in verbo *dies festus*.

279 Sed quoad festiuitatem, & solemnizationem festi, & cessatio-

fationem ab operibus seruilibus nō computatur ab Ecclesia dies à Vespera ad Vesperā; sed finit, vt incipiat, & finiat secundum consuetudinem locorum; *cap.2.de ferijs*, ibi *licet scriptum sit de vespera in vesperā, celebrabitis Sabbata vestra: festorum tamen principium, & finis, iuxta eorum qualitatem, & diuersarum Regionum consuetudinem debet attendi; & in cap.consilium,de obseruat. ieiun.* ibi *de festiuitate verò B. Bartholomæi Apostoli, de cuius celebritate dubietas oritur apud quosdam, respondemus, quod in hoc consuetudinem tuæ regionis obserues.*

280 More Babyloniorum, qui cōputabant diem ab ortu Solis, computamus diem à mane vsque ad vesperas: iuxta *text. in Genesi, cap.1.*ibi, *Factumque est vespere, & mane dies vnus*; vndè cecinit *Diuus Ambrosius in suo Hymno*, quem canit Sācta Mater Ecclesia in diebus Dominicis, *Lucis Creator optime*, ibi *Qui mane iunctum Vesperi diem vocari præcipis*, quæ dies sic cōputata à mane vsq; ad vesperas, exclusa nocte, nō habet certas horas; sed aliquādo pauciores, secundum quod dies longiores sunt in æstate, & breuiores in hyeme: *Castr. in d.l. more*; & à nostris Doctoribus appellatur artificialis, non quia artificio hominis constet, & nō Natura; sed quia ad artificiū, & ad actus hominū applicatus est iuris artificio: *Bal. in d.l. more, nu.2. ff. de fer.*

281 Hæc computatio fit in actibus, qui fieri non solent de nocte, vtpotè in actis iudicialibus, quæ de nocte fieri nequeunt: *l.2.§. deinde cùm esset necessarius*, ibi *de Magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconueniens erat ff. de orig. iur. cap. consuluit, de off. deleg.* ibi *nec verò iudicium ecclesiasticum exerceatur in tenebris; quia iuxta testimonium veritatis, qui male agit, odit lucem*; & inferius *nos tamen eam procedendi horam congruam intelligimus, ex qua possit ante noctis tenebras perficere, quod incūbit*; & per eundē *tex. gloss. in c.2.*in verbo *prius, de fer.* dicit quod dies quoad iudicium incipit de mane, & terminatur in fine diei ante noctis tenebras.

282 Et quod Iudex debeat sedere de die, vsq; ad tenebras, dicitur in *§. sedebunt, in auth. de Iudicib.* Sanè periculosa res esset, quod Iudex sederet, & acta fierent de nocte; nàm

vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones, dicebat Horat. & à furuo, ideſt nigro furtum dicitur, quia clàm,& occultè fit maximè de nocte; *§.2. instit. de oblig. quæ ex delict.* & ipſa natura ſuadet, vt in nocte ſileant iurgia iudiciorũ, Vndè *Valer. Flacc. lib.5. argonaut.* canebat.

Nox hominum genus,& duros miſerata labores.
Retulerat feſſis optata ſilentia rebus.

283 Sed an acta facta, & ſentẽtia lata de nocte valeant, declarat *gloſſ.in d.§. ſedebunt, in verbo in matutino, in auth. de Iudic.* quod Iudex poteſt iudicare de nocte ex voluntate, ſed in die de neceſſitate:altera *gloſſ.in d.cap. conſuluit, in verbo tenebras,de off. deleg.* dicit in hæc verba,*quid ſi Iudex proceſſit in tenebris ad lumen candelæ, vel ad conteſtationem litis, vel ſententiam protulit, nũquid valeat, quod agitur, credo, quod valeat Proceſſus, licet procedi non debuerit, dũmodò aliud non impediat, & præcipuè ſi Iudex honeſtus, cùm hic non dicatur, quod ſi proceſſum fuerit,non valeat; quia multa fieri non debent, facta tamen valent, alij fortè contra*. Ego dico in hac re, quod actus iudiciales, qui requirunt citationem partis, de quibus diximus *ſupra in cap.*8. & dicemus infra in *cap.*14. ſi fiant de nocte non valent, quia citatio debet continere tempus certum & congruum; vt ſupra dictum eſt in *cap.9. num.*473.

284 Et ideò ſi quis citaretur ad comparendum de nocte ad videndum fieri aliquem actum, non teneretur comparere; quia tempus non eſt cõgruum, & citatio eſt nulla: *Abb.in d.cap. conſuluit, de offic. deleg. ſuper gloſſ. in verbo tenebras, nu.*14.

285 Et ſi citaretur vel ad certam diem, vel ſine die,intelligeretur citatus ad diem iuridicam hora ſolita *Innoc.in cap. cùm nobis olim, de elect. Bart. & alij in dict.l. more, vbi Caſtr. num.5.& Alex.num.*8. & ideò ſi actus fieret de nocte, tanquam extra terminũ citationis non valeret; vt dictum eſt ſupra *cap. 9. num.*473. *& ſeq.*

286 Si tamen vel partes conſentirent, vel eſſent præſentes, vel conſuetudo extaret, vtique proceſſus, & ſententia valeret de nocte: *Doct.in dict. l.more, Angel.de Peruſio num.*7. *Iaſ. nu.*12.qui amplius dicunt ſen-

sententiam ferri posse de nocte, vel propter multitudinem causarum, vel propter necessitatem, quia vel res esset peritura, vel expiraret iurisdictio: *cap. consuluit, de off. deleg. Ias. vbi supra, dict. num. 12. Soc. reg. 359. in verbo sententia regulariter de nocte.*

287 Actus autem extraiudiciales possunt fieri de nocte: *Doct. in l. non minorem, C. de transact. Ias. in l. non solum*, §. *morte, col. 20. num. 43. ff. de oper. nou. nunc. Dec. in cap. consuluit, col. 3. num. 5. de off. deleg.*

288 Et ideò arbitrator, qui assumitur de iure, & de facto, & procedit extraiudicialiter, vtique procedere, & pronunciare potest de nocte, cùm etiam arbitramentum sit quædam transactio: *Bart. & alij in auth. si verò contigerit, C. de iud.* quæ vt dictum est, fieri potest de nocte; *d. l. non minorem, C. de transact.* secùs in sententia arbitrorum, cùm arbitria sint redacta ad instar iudiciorum; *l. 1. ff. de arbitr. Ias. in d. l. more, num. 12. ff. de fer.*

289 Eodem etiam modo computatur dies ab ortu Solis vsque ad occasum in operibus, vt laboratores, & operarij, qui locant operas teneantur operari de die, non de nocte: sed vbi adsit alia consuetudo Regionis, seù artis, ea debet obseruari, vt etiam ante diem debeant laborare, & operas præstare, prout sũt Fabri Ferrarij, & similes, qui de nocte surgunt, & operantur: *Rebuff. de verb. signific. l. 2. vers. aduertendum est artificialem diem.*

290 In delictis etiam attenditur dies artificialis, prout est diuersus à nocte, iuxta *text. in l. hac verba 124. ff. de verb. signific.* ibi *aut dies, aut nox est, quorum posito altero necesse est tolli alterum.*

291 Ideò quandoque excusatur occidens in nocte, qui non excusatur in die. *tex.* est in *cap. si perfodiens de homicidio*, ibi *si perfodiens inuentus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputãdum, si autem oriatur Sol super eum, reus erit; intelligitur ergò non pertinere ad eum homicidium, si fur nocturnus occidatur: si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere; hoc est enim, quod ait si oriatur Sol super eũ, & cætera, quia poterat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset; & ideò non debet occidi. Hoc etiam in antiquis legibus sæcularibus, quibus*

ista antiquior inuenitur, impune scilicet occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnũ, autem si se telo defẽderit, iam enim plus est, quàm fur; & hoc est, quod dicitur in *l.itaq; ff. ad l. Aquil.* ibi *lex 12. tabularum noctu furem permittit deprehensum occidere, vt tamen ad ipsum cum clamore testificetur, interdiu autem deprehensum ità permittit occidere: si is se telo defendat; vt tamen aquè cum clamore testificetur*; ratio differentiæ est, quia inueniens furem nocturnũ est in duplici periculo, personæ ne occidatur, & rerum, ne ipse aufugiat cum rebus, vt nõ possit recognosci; sed diurnum inueniens non est in periculo vitæ, nisi quãdo telo se defendit, & si cum rebus aufugiat, potest illũ recognoscere, & accusare: *gloss. in l. furem nocturnum, ff. ad l. Cornel. de Sicar.*

292 Et quandoque etiã delinquens de nocte grauius punitur, quàm delinquens de die, quia tẽpus noctis aggrauat delictum; *l. Graccus, C. ad l. Iul. de adult.* & quod fit de nocte nõ dicitur propriè commissũ de die, licet *tex. in d. l. more, ff. de fer.* dicat quod duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum est, perinde est quasi quauis hora lucis actũ est, quia dictio perinde denotat improprietatem, quæ nõ habet locũ in delictis, & in statutis: *l. 3. §. hac verba, ff. de neg. gest.* & ibi *Bar. Ias. in d. l. more, nu. 7.*

293 Hinc si statutum duplicat penam delicti, quando cõmittitur in die festo, intelligitur de die artificiali ab ortu vsque ad occasum; nõ autem de naturali à media nocte ad aliam mediam: *Fel. in d. cap. consuluit, de off. deleg. nu. 6. circa med.* ita respõdit *Federic. de Sen. cõs. 44.* & sequũtur *Doct. in d. l. more*, videlicet *Castr. n. 4. Alex. n. 2. Ias. n. 6.* & est tex. elegans, & notabilis *in l. 1. C. de cust. reor.* ibi, *& permaneat sub fida custodia; nec vero sedis intimæ tenebras pati debebit inclusus; sed vsurpata luce vegetari, idest subleuari, & vbi nox geminauerit custodiam in vestibulis carcerũ, & salubribus locis recipiatur; ac reuertẽte iterum die ad primum Solis ortũ illicò ad publicum lumen reduci, ne pœnis carcerum perimatur, quod innocẽtibus miserũ, noxijs nõ satis seuerum esse dignoscitur.*

294 Et ideò quicquid cõmissum est ante ortum Solis dicitur commissum de nocte, nisi adsit statutum determinans diem, vel noctem ad sonum cam-

campanæ, vel nisi adsit tanta claritas, vt attribuendum sit diei, vel tanta obscuritas, vt attribuendũ sit nocti; *Io. Andr. in d. cap. si perfodiens de homicid. Clar. in prax. crim. q. 88. statuto 9. nu. 4. Castr. d. l. more, nu. 3.* & ibi *Adden. litt. A.*

295 Dies iuxta quartam computationem supra præmissam computatur de momento ad momentum, & dicitur dies legalis: *Castr. in d. l. more Romano, nu. 2. ff. de fer.* & secundum hanc cõputationem, dies potest incipere à qualibet hora, & qualibet parte diei, videlicet de Mane, Vespere, seù Meridie, secũdum quod occurrit de facto: *Bal. in d. l. more, nu. 3.* qui dicit, quod talis dies appellatur etiã dies emergens, sicuti etiam dicimus annum, & mensem emergentem; & hac computatione vtimur in tempore, seù termino à lege præfixo, vt à principio statim currat, & in fine debeat compleri vsque ad vltimum momentũ, quod tamen perpetuũ nõ est.

296 Respectu initij, quãdo lex vult, quod aliquid fiat eodem die, intelligitur de reliqua parte eiusdem diei, exemplum est in *l. Paulus, la 1. ff. de re iud.* ibi *debere supplere, scilicet eod. die*; vnde *Bald. in l. terminato, C. de fruct. & lit. expens. nu. 9.* quærit vtrum dies, de qua loquitur *d. l. Paulus*, intelligatur de naturali viginti quattuor horarũ, & respondet quod non; sed de illa die iudiciali, & emergenti, in qua lata est sententia, vndè infert, quod si sit lata in crepusculo noctis, nõ poterit mane condemnare; quia reuera est eadẽ dies, sicut ostẽdit cursus Syderũ, & reuolutio Cæli.

297 Itẽ quando lex vult, quod minor viginti quinque annis restituatur, tunc computatur tempus natiuitatis de momẽto ad momentum: *l. 3. §. minorem, ff. de minor.* ibi *minorẽ autem vigintiquinque annis natu videndum an etiam diem natalis sui ad hoc inspiciemus, an horã, in qua natus est; vt si captus sit, restituatur; & cùm nondum compleuerit, ita erit dicendum; vt à momento in momentũ tempus spectetur, proindè et si bisexto natus est, siuè posteriore die, Celsus scribit nihil referre; nàm id biduum pro vno die habetur, & posterior dies Kalendarum intercalatur.*

298 Et ita lex, quia dat spaciũ decem dierum ad appellandũ, declarat illud esse à sententiæ reitatione numerandum: *auth.*

auth. hodie, *C. de appellat.* sic etiam antiqua lex, quę statuerat biduum ad appellandum, declarauit statim à tempore sententiæ computandum: *l.1. §. biduum*, *ff. quando appellandum sit*.

299 Respectu autē finis, quando lex præfigit certum tempus, aliquando requirit, vt sit impletum vltimum momentum, vt in *l.in omnibus*, *ff. de act. & obligat.* vbi dicitur *in omnibus temporalibus actionibus, nisi nouissimus totus dies impleatur, non finit obligationem*; & in *l.excusantur*, *ff. de excusat. tut.* vbi dicitur *excusantur à tutela, & cura, & qui septuaginta annos expleuerunt excessisse oportet 70. annos tēpore illo, in quo creantur*; & in *l.maiores*, *ff. de iure immunitatis*, ibi *maiores septuaginta annis à tutela, & muneribus vacant*; *sed qui ingressus est septuagesimū annū, nondum egressus hac vacatione non vtitur*; *quia non videtur esse maior septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum*; *& in cap. commissa*, *de elect. in 6.* habetur, quod prouisus de Parochiali, ea priuatur, si infra annum nō fuerit promotus ad Sacerdotiū, qui annus debet esse completus ....;

300 Aliquando autem lex cōtenta est, vt vltima dies termini sit cępta, licet non completa; vt in *l. anniculus non est 134. ff. de verb. signific. Anniculus non est statim, vt natus est*; *sed tricentesimo sexagesimo quinto die dicitur*; *incipiente planè non exacto die*; *quia annum ciuiliter, non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus*; & in *l.1. ff. de manumiss.* ibi *iam autem minor non est, qui diem supremum agit anni vigesimi*.

Et in *l.vsucapione*, *ff. de diuers. & temp. præscr. ibi in vsucapione ita seruatur, vt etiam si minimo momēto nouissimi diei possessa sit res nihilominus repleatur vsucapio, nec totus dies exigatur ad explendum constitutum tempus*; & in *l. ad Rempublicam*, *ff. de muner. & hon.* ibi *ad Rempublicā administrandam ante vigesimum quintum annum, vel ad munera, quæ nō patrimonij sunt, vel honores admitti minores non oportet; minores denique nec decuriones creātur, vel creati suffragium in Curia ferunt. Annus autem vigesimus quintus cœptus pro pleno habetur; hoc enim in honoribus fauoris causa constitutum est, vt pro plenis inchoatos accipia-*

piamus; & in *l. qui filium, §. Sabinus, ff. ad Trebell.* vbi fauore filij annus habetur pro incœpto; & in *l. qua ætate, ff. de testam.* vbi masculi possunt testari post decimum quartum annũ, fęminæ post duodecim, & vltima dies sufficit, quod sit cœpta; & in *Clem. fin. de ætate, & qualitate*, ibi *Generalem Ecclesiæ obseruantiam volentes antiquis iuribus in hac parte præferri, decernimus, vt alio non obstante impedimento canonico possit quis liberè in decimo octauo ad Subdiaconatus in vigesimo ad Diaconatus, & in vigesimo quinto ætatis suæ anno ad Presbyteratus ordines promoueri.*

301 Tandem iuxta quintam, & vltimam computationem, vt supra præmissam computatur dies conuentionalis, vt incipiat, & finiatur eo modo, quo vel in contractibus, vel in vltimis voluntatibus expressè conuentum est, vel dispositum, vel tacitè esse conuentum, & dispositum ius interpretatur *Castr. in d. l. more*, & ibi *Ias. & alij*, vbi enim certa dies non apponitur pro termino, tunc ius interpretatur, vt tempus statim currat; *l. eum qui Kalendis, §. quotiens, ff. de verb. oblig.* ibi *quotiens autem in obligationibus dies non ponitur, præsenti die pecunia debetur; nisi locus adiectus spacium temporis inducat, quo illo possit perueniri. Verum dies adiectus efficit, ne præsenti die pecunia debeatur; ex quo apparet diei adiectionem pro reo esse, non pro stipulatore.*

Et quando quis promittit in nundinis, intelligitur de die vltima: *l. eum, qui certarũ nundinarum diebus dari stipulatur, primo die nundinarũ posse petere ait Sabinus; Proculus autem, cæterique diuersæ scholæ authores, quamdiù vel exiguũ tempus ex nundinarum spatio superesset, peti non posse existimabant; sed ego cum Proculo sentio.*

Sic etiam promissum hoc anno, aut mense, intelligitur de vltima die anni, vel mensis: *l. qui hoc anno, ff. de verb. obligat.* ibi *qui hoc anno, aut hoc mense dari stipulatus sit; nisi omnibus partibus præteritis anni, vel mensis, non rectè petet.*

302 Et in vltimis volũtatibus si cui legetur cùm quattuordecim annorum erit, lex intelligit tunc aliquem esse annorum quattuordecim, cùm eos impleuerit: *l. si cui legetur 51. ff. de leg. 1.* sed si relictum sit ali-

alicui, cùm peruenerit ad annos sexdecim, lex interpretatur, vt sufficiat attigisse decimum sextum annum: *l. Seius Saturninus, ff. ad Sen. Conf. Trebell.* item si relictum sit, cùm annum vigesimum ętatis peruenisset, interpretatur lex ex coniecturata mente, vt vigesimus annus sufficiat esse cœptus, licet nō completus, vt in *l. qui filium, §. Sabinus, ff. ad Sen. Conf. Trebell.* & si aliquid relictum sit duodecimo anno lex interpretatur ex coniecturata pariter mēte Testatoris, vt satis sit duodecimum annum esse inchoatum; vt in *l. si ita fuerit libertas, ff. de manū. test.* vbi subiungitur in hæc verba, *& inter hos sermones duodecimo anno, & post duodecim annos, multum interest.*

303 Hactenus diximus de cōputatione dierum, sed quia in citationibus, & terminis, seù dilationibus nedum ponitur dies; sed aliquando mēsis, & aliquando annus; ideò dicendum erit etiam de mensis, & anni computatione; & quia terminus habet principium, medium, & finem; ideò videndum erit, an terminus à principio currat statim de momento ad momentum, an verò à die scientiæ; & an dies termini computetur in termino; & in medio an connumerari debeant dies vtiles, an continui; & in fine an dies cępta habeatur pro completa. Materia hęc est admodum frequens, & vtilis, sed multum scabrosa, difficilis, & intricata, & vt aiunt brocardica; possem illam sicco pede pertransire; sed ne in difficilioribus viderer omninò defecisse, pro viribus qua potero breuitate, & facilitate illam conabor explicare.

304 Quo igitur ad computationem mensis, connumerantur dies naturales, non autem ecclesiasticę, neque artificiales.

Et quicquid fuerit in primis Vrbis initijs, nos computamus duodecim mēses, quorum quattuor ex triginta diebus, septem ex triginta & vno, & vnus ex viginti & octo diebus; vndè versus positus per *gloss. in l. cùm bissextus, ff. de verb. signific.* in verbo *vigintinouem*.

Iunius, Aprilis septemque, nouemque tricenos;
Plus vno reliqui; sed febrius octo vicenos.

305 Februarius enim aliquando habet dies viginti nouem, videlicet in omni quarto anno,

no, quo est bissextus, ratione sex horarum, quæ sunt in anno, vltra tricentum, & sexaginta quinque dies; quæ in quattuor annis faciunt viginti quattuor horas, & sic vnũ diẽ, qui attribuitur Februario; & quia dies B. Matthię est famosus, ideò illo die ponitur iste dies bissextilis; vndè versus

Bissextũ sextæ Martij tenuere Kalendæ,
Posteriore die celebrantur festa Matthiæ.

Ità refert *gloss. in d. l. cùm bissextus*, in verbo *in Kalendis est*; & in verbo *Kalendis est, ff. de verb. signific.* quæ in verbo *vigintinouem* reddit aliam rationem, quare ille dies attribuitur Februario? quia minor erat; isti autem duo vltimi dies pro vno computãtur: *d. l. cùm bissextus*, ibi *cùm bissextus in Kalendis est, nihil refert vtrum priore, an posteriore die quis natus sit: & sic deinceps sexto Kalendas eius natalis dies est, nàm id biduum pro vno die habetur; sed posterior dies intercalatur, non prior; ideò quo anno intercalatum non est: sexto Kalendas natus, cùm bissextus Kalendis est, priorem diem natalem habet*, & idem habetur in *l. 3. §. minorem autem, ff. de minor.* ibi *proinde etsi bissexto natus est, siuè posteriore die, Celsus scribit non referre; nàm id biduum pro vno die habetur, & posterior dies Kalendarum intercalatur.*

306 Quando mensis proprio nomine nominatur, intelligitur de totidem diebus, quot ille mensis habet; sed quando nominatur nomine appellatiuo, intelligitur de triginta diebus: *Dec. & Cagnol. in l. vbi lex, ff. de reg. iur.* & addit. *Io. Andr. ad gloss. in cap. quàm sit, de elect. in 6.* in verbo *mẽsem* ait, quod vulgus sic recipit: & pro hoc adducit *tex. in cap. de illicita, 24. quæst. 3.* qui apud me non probat, cùm pro termino non apponat mensem; sed dies: itaque melius facit *text. in l. fin. in princ. C. de iure delib.* ibi *infra trium mensium spaciũ*; & inferius ibi, *vt intra triginta dies*; & inferius ibi *intra alios sexaginta dies*; & ita cùm dicta l. præfigat terminum trium mensium ad cõficiendum inuentarium, declarat pro quolibet mense computandos esse solos triginta dies. Hinc terminus ad soluendum debitum in forma Camerę conceditur triginta dierum, & non vltra: iuxta *Reformat. Pij V. Salust. Tiber. in sua praxi lib. 1. cap.*

cap.88.num.22. Aliqui dixerunt, quod in fanorabilibus mẽſis ſimpliciter prolatus debet intelligi de diebus triginta & vno, in odioſis autem de ſolis triginta: *Barbat.in prima addit.ad Bald.in cap.1.quo tempore mil.inueſtit.pet.deb.in vſib. feud. M. Ant. Bard. in ſuo tractat. de tempore vtil. & continuo cap.2. ſub num.2. Dec.in d.l. vbi lex, ff. de reg. iur. in fin.*

Sed omiſſa differentia de materia fauorabili, & odioſa: *gloſſ.in d.cap. quàm ſit, de elect. in 6.* in verbo *menſem*; ſentire videtur, quod menſis debet intelligi tot dierum, quot habet ille menſis, in quo datur dilatio; ita vt dies illius menſis, qui erant lapſi ante tempus datæ dilationis, ſupplentur de menſe ſequenti, ſequitur *Put.deciſ.442. num.7. lib.2.* & propterea ſi terminus menſis aſſignetur tertia Februarij, finietur tertia Martij, & ſic erit menſis viginti octo dierum prout Februarius, in quo fuit data dilatio, ſic ſi aſſignetur dilatio menſis in die vigeſima quinta Februarij, finietur vigeſima quinta Martij; & pariter computabuntur, totidem dies, quot habet Februarius.

Similiter ſi aſſignetur dilatio menſis in die decima Ianuarij, finietur die decima Februarij, & ità connumerabuntur triginta & vnus dies, prout tot habet idem menſis, Ianuarij, at ſi detur dilatio mẽſis ſub die decima Aprilis, tũc finietur decima Iunij, & ita menſis aſſignatus nomine appellatiuo habet triginta dies, quot habet idem mẽſis Aprilis; & ita etiam loquitur *Bald. in l.1. ff. ſi quis caut. ſub nu.5. verſ. 4. & vltimo*, & in *l. eos, §. ſin autem, num.7. verſ.dixi ſuperius, C. de appellat. Rot. in recent.par.2.deciſ.144. num.2.* adde *gloſſ.in cap.vn.de cẽſibus, in extrauag.commun.* in verbo *datum*; quæ dicit, quod menſis intelligitur tot dies habere, quot habet menſis, in quo negocium faciendum occurrit, & quod deficit in menſe occurrenti, ſuppletur de menſe ſequenti; vt notat *Io.Andr. in d. cap.quam ſit, de elect. in 6.* & ita communiter ſeruatur, vt notat *Butr.in cap. licet, de ſupplen.neglig.Prælatorum*, & *Bart. in l.cùm biſſextus, ff. de verb. ſignific.*

Quando ſit mentio de duobus menſibus, tunc intelligitur de ſexaginta & vno diebus; iuxta reſpõſum *Pauli I.C.*

in

in l. vbi lex, ff. de reg. iur. cuius verba sunt hæc; *vbi lex duorum mensium fecit mentionem; & qui sexagesimo primo die venerit audiendus est*; vbi *gloss.* dicit, quod ea lex procedit ex benignitate, & quod secus est in contractibus; & testamẽtis.

Sed ego non video, in quo consistat hæc benignitas.

Nàm si iungamus mensem Martij, cum mense Aprilis cõstituunt dies sexaginta vnum, idem est si iungatur mensis Maij cum mense Iunij, & mẽsis Septembris cum mense Octobris, & etiam mensis Nouembris cum mense Decembris, punctus stat in mense Ianuarij, & Februarij, qui insimul faciunt dies quinquaginta nouem, & in bissexto sexaginta, sed suppletur ex mense Iulij, & Augusti, qui insimul faciunt dies sexaginta duos, & deficit solus vnus dies in vno bimestri, quando non est bissextus, nihilominus quia dicta lex loquitur in dispositione legis, videtur, quod nõ habeat locum in contractibus, & vltimis volũtatibus, in quibus attẽditur communis vsus loquendi; iuxta dictam *gloss. in d. l. vbi lex*; & iuxta dicta per *Cagnol. ibid. num. 2. & seqq.*

Hæc de computatione mẽsis sequitur dicendum de cõputatione anni.

307 Annus secundum varietatem nationum, & temporũ variè fuit computatus: fertur, Aegyptios fuisse primos anni inuentores, eumque constituisse duodecim mensium, & menses triginta dierum: omissis alijs nationibus, in primo Vrbis initio Romulus instituit annum decem mẽsium, quem inchoauit à mense Martij, ita nuncupato à patre suo Marte, & menses constituit triginta dierum, adeò vt annus erat tricentorum dierum, sed Numa Pompilius addidit duos menses, Ianuarium à Iano, qui fuerat primus Latinorum Rex, nuncupatum, & Februarium ita dictũ vti Februo Deo dicatum.

Sed Iulius Cæsar volens annum accommodare ad cursum Solis, addidit decem dies, & horas sex; & hinc est, quod menses alij habent triginta, & alij triginta vnum dies, atque quod ex dictis sex horis omni quarto anno crescit vnus dies, & fit bissextus ex relatis per *Polid. Virgil. de inuent. rerum, lib. 2. cap. 4.*

308 Annus igitur, quo vtimur con-

constat ex tricentis sexaginta quinque diebus: *cap. quadragesima, de consecrat. distinct. 5.* ibi *verbi gratia, si per tricentos sexaginta quinque dies annus voluitur, & nos per triginta, & sex dies affligimur; quasi anni decimas Deo damus, & l. cùm hæres, §. Stichus, ff. de statu lib.* ibi *Stichus si hæredi meo anno seruierit, liber esto; quærendum est, annus quomodo accipi debeat, an qui ex continuatis diebus tricentis sexaginta quinque constet, an qui bissexto; sed superius magis intelligẽdum Pomponius scribit*; & idem habetur in *l. ita vulneratus, ff. ad l. Aquil.* ibi *repetitis ex die vulneris tricẽtis sexaginta quinque diebus; & gloss. in l. 3. §. minorem autem, ff. de minor.* dicit quod annus vltra tricẽtos sexaginta quinque dies, habet etiam sex horas plus secũdum Philosophos, quæ sex horæ collectæ in quattuor annis faciũt viginti quattuor horas, quæ constituunt vnum diem naturalem, qui attribuitur Februario; & ita annus, quo vtimur constat ex duodecim mensibus, ex quibus vt supra quattuor habeant dies triginta, & septẽ triginta vnũ, & Februarius habeat viginti octo, qui omnes insimul constituunt dictum numerũ tricentorum, & sexaginta quinque dierum, & tempore bissexti, addito vno constituunt 366. dies.

309 Iste annus diuiditur in quattuor tempora, vnum dicitur Hyems, quod incipit in medio Nouembris, & durat tribus mensibus; finita Hyeme succedit Ver, & durat tantundem simili computatione habita; posteà sequitur Aestas; & deindè Autumnus, qui eodem modo computantur; vt etiam dixit *gloss. in l. 1. §. æstatem, ff. de aqu. quot. & æstiu.* in verbo *Autumnali*, sed *Iur. Cõs. in d. §. æstatem*; diuidit annum in duas partes, vt vna sit Ver, & Aestas, & altera sit Autumnus, & Hyems ibi *æstatem incipere sic peritiores tradiderunt ab æquinoctio Vernali, & finiri in æquinoctio Autumnali; & ita senis mensibus æstas diuiditur, atque hyems.*

310 Annus iste varia etiam habet initia secundum consuetudinem locorum, computatur enim vel ab Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi, vel ab eius Natiuitate, vel à principio mensis Ianuarij in festiuitate eius Circumcisionis. Verissimum enim est seruan-

tiandam esse consuetudinem, & secundum illam annos esse inchoandos: *Specul. de instr. edit. §. breuiter commemoremus, num. 6.*

311 Sancta Ecclesia Romana computat Annum sanctum à festo Natiuitatis D. N. Iesu Christi, vt in *extrauag. com. de pœnit. & remiss. cap. 1. §. nos de Omnipotentis Dei misericordia:* videlicet à Vigilia Natiuitatis Domini; vt in in *cap. fin. eodem tit.*

312 Sed Curia Romana quolibet anno computat annum Domini in festo Natiuitatis eiusdem; vt ait *Rota in antiq. decis. 2. de verb. signific.* & quod eodem modo computat Italia, Hispania, Aragonia, Catalonia, Dacia, & Vasconia in festo Natiuitatis Domini die 25. Decembris, refert eadem *Rota in antiq. decis. 17. de iudicijs.*

313 Subiungens quod in Regno Franciæ, Alamaniæ, & Angliç computatur Annus in festo Annunciationis Beatæ Mariæ; quod est die 25. Martij, reddit rationem; quia quælibet Prouincia, & quælibet loca mundi circa hoc possunt abundare in sua consuetudine: ad *text. in cap. certificari, de sepult.* ibi *nos tale præbemus in hac varietate responsum, vt sicut Beatus Hieronymus inquit, vna quæque Prouincia in suo sensu abundet secundum rationabilem consuetudinem Regionis;* & idem refert *Rota in nouis, dec. 3. de Iud.* quod ab ipso die Natiuitatis D. N. Iesu Christi, & non à die Circumcisionis est computandus, & inchoandus in Romana Curia annus: & *decis. 4. eodem tit.* dicit, quod in Anglia, & Francia annus Incarnationis Dominicæ non incipit post annum Natiuitatis sicut secundum cursum Romanæ Curiæ, sed post mēsem Martij cōcurrunt sub eodem numero tàm annus à Natiuitate præcedens, quàm annus Incarnationis subsequens, quod etiam refert *gloss. in cap. vnic. de censib. in extrauag. cōmun.* in verbo *datum.*

314 Et hoc, quod annus à Natiuitate computetur à die vigesima quinta Decembris, & annus ab Incarnatione à die vigesima quinta Martij; & ita annus à Natiuitate præcedat per tres menses annum Incarnationis, procedit ex obseruantia, & consuetudine, vt de cōsuetudine Cremonæ testatur *Bertazzol. de clausul. instrum. claus. 1. gloss. 2. nu. 2. & seq. &*

Cyriac. Niger. controuerf. par. 2. controuerf. 397. num. 1. & seq. Nàm aliàs prius deberet inchoare, & præcedere annus ab Incarnatione, quàm à Natiuitate, cùm Incarnatio nouem mēsibus præcesserit Natiuitatem: hinc *Couarr. Var. resol. lib. 1. cap. 12. num. 2.* referens, quod Pisani initium anni Incarnationis sumūt nouem mensibus ante Natiuitatem, ait quod hic vsus quibusdam magis placuit, quàm is, quo Florentini vtuntur tribus mensibus post Natiuitatem incipientes numerum annorum Incarnationis. Hæc de computatione anni; sequitur vt dicamus de termino, an currat de momento ad momentum.

315 Et in primis distinguo aut terminus est præfixus à lege, aut à Iudice, aut à partibus, aut à Testatore; si à lege, non currit nisi à die scientiæ; nàm anteà potestatē faciendi quisque non habet: *L. annus, ff. de calumniat.* ibi, *quia qui nescit, is videtur experiūdi potestatem non habere; & verius est ex eo annum numerari, ex quo cognouit.*

316 Hinc tempus datum patronis ad præsentandum, & Ordinarijs ad eligendum, seù conferendum, non currit, nisi à die notitiæ vacationis: *cap. quia diuersitatem, de cōceß. præben.* ibi *semestre autem tempus nō à tempore vacationis præbendarū, sed notitia ipsius volumus computari.*

Sic decem dies, qui dantur ad appellādū ab electionibus, postulationibus, prouisionibus & quibuslibet extraiudicialibus actibus, in quibus potest appellatio interponi, nō incipiunt currere nisi à die sciētiæ grauaminis: *cap. concertationi, de appellat. in 6.* ibi *quisquis ex eis grauatum se reputans per appellationis beneficium grauamen illatum desiderauit reuocari, infra decem dies, postquam sciuerit, si velit, appellet: post decendium verò eidem aditus non pateat appellandi.*

Idem etiā est in appellatione ab actibus iudicialibus, quādo fuit pronunciatum contra absentem, non tamen verum, sed fictum contumacem, vt tempus ad appellandum non currat, nisi à die scientiæ: *cap. biduum, 2. q. 6.* ibi, *si aduersus absentem fuerit pronunciatum, biduū, vel triduum, ex quo quis scit, computandum est, non ex quo pronunciatum est, quod autē dicitur absentem posse prouocare*

ex

ex quo scit, sic accipimus, si non in causa per Procuratorē defensus est; nam si ille non prouocauit, difficile est, vt hic audiatur; & quamuis in *auth. hodie, C. de appellat.* dicatur hodie loco tridui tributum esse spacium decem dierum ad appellandum à sententiæ recitatione numerandum; tamen *gloss. ibidem* supplet, & declarat à sententiæ, & scientiæ, itaut absens condemnatus, nō per contumaciā veram, à tempore sciētiæ infra decem dies appellet, ex quo sciuit; sed contra verum contumacem tempus ad appellandum currit à die sententiæ, non autem scientiæ: *Rot. in nou. decis. 16. nu. 2. de dol. & contum. Felin. in cap. quoniā frequenter, n. 19. in fin. vt lit. non cont. Rot. in recentiss. decis. 396. nu. 1. par. 2.*

317 Prout etiā terminus præfixus appellanti ad prosequēdam appellationem non currit, nisi à die scientiæ: *Seraph. decis. 565. num. 7.* quando scilicet præfigitur à Iudice; sed quando præfigitur à lege, currit à die appellationis interpositæ, vel illati grauaminis, quando à futuro grauamine appellatur: *Clem. sicut de appellat.* ibi *sicut, appellationem iudicialem sic & extraiudicialem intra annum à die interpositionis ipsius, vel à die illati grauaminis, vbi à futuro grauamine appellatur, prosequi, & finire tenetur appellans*; sed vide *gloss.* ibi in verbo *à die*, quæ recitat plures opiniones, quando debeat currere tēpus prosequendi appellationem.

318 Ita etiam tempus datum ad petendam bonorum possessionem non currit nisi à die scientiæ: *l. 2. C. qui admitti* ibi *si bonorum possessio, tibi dumtaxat competit proximitatis nomine: habuisti spacium centum dierum vtilium, ex quo eum defunctum scisti, ad bonorum possessionem amplectendam.*

319 Sic etiam tempus datum pro actione redhibitoria non currit, nisi à die scientiæ, qua habere potuit potestatē agendi, exclusa tamen dissoluta ignorantia: *l. cùm sex menses, ff. de edil. edic.* ibi *cùm sex menses vtiles, quibus experiundi potestas fuit redhibitoria actioni præstantur; non videbitur potestatem experiundi habuisse, qui vitium fugitiui latens ignorauit; non idcircò tamen dissolutam ignorantiam emptoris excusari oportebit*; idem habetur in *l. etsi consensum fuerit. ff. de* con-

contrahen. empt. ibi *ignorantia emptori prodest, quæ non in supinum hominem cadit.*

320 Sed quæ esset huiusmodi dissoluta, supinaue ignorantia? dic vbi, quis de facili scire potuisset: *l. Iulianus ff. ad Macedonianum*; ibi *Iulianus scribit exceptionem Senat. Cons. Macedoniani nulli obstare, nisi ei, qui sciret, aut scire potuisset filiumfamilias esse eum, cui credebat*; quando autem quis scire potuisset habemus exemplum in *l. si duo, ff. de acqu. hæred.* ibi *si duo sunt hæredes necessarij instituti, quorum alter se abstinuit, alter posteà quam prior abstinuit, immiscuit se; dicendum est hunc non posse recusare, quominus tota onera hæreditaria subeat; qui enim scit, aut scire potuit, illo abstinente se oneribus fore implicitū, ea cōditione adire videtur*; idest prout supplet *gloss. fin.* vt omnibus satisfaciat; is etiam potuisse scire, intelligitur, quando illud ferè omnes de Ciuitate sciunt, vel cum aliqua diligentia scire potuisset: *l. regula, §. sed facti, ff. de iur. & fac. ignor.* ibi *sed facti ignorantia, ita demum cuique non nocet; si non ei summa negligentia obijciatur; quid enim si omnes in Ciuitate, quod ille solus ignorat? & rectè Labeo diffinuit scientiam, neque curiosissimi, neque negligētissimi hominis accipiendam: verùm eius; qui eam rem diligenter inquirendo notam habere possit.*

Et propterea quod supra dictum est, terminum datum patronis ad præsentandum currere à die scientiæ, non autem vacationis non procedit, quando ignorantia esset inuerisimilis: *Rot. decis.* 481. *num.* 3. *par.* 1. *diuers. Achil. decis. vnic. de supplen. neglig. Prælatorum, Rot. in recentis. par.* 1. *decis.* 377. *num.* 3. cessaret autem dissoluta, & inuerisimilis ignorantia, quando patronus esset vel rusticus, vel absens: *Caput. decis.* 248. *num* 1. *par.* 3. vel quādo essent mulieres absentes etiā per quinque milliaria: *Rot. in recent. par.* 2. *dec.* 173. *n.* 3. & allegata ignorantia collatoris redditur inuerisimilis ex qualitate beneficij, & ex lōgitudine temporis vacationis; *Abb. in cap. quia diuersitatem, nu.* 7. *de conceß. præben. Roman. cons.* 481. *Seraph. dec.* 380. *nu.* 4. tempus igitur collatori non currit, nisi à tempore, quo sciuit, vel scire debuit: *Rot. in antiq. decis.* 13. *de iure*

patr.

patr. & in recentiss. decis. 309. *nu.* 2. *par.* 1. & ille qui se fundat in notitia Ordinarij, & illam allegat, debet probare: *Mil. in repert. in verbo patronatus vers. patronatus intra quadrimestre, Rebuff. in prax. tit. de deuolut. num.* 12. *Rot. in recent. par.* 2. *decis.* 323. *num.* 2. quæ probatio debet esse vera, & concludens, non autem sufficit præsumptiua, & verisimilis: *Mobed. decis.* 4. *num.* 1. & *seq. de probat. Rot. in recent. decis.* 173. *numer.* 1. *par.* 2. & non sufficeret probatio famæ de morte, quando fama esset dubia, & consanguinei non fecissent luctum; *Achill. decis. vnic. de supplen. neglig. Prælat.*

321 Sin autem terminus præfigitur à Iudice, tunc si præfigitur pręsenti, eius scientia est indubitata, & qui scit, certiorari non debet: *l.* 1. *in fin. ff. de act. emp.* ibi *quia non videtur esse celatus, qui scit, nec certiorari debuit, qui non ignorauit.*

322 Si vero pręfigitur absenti, tunc præfixio termini eidē est intimāda, nisi alias ad eius notitiam peruenisset: *Caput. decis.* 325. *num.* 3. *par.* 2. vel nisi citata fuisset ad videndum pręfigi terminum, quia necessaria non est intimatio decreti; quando præcessit citatio, nisi Iudex mandauerit intimari: *Rot. in recent. decis.* 445. *n.* 2. & *decis.* 725. *nu.* 9. *par.* 2. *Greg. dec.* 31. *n.* 8. & plenè dictū est supra *cap.* 6. *nu.* 68. 75. & *seq.*

323 At si terminus præfigitur in contractu, currit à die contractus, de quo tempore scientia controuerti non potest: *§. pupillus, instit. de inutil. stipulat. Bal. cons.* 246. *nu.* 2. *lib.* 5. *Rot. in recentiss. par.* 1. *dec.* 149. *num.* 3.

Quod declaro, vt non procedat, quando contractus non est perfectus, quia tunc non currit, nisi à die perfectionis contractus. Pone quod promissa sit dos infra annum, intelligitur non à die contractus, sed à die nuptiarum: *text. est in l. tali, ff de iur. dotium*; vbi dicitur *tali facta stipulatione decem in anno proximo dare spondes: quæsitum est, annus ex quo tempore esset numerandus; vtrum ex die stipulationis factæ; an ex eo die, quo dos esse potuisset, idest nuptiarum; & responsum est ex die nuptiarum annum esse numerandum; ne si aliter obseruaremus (si intra annum nuptiæ factæ non sint) videri possit dos ex ea obligatione non deberi;*

 Sic

Sic si emptor promisit soluere pretium intra annum; annus non computatur ante rei traditionem, sed post: *Bar. in l. si cui legetur 51. in princ. nu. 5. ff. de leg. 1.* perfectio enim contractus, & rei traditio debet præcedere solutionem: *Bal. in l. 1. num. 49. C. de his, quæ pœna nomine; Ias. in d. l. si cui legetur; Ruin. cons. 63. nu. 1. vol. 5. Cancer. var. resol. par. 3. cap. 1. de act. & oblig. num. 157. & 159.* Vbi firmat, quod si quis emit rem pro pretio æstimando, & promittit soluere infra annũ, annus debet computari à die factæ æstimationis, non autem à die contractus; & non currit vni parti tempus, nisi à die implementi alterius partis: *Seraph. decis. 149. nu. 8. & decis. 844. num. 1.*

324 Quando autem terminus à Testatore præfigitur hæredi ad aliquid faciendum, tunc intelligitur à die aditæ hæreditatis, non autem à die mortis Testatoris, si sine dolo malo tardius adierit: *l. 3. §. si quis hæredi, ff. de statu lib.* ibi *intra triginta dies aditæ hæreditatis*, & ibi, *sed quid si data opera traxerit*, prout etiam si testator terminum præfixerit legatario ad aliquid faciendum, quia terminus non currit, nisi post legatum receptum: *Ias. in dict. l. si cui, ff. de leg. 1. Cancer. vbi supra num. 160.*

325 Sed quid si Iudici præfixum fuerit tempus ad iudicandum? dic quod si Iudici ordinario præfigitur à iure, vel statuto, tunc non currit tempus; nisi posteà quam fuerit requisitus; iuxta *text. in l. 1. §. Magistratibus, ff. de Magistrat. conuen.* ibi *sed ita demũ tenentur, si moniti non dederint*; & ibi *Bal. Bar. in l. damni, §. Sabini, num. 8. in fin. ff. de damn. infect.*

326 Si autem tempus sit præfixum Iudici delegato non currit, nisi à die præsentationis rescripti: *cap. super eo, il 2. de appell.* ibi *si autem infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tũc incipit terminus currere, cùm Iudices contigerit litteras recepisse.*

327 In litteris Apostolicis si ei, qui beneficiũ impetrauit, vel obtinuit indultum, præfigitur terminus ad aliquid agẽdum, tunc non intelligitur currere à die datæ stante intruso; quia non currit, nisi à die adeptæ possessionis; *Seraphin. dec. 220. nu. 3. & dec. 844. num. 2.*

Ei

328 Ei autem, qui obtinuit Parochialē ſtatutus terminus anni ad aſſumendum ordinem Sacerdotalem currit à die adeptæ poſſeſſionis pacificæ, & eo lapſo, & non aſſumpto remanet priuatus ipſo iure: *cap. licet Canon. de elect. in 6.* ibi *& infra annum à ſibi commiſsi regiminis tempore numerandū ſe facit ad Sacerdotium promoueri, quod ſi infra idem tempus promotus non fuerit, Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione, ſit præſentis cōſtitutionis auctoritate priuatus.* Secus autē eſt in eo, qui prouiſus eſt de alio beneficio Sacerdotali, quia tēpus ad promouendum ſibi nō currit, niſi à die monitionis ſibi factæ: *cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect.* ibi *cùm autem aſſumptus fuerit, ſi Archidiaconus in Diaconum, & Decanus, & reliqui admoniti non fuerint, præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati; & ab illo remoueantur officio, & alijs conferatur, qui & velint, & poſsint illud conuenienter implere; Rot. in antiq. deciſ. 3. de pœnis.*

329 Hic noto, quod in litteris beneficialibus attēditur tempus datæ ad effectum iuſtificationis, & validitatis gratiæ: *cap. ſi eo tempore, de reſcr. in 6. & cap. eam te,* vbi *Felin. nu. 18. de reſcr.* & ideò valor beneficij narratus eſt iuſtificandus de tempore datæ; *Caſſad. deciſ. 19. in fin. ſuper regulis. Capur. deciſ. 264. num. 9. & deciſ. 330. num. 1. par. 3. Greg. deciſ. 419. num. 1.*

330 Et gratia à tempore datæ dicitur eſſe in rerum natura, & incipit operari, cùm etiam prius ſignata ante datā poſſit lacerari, dum enim Papa ſignat, ſcit eſſe apponendā datam certi diei per Datariū vti illius organum, & ſæpè gratiæ non datantur ſub eadem die, qua fuerunt ſignatæ à Pōtifice ex aliqua ratione, & iubente Papa; & propterea gratia ſumit initium à die datæ, non autem à die Signaturæ: *Seraphin. deciſ. 341. nu. 9. Rot. diuerſ. deciſ. 68. num. 6. & ſeqq. par. 5.* & habilitas ſuperueniens poſt datam nihil operatur *Gig. de penſ. q. 22. num. 16.* aliquando etiam ſolet Datarius ad ſupplicantis petitionem, & ad maius robur gratiæ ponere datam eodem die obitus, quamuis gratia ſit facta poſt, cum derogatione tamen regulæ de veriſimili notitia, vt per *Creſcent. deciſ. 13. de*

rescr.num. 2. & Signatura non perficitur, nisi post appositionem datæ; rescripta enim, seù beneficia Principis sine die auctoritate carent: *l. si qua beneficia, C. de diuers. rescript.*

331 In litteris, seù rescriptis appellationum ad partes impetratis apponitur data; sed in commissionibus appellationū impetratis in Romana Curia non apponitur data, & ideò impetratio attendi nō potest, sed præsentatio; vt per *Rot. in nou. decis. 2. de except.*

Ex eo, quod dictum est attendi tēpus datæ, moueo triplicem difficultatem, vnā respectu gratiæ beneficialis, quæ cùm non videatur perfecta, antequam supplicatio sit registrata, vel antequam litteræ nō sint expeditæ, sequitur, vt nō tempus datæ, sed vel registrationis, vel expeditionis litterarum sit inspiciendum. Alteram respectu constitutionis æditæ per viam legis, quæ cùm non liget, nisi post publicationem, sequitur, vt attendi debeat dies publicationis, non autem datæ; postremam respectu priuilegij, quod cùm requirat scientiam, & acceptationem, sequitur, vt attendendum sit tempus scientiæ, & acceptationis, non autem datæ: sed pro intelligentia, cùm materia sit vtilis, & non penitus extranea.

332 Quantum ad gratiam beneficialem prçmittendum est, quod ea perficitur solo verbo Papæ, tunc quando Papa supplicationem per Datarium sibi porrectam signat.

Et quia in supplicationibus concipiendis, vel errores cōmittuntur, vel apponuntur clausulæ insolitæ, ideò supplicatio, quando signata est mittitur ad reuisores pro eius correctione, & reformatione, & deindè mittitur ad Registrum, vt registretur, ne fortè partes gratiam alterarent, aliquid addendo, vel cassando; posteà relaxatur, & traditur parti pro expeditione litterarum, & earum plumbatione, ad effectum, vt impetrans posit gratiam probare, & illam canonizari facere.

Papa quando facit gratiam, & signat supplicationem, censetur hac conditione facere, vt per officiales corrigatur, & reformetur, registretur, & litteræ desuper expediantur, vt in *regula de non iud. iuxta formam supplic. sed litter. expedit.*

pedit. quæ conditio non censetur apposita gratiæ; sed illius executioni, itaut non sit suspẽsiua, quæ operatur, vt actus ab initio nõ sit perfectus, nisi conditione secuta; sed sit resolutiua, quæ præsupponit ius purum ab initio; sed resolubile: iuxta *Theoricam Oldradi conſ.* 285. *nu.* 7. *&* 8.

Antequam enim supplicatio signata, peruenerit ad manus impetrãtis potest per Papam, Datarium, aliosque Officiales lacerari, & cassari: *Sarnen. in reg. de iur. quæſ. non toll. q.* 20. *in fin. Rot. diuerſor. deciſ.* 794. *nu.* 1. *&* 2. *par.* 1. & nõ fit præiudicium parti, cùm fuerit signata cum cõditione resolubili; nàm tunc infertur solum, quod Papa voluit ab actu perfecto recedere, & gratiã perfectam resoluere; *Pariſ. poſt alios, quos allegat, conſ.* 5. *nu.* 12. *lib.* 4.

333 Et hac ratione supplicatio signata antequam sit registrata, non tribuit ius parti, & non est locus regulæ de non tollen. iure quæsito: *Sarnen. in regula de non tollen. quæſt.* 20. *in fin. verſ. non tamen omitto.* Sed quando est registrata, & cassatur, tunc tollitur ius quæsitum, & est necessaria derogatio dictæ regulæ, & hoc euenit, quia antẽ registrationẽ gratia erat resolubilis, posteà vero non: *Rot. diuerſ. deciſ.* 791. *par.* 1. *num.* 15.

334 Registratio non potest dare aliquam perfectionem gratiæ, quia in ea nullum interuenit factũ Papæ, cuius est gratiam concedere, & registratio fit per Officiales ad effectũ, vt semper cõstet de vero tenore gratiæ, & ne in supplicationibus post earum relaxationem fierent fraudes; & propterea quando datur de falsitate, vel alteratione supplicationis recurritur ad regestrũ, cum quo si concordat, cessat omnis suspicio fraudis; quia fatendum est, fuisse registratam cũ omnibus additionibus, & cassaturis de ordine Datarij, cuius factũ impugnare non licet propter amplissimum mãdatum ipsi à Papa concessum: *Guidob. deciſ.* 74. *in vna Salamantina*; itaut etiam lite pẽdente, possit supplicationes corrigere: *Verall. deciſ.* 239. *par.* 1. & ita respondit *Rot. in vna Burgen. Abbatia* 16. *Martij* 1592. *coram Gypſio*; & quæcunque additiones, & cassaturæ, quæ fiunt in supplicationibus ante registrationem, censentur factæ per Officiales, iuxta eorum

rum facultatem, & potestatem, & non vt committerent falsitatem, nec possunt censeri appositæ per partem; quia antequam registretur, supplicatio non peruenit ad manus principalis, licet aliquando permittatur, vt illam possit videre, ita censuit *Rota* in eadem causa *Burgen. Abbatiæ*, 2. *Aprilis* 1593. *coram Cardinali Arrigono*.

335 Et hinc dixit *Caput. in manuscriptis decis.* 32. quod articuli concernentes factum Datarij, per quod ipse Datarius redargueretur de falso, non sunt releuantes, præsertim si concernant expeditionem supplicationis post datã.

336 Quia stylus est notissimus, quod per solam paruam datã retrotrahuntur omnes gratiæ etiam longè post Signaturæ tempora, cùm dantur in fauorem alterius, & subiũgit, quod ideò fuit dictum aliàs *in vna Pampilonensi*, quod regressus per decessum non intrat si ante obitum erat signata parua data resignationis, licet supplicatio longè post obitum fuerit expedita; & ita etiam respondit *Rota in Carthaginen. Parochialis de Almoraldis* 14. *Aprilis* 1559. *coram Cardinali Paleotto, quæ est decisio* 514. *par.* 3. *lib.* 3. *diuers.* vbi in fine dicitur, quod quoties reperitur supplicatio sub vna data intelligitur tunc concessa etiã si vel prius, vel posterius Papa cõcessisset, immò articuli, qui darentur ad probandum contrarium non essent admittẽdi, quoniam arguerent Datarium falsum.

337 Vis enim gratiæ non consistit in appositione datæ, sed in Signatura Papæ, & Signatura perficit gratiam. Datæ autem ostendit, de quo tempore gratia fuit obtenta, vel de quo Papa voluerit intelligi, fuisse obtentam, Relaxatio autem supplicationis post Registrationem fit tunc, quando traditur parti, quæ demonstrat gratiam factam amplius non esse impeditam, nec resolubilem, & litteras esse expediendas ad effectum probandi gratiã, & adipiscendi possessionem beneficij.

338 Tunc autem litteræ censentur expeditæ statim, quod sunt plumbatæ; *Sarnen. in reg. de non iud. iuxta formam Supplic. quæst.* 1. *sub nu.* 5. *vers. est tamen vlterius. Greg. decis.* 440. *num.* 5. & ibi *Addentes*.

339 Et propterea pensionis exa-

exactio ante expeditionem litterarum non probatur facta ex data relaxationis litterarũ in plumbo, quia possibile est, quod post plumbationem in plumbo permãserint: *Gregor. d. decis.*440.*nu.*4.

340 Et ex his cessat prima difficultas quoad gratias beneficiales, quia quoad earum validitatem, & iustificationem attenditur tempus datæ; quo vero ad ius impetrantis, quãdo sit resolubile, vel non, attenditur tempus registrationis; & quando gratia sit exequibilis, vel non attenditur tempus expeditionis litterarum: iuxta prædicta.

341 Secunda difficultas, vt supra mota quoad generalem constitutionem, seù legem, vt potius attẽdendum videatur tempus publicationis, quàm datæ; ita tolli potest; quia quoad substantiam, & perfectionem legis, vel constitutionis attenditur tempus datæ, quo verò ad illius vim, & executionem attenditur tempus publicationis.

342 Quia cum generaliter sit obseruanda, non potest ligare, nisi post publicationem; anteà enim datur probabilis ignorantia; vt in *authen. vt facta noua constit. post insinuationes earum post duos menses valeant*, §. 1. *Felin. in cap.* 1. *n.* 12. *vers. secundus casus, de re iud. Ias. in l. cùm prolatis, nu.* 6. *ff. de re iud.* Sed si in constitutione, vel lege esset appositum decretum irritans, vel essent alia verba denotantia Principem voluisse retractare, ex tunc omnia in cõtrarium gesta, tali casu esset attendendum tempus datæ, non autem publicationis.

343 Quia decretũ irritans afficit etiam ignorantes: *cap. penult. de praeben. in* 6. ibi *prima enim collatio post & contra decretum à dicto Calestino interpositum facta (licet ab ignorantibus, & etiam ignoranti) non obtinet firmitatem.* Quod intelligendum est solum quoad nullitatem actus gesti, vt sit nullus à die datæ, non obstante ignorantia; non autẽ quoad pœnam, quæ non potest incurri absque scientia: *Io. Andr. in cap. tibi, num.* 5. *de rescr. in* 6. *Felin. in cap. cæterum, de rescr. num.* 19. *Put. decis.* 281. *per tot. lib.* 1. *& gloss. in Clem. nolentes, de hæreticis*, in verbo *ex tunc*, ibi *voluit Papa per hoc, quod hac pars constitutionis statim ligaret à tẽpore promulgationis,* non

non expectato lapsu duorũ mensium, de quo dixi in proœmio, non quoad hoc contrafacientes hoc ignorantes obligati essent ad culpam, sed quoad hoc, vt contra factum non valeret, prius autem datos afficere non intendit; & de hoc est *tex. in l. fin. ff. de decret. ab Ord. facien.* ibi, *quæsitum est, quam pœnam sustinere debeat, qui ignorans aduersus decretum fecit? Respondeo huiusmodi pœnas aduersus scientes paratas esse*.

344 Tertia difficultas an in priuilegijs attendatur tempus datæ, an verò scientiæ, & acceptationis; ita potest solui, Priuilegium non requirit publicationem; quia in eo cessat ratio generalis obseruantiæ: *Abb. in cap. 2. nu. 7. col. 5. vers. & vid. bon. gloss. de cõstit.* quoad eos verò, in quorum præiudicium priuilegium est concessum, ligat etiam ante notitiam ipsius priuilegiati, & sic attenditur tempus datæ: *Felin. in d. cap. 2. vers. hanc limitationem intellige, de cõstit. Put. dec. 145. num. 1. & seq. lib. 2.*

345 Quoad priuilegiatum autem si priuilegium est ad aliquid faciendũ, tunc requiritur scientia, & acceptatio ipsius priuilegiati; quia alias posset priuilegio renunciare, exempli gratia si fuit cõcessum priuilegium alicui eligendi confessorem, vel ad audiendam confessionem, non potest assumere robur ante notitiam, & acceptationem.

346 Si verò priuilegium datur ad tollendum obstaculum, & impedimentum; tunc tempus scientiæ, & acceptationis priuilegiati non attenditur; sed datæ; quia hoc pendet à sola voluntate Principis: exemplum est in priuilegio exemptionis alicui concesso, vt non possit excommunicari ab Ordinario, & in exemptione personali, vt est immunitas à tributo; quia priuilegiatus statim à die datæ, etiam ante eius notitiam fit exemptus; ita distinguit *Suarez in tractat. de legib. lib. 8. de lege humana fauorabili, cap. 25. tit. an priuilegium prodesse possit ante notitiam eius, num. 11. vers. deindè considero*, sic etiam deportatus si restituitur, statim etiam antequam ad eius notitiam perueniat, est restitutus: *Bart. in l. vlt. nu. 5. C. de senten. passis*.

347 Idem est in priuilegio cõcesso certo generi personarũ, quod censetur cõcessum causæ, & non personis, prout est pri-

priuilegium concessum Studentibus, putà de percipiendis fructibus in absentia suorum beneficiorum, quod causæ studij, & non personis censetur concessum: *Oldrad.cons.* **117.n.3.** *& cons.* **322.** *sub nu.2.* quod sumit vires à die datæ, & suffragatur etiam ignoranti: *Put.decis.* 19. *num.* 1. *lib.* 2. qui loquitur de priuilegio concesso Referendarijs, quod dixit competere etiam vni ex Referendarijs illud ignoranti, quia non est datum respectu personæ, sed respectu officij, & prodest etiam ante litterarum expeditionem, quia per solā Signaturā perficitur gratia etiam litteris nō expeditis ex superiùs allegatis, quibus addo *Rot. decis. vltima, num.* 3. *&* 4. *de rescr. in antiq. & Put. decis.* 275. *lib.* 3. & huiusmodi priuilegium sufficit, quod priuatim fuerit notificatū absque alia publicationis solemnitate; *Bal.in l.leges generales, n.* 2. *vers.& hoc est bene,* & ibidem *Castr.num.* 2. *in fin.C.de legibus, Roman.cons.* 453. *col.* 4. *vers. sed his rationibus,* & me informante in vna *Rom. legati Pij,* 4. *Februarij, &* 15. *Maij* 1628. *coram Reuerendissimo Domino Coccino Decano,* fuit resolutum Testamentum Domini Aueroldi Equitis Hierosolymitani, qui tanquam regularis erat intestabilis, valuisse vigore priuilegij, & facultatis testandi concessæ Conclauistis, non obstante, quod de tempore conditi testamenti, litteræ nō fuissent expeditæ, immò supplicatio dumtaxat erat signata, & nondum missa ad Regestrum.

348 Sic etiam tempus datæ attenditur in dilatione quinquennali debitori concessæ, non autem tempus præsentationis; adeò quod non afficit creditores creatos post diem datæ, licet ante tempus præsentationis: *Guidopap.dec.* **109.** *per totam.*

349 Prout etiam tempus datæ attenditur ratione prelationis, & præcedentiæ, itaut ex duobus Marchionibus creatis precedere debeat, qui prior est in data, licet posterior prius litteras expediuerit, & possessionem fuerit adeptus: *Franc. decis.* **62.** *num.* 1. *& seqq.* vbi plura ponit.

350 Sed aduerte, quia in concernentibus iurisdictionem attenditur tempus præsentationis, non datæ, adeò quod si rescriptum habens datam po-

posteriorem, fuerit prius prę-sentatum, illud præfertur, & vim habet: *Castr. in l. 2. C. vt lite pend. num. 2.* dicens, quod in gratiosis attenditur tempus Signaturæ, sed in contentiosis debet attendi tempus præsentationis; adde *Franc.* qui plures allegat *decis. 326. nu. 2.* Et multò magis vbi rescriptum non habet datam, attenditur tempus pręsentationis.

351 In Curia, quando cõmissiones Iustitiæ sunt signatæ, & expeditæ perueniunt ad bancum Cursorum, & plures insimul eadem die portantur, & notantur in libro Cursorum, inter eas tanquam eodem cõtextu notatas, non est dare, prius, nec posterius; tunc autem commissio dicitur præsentata, quando Cursor recepta debita mercede, eam signat à tergo in hunc modum. Die, &c. per me N. deinde illam ponit in capsa eiusdem Auditoris, cui dirigitur.

352 Et quod inter Auditores Rotæ debeat attendi prioritas præsentationis, Innocentiana constitutione cautum est, quę est *Constitutio 13. Innoc. VIII. in nouo Bullario lib. 1. fol. 386.* ibi, *quod si diuersis causarum Palatij Apostolici Auditoribus diuersas commissiones præsentatas hactenus, vel pro tempore reperiri cõtingat in eadem causa eiusdem tenoris, vel effectus licet ad diuersarum personarum instantiam; Auditor, cui prius commissio præsentata fuit, iurisdictionem in procedendo, & iudicando retineat absque alia desuper commissione, aliorum Coauditorum ad id accedente consensu*; adde *Mandos. de commiss. cõmiss. 10. audiat, qui præuenit in princ. & Rot. in antiq. decis. 6. de rescr. & decis. 1. de constit. in ant.* & quod dictus consensus Coauditorum sufficiat tacitus; vid. *Cassad. decis. 5. de rescr. nu. 2.*

353 Prioritas autem datę colligitur vel ex die, vel hora, vel puncto appositis, & regula est, quod qui prior est tempore, prior est in iure: *cap. qui prior, de reg. iur. gloss. in cap. si à sede 31. de præben. in 6.* in verbo *nec appareat*; & anterioritas præsumitur ex certa hora apposita: *Felin. in cap. pastoralis, num. 5. de rescript. Put. decis. 321. lib. 1. Crescent. decis. 4. de præsumpt.* & ibi *Adden. & decis. 16. num. 2.* stante autem paritate datæ duarum commissionum attendendum videtur,

quis

quis prior fuit in citãdo, nàm citatione facta negocium est quasi cœptum; vt dicitur in *cap. gratum, de off. deleg.* & antequam delegatus citet, res dicitur integra; & morte mandatoris mandatum expirat, vt dicitur in *cap. licet, eodem tit. de off. deleg.* Aduerte tamen, quia hæc procedunt inter Auditores Rotæ, stante Innocentiana ex prædictis *decis. 1. de const. & 6. de rescr. in ant.* inter alios autem Prælatos delegatos is, qui primo citauit, censetur præuenisse, licet alteri prius præsentata fuisset commissio.

354 Sola enim citatio perpetuat iurisdictionem: *d. cap gratum, & cap. licet de off. deleg. & cap. proposuisti, de for. compet.* immò si Auditor Rotæ concurrat cum alio Iudice extra Rotam, non attenditur cui prius fuerit præsentata commissio, sed quis prius citauerit: ità declarat *Cassad. decis. 5. num. 1. & 2. de rescr.* & in his, quæ concernunt iurisdictionem, quod attendatur præuẽtio, quæ oritur ex citatione: notat *Bal. in l. pluribus, ff. de leg. 1. Afflict. decis. 219. num. 3. Rom. conf. 412. numer. 4.* & est *text. in l. si quis posteà quam, ff. de iud.* ibi *quasi præuentus*; quod procedit, si citatio sit legitimè facta: *cap. proposuisti, ibi legitimè citatus de for. compet.* citatio enim nulla ex defectu iurisdictionis, seù nulliter facta ratione executionis præuentionem non operatur: *l. 1. in fin. ff. quod quisque iur.* ibi, *& ideò si inter eos quis dixerit ius, inter quos iurisdictionem nõ habuit (quoniam pro nullo hoc habetur, nec est vlla sententia) cessare edictum putamus*; adde *Butr. & alios in d. cap. proposuisti, de for. compet. Rom. conf. 412 numer. 5. Mandos. de commiss. commiss. 10. audiat, qui præuenit, in fine, vers. quinto quæro.* Ad inducendum autem præuentionem, an sufficiat sola cõmissio citationis ante Nuncij executionem vide. *Felin. in cap. gratum, num. 5. de offic. & potest. Iud. deleg. & in cap. 15. suo loco dicemus.*

355 Modo videamus, quod tempus attendi debeat in citationibus, an dies datæ qua commissa esset citatio per Iudicem, an dies executionis, qua facta est intimatio, seù præsentatio per Cursorem, an verò dies habitæ notitiæ, qua citatio innotuit citato.

356 Quod debeat attendi dies da-

datæ, seù commissionis citationis, facit hæc ratio, quia tempus est continuum,& currit etiam ignoranti: iuxta *tex. in l.genero, ff. de his qui notantur infamia*; ibi *sed cùm tempus luctus continuum est, meritò & ignorãti cedit ex die mortis mariti, & ideò si post legitimum tẽpus cognouerit Labeo ait ipso die, & sumere eam lugubria, & deponere*; qui *textus* licet loquatur de dilatione data per legẽ, tamen idem videtur esse in dilatione data per Iudicem, in qua currunt tàm dies feriati, quàm non feriati: *l.siuè pars, C. de dilat.* ibi *donec petiti temporis defluxerint curricula*.

Sed contrarium verius est, quod debet attendi tempus intimationis,& scientiæ; cùm enim citatio fiat ad effectum, vt quis possit se defendere, necesse est, vt citatio eidem citato innotescat facto Nuncij: *l.annus, ff.de calumniat.* ibi *quia qui nescit, is videtur experiundi potestatem non habere; & verius est annum numerari, ex quo cognouit*; & *l.2. C. vbi in rem actio* ibi *certo dierũ spatio à Iudice finiendo, eoque ad notionem eius perducendo*; & *l.1. ff.de requir. reis,* ibi *sed absens requirendus annotandus est, vt copiam sui praestet*, & inferius ibi, *vt possit innotescere eos, qui annotati sunt*. Non obstat autem, quod in dilationibus tempus sit continuum.

357 Quia quando datur terminus, seù dilatio ad aliquid faciendum, tunc tempus ab initio vtile est, & non currit, nisi à die scientiæ; posteà autem tempus est continuum,& currunt dies tàm feriati, quàm non feriati: iuxta *d.l. siuè pars,* & est *text. in l.quinquaginta, ff.de excusat. tut. vel curat.* ibi *peragendo enim negocio ex die nominationis continui quattuor menses constituti sunt*.

358 Nota tamen, quod si terminus in citatione fuisset præfixus hisce, vel similibus verbis: hinc ad tres dies, vel ab hodierna die, vel hora, tunc terminus curreret à die datæ, seù commissæ citationis: *Bald. in l.1. ff.si quis caut. sub nu. 5. quaest.3. in fin.* sed quid si terminus laberetur, antequam Nuncius citationem fuisset executus,dic, quod citatio non valeret, nisi superessent à die executionis tot dies, quibus potuisset citatus comparere.

359 Citatio enim non potest fieri,

fieri, nisi cum termino cōpetenti; vt in *extrauag. rem non nouā, de dol. & cont. & Clem 1. de Iud.* considerata scilicet locorum distantia, dinumerando pro singulis diebus viginti milliaria, iuxta *tex. in l.1. ff. si quis caut. & in §. qui autem excusare; instit. de excus. tut.* aliàs citatio tanquam temeraria nō arctat ad comparendum etiam post terminum: *l. aut qui aliter, ff. quod vi, aut clam,* & ibi *Bart. & Abb. in cap. cùm dilecti, de dol. & contum. num. 20. Cassad. decis. 6. num. 3. eod. tit. de dol. & cont.* & latiùs dictum est supra *in cap. 9. num. 530. & seqq.*

360 Et idem dicendum est, quando citatio non fuisset legitimè executa; sed quia citatio per comparitionem cōualidatur, ad *text. in l. 1. §. 1. &* ibi *gloss. & Bal. ff. de ferijs,* tunc tempus in citatione appositū ad aliquid faciendum non inciperet currere, nec à die cōmissæ, neque à die executæ citationis, sed à die comparitionis: *Bald. in auth. si omnes, C. si min. ab hæred. se abstin. Felin. in cap. gratum, num. 4. de offic. delegat. Crescent. decis. 10. num. 5. de dol. & cont.*

361 Restat, vt quoad initium termini videamus, an dies termini computetur in termino. Quæ quæstio disputabilis est, & sunt rationes, & authoritates hinc inde, quas post alios congessit: *Tiraq. de retract. consanguin. §. 1. in verbo annum, & diem, gloss. 11. num. 16.* qui tenendo partem negatiuam, quod non computetur, illam posteà limitat quindecim modis; *num. 17. vsque 42.* & tenendo partem affirmatiuam, illam pariter limitat decē modis; *num. 42. vsque 60.*

362 Et in terminis *regulæ Cancellariæ de viginti, seù de infirmis sua beneficia resignantibus,* qua Pontifex voluit, quod si quis in infirmitate cōstitutus resignauerit suum beneficiū, & posteà infra viginti dies à die præstandi consensus computandis decesserit resignatio non valeat, sed beneficium vacet per obitū: *Gomes. quæst. 37. super ead. reg.* disputat quęstionem, an dies, quo resignatio fit, vel præstatur consensus, debeat computari in termino viginti dierum; & adductis rationibus, & iuribus hinc inde concludit, quod non cōputetur: sed *Mandos. super eadem regula quæst. 18.* examinat eandem quæstionem, & repetitis

titis rationibus adductis per *Gomes.* & alijs additis pro vtraque parte amplectitur contrariam opinionem, nempe quod in terminis dictæ regulę computatio debeat fieri à die obitus, & sic de momento ad momentum.

Et reiecta opinione *Gomes. & Rebuff. Rota* tenuit opinionem affirmatiuam, nempe quod dies præstiti consensus computetur in termino viginti dierum; vt in *decis.75.nu.1. & seq. par.2. diuers.*

Aduertendum est, quod in terminis dictæ regulæ tota vis consistit in dictione à, quia *regula loquitur de viginti diebus à die præstiti consensus*; & sic videtur excludere diem consensus; quia natura dictionis à, est separare, & excludere terminum à quo, vt per *gloss. in cap. statutum,* & ibi *Doct. de praben. lib.6.* & hoc tenuerunt plures congesti per *Tiraq. de vtroque retract. par.1.§.1. gloss. 11. num.51. & 52.* sed *Rota d. decis.75. par.2. diuers. nu.4.* distinguit, & declarat vna cum *Baldo cons.457. num.3. ante med. versic. aut qualitercunque ponatur lib. 1.* quem sequitur *Tiraq. vbi supra num.34.* aut tempus, cui iungitur dictio à, est initium actus, aut non; si est initium actus, tunc præpositio à, illum separare, nec excludere potest, sed includit, & tria exempla ponit idẽ *Bald.* vtputà si instituo nepotem, qui nascetur infra decem menses à die mortis filij mei, quod dies mortis computatur in decem mensibus; ad *l. Gallus, in princip. ff. de lib. & posthum.* item in iuramento fidelitatis dicitur, iuro ab hac hora in antea esse fidelis, certè hæc hora includitur, quia iūgitur actus in initio proprij temporis; vt in *cap. 1. de noua forma fidelit.* Item si à die ista promitto decẽ certè & præsens dies includitur; quia est quædam integritas temporis, quæ primum principium non excludit: *l. lecta, §. fin. ff. si cert. pet.* si verò tempus, cui iniungitur dictio à, non est principium actus; tunc illud excluditur, & duo exempla ponit idem *Bald. cons.457. nu.3.* primum vt si quis citatus est, vt compareat infra decem dies à die hodierna, tunc enim dicta dies hodierna, quia non est principium actus, excluditur, & non computatur in termino, ad *l.1. ff. si quis caut.* ibi *vicena millia passuum in singulos*

dies

dies dinumerare: Prætor iubet, præter eum diem, quo cautum promittitur, & eum, in quem sistere in iudicio oportet; secundum exemplum, vt si Episcopus dixerit, nisi solueris infra octo dies ab ista die te excõmunico, nàm mora non incipit contrahi à die excommunicationis, sed sequenti incipit cursus moræ; ad *l. lecta*, §. *sed cùm fortis, ff. si cert. pet.*

363 Et hinc *Rota dicta dec.* 75. *n.* 8. *par.* 2. *diuers.* cõsiderauit, quod in dicta regula de viginti, dictio à, iungitur cum tempore, quod est de initio actus, idest ipsius consensus, vel actus, hoc est consensus iungitur cum initio temporis viginti dierum, cùm regula dicat intra viginti dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, & quod ideò in casu dictæ regulæ, dies termini computatur in termino, & considerauit insuper sub *nu.* 9. quod aliàs sequeretur absurdum, quod si resignans moreretur eadem die consensus, resignatio valeret; & si sequentibus viginti diebus moreretur, non valeret; & ideò in hac materia possumus firmare plures conclusiones. Prima est, quod dictio à, non excludit terminũ, qui est principium actus ex iam dictis.

364 Secunda est, quod dies termini computatur in termino, quando aliàs sequeretur absurdum: *Bald. dict. cons.* 453. *num.* 3. *lib.* 1. *Tiraq. vbi supra num.* 35. *Rot. diuers. d. decis.* 75. *nu.* 9. *par.* 2. & propterea dies facti compromissi computatur in termino, quia aliàs sequeretur absurdum, quod in die facti compromissi non posset ferri laudum: *Bald. cons.* 246. *sub num.* 1. *vers. aliàs sequeretur, lib.* 5. *Rot. diuers. vbi supra num.* 10. adde *Surd. decis.* 203. *num.* 10. *& seq.*

365 Tertia est, quod dies termini computatur in termino, quando eius interest, cui terminus statuitur: *Bald. in l. à caligato, num.* 2. *C. de nupt. Felin. in cap.* 1. *sub nu.* 4. *vers. & dum iste, de præscript. Tiraq. d. gloss.* 11. *n.* 30. & propterea quia magis expedit resignãti, cui præfigitur terminus viginti dierum, vt dies termini computetur in termino, cũ citiùs validetur resignatio, ideò:

366 Quarta est cõclusio, quod quãdo agitur de incommodo eius, qui terminũ statuit, & è contra de commodo eius, cui sta-

statuitur; tūc fit interpretatio contra statuentē, vt in eius incommodum dies termini cōputetur in termino; quia debebat legem apertiùs dicere, *l. veteribus, ff. de pactis*, ibi *veteribus placet pactionem obscuram, vel ambiguam venditori, & ei, qui locauit, nocere, quorum fuit potestate legem apertiùs conscribere*; *Tiraq. dict. gloss.* 11. *num.* 32. *Rot. d decis.* 75. *nu.* 12. *par.* 2.

367 Quinta est, quod ad effectum an dies termini computetur in termino, debet attendi subiecta materia, scilicet id, quod vtiliùs est ei, ad cuius fauorē terminus fuit assignatus: *Bald. in d. l. à caligato, nu.* 2. *C. de nuptijs*, fuit dictum per *Rot. in Romana Societatis officij* 14. *Nouembris* 1601. *coram Cardinali Millino*, vbi in materia societatis officij, quæ finitur facta disdicta per quindecim dies ante, fuit resolutum diem reproductionis disdictæ non esse computandum in termino quindecim dierum, quia idem terminus datur ad fauorem debitorum, vt interim possint parare pecunias, & quia ex forma contractus debet præcedere disdicta per quindecim dies, si computaretur tempus de momento ad momentum, non daretur disdicta quindecim dierum præcedentium, & ibidem etiam fuit dictū non obstare, quod cùm debitor agat de lucro captando, ideò facienda sit in dubio interpretatio contra eum; quia fuit responsum, hoc esse iudicare ab euentu, & propterea non debet haberi respectus ad lucrum vnius, aut alterius sociorum; sed principaliter ad fauorem omnium debitorum, quorum contemplatione fuit præfixus ille terminus.

368 Sexta conclusio est, quod in materia odiosa, seù pœnali dies termini nunquam cōputatur in termino, quod vti singulare, & menti tenendum dicit *Franc. in cap. fœlicis, §. fin. nu.* 2. *in fin. de pœn. lib.* 6. *Mandos. in reg. de infirmis, quæst.* 18. *num.* 8. *Tiraq. d. gloss.* 11. *nu.* 44. Hinc in materia nominationis periculi vitæ in societatibus officiorum, quod dies termini non computetur in termino, censuit *Rota in Romana Societatis* 27. *Iunij* 1597. *corā Cardinali Lancellotto*, *quæ est decis.* 333. *nu.* 2. *par.* 4. *diuers.*

369 Septima est, quod quando in contractu datur terminus ad soluēdum infra decem

dies

dies proximos, tunc dies celebrati contractus non computatur in termino; quia talis dies non potest dici proxima cùm sit ipsamet dies: *l. eum qui Kalendis 41. ff. de verb. obligat.* & ibi *gloss. Bar. in l. 1. nu. 1 ff. si quis caut. & ibidem Alexand. numer. 12.* ibi *de tribus diebus proximis; & num. 19.* ibi *de decem diebus proximis; Rota diuers. dicta decis. 333. num. 3. vers. tùm quia in instrumento, par. 4.*

Omissis alijs, quæ videri possunt apud *Tiraq. qui plures allegat, vbi supra d. gloss. 11. & apud Doct. per eum alleg.* supersunt duo videnda ad rem nostram pertinentia. Vnum quid in appellatione, alterum quid in citatione; quando scilicet in eis dies termini computetur in termino.

370 Quoad appellationem lex prefigit triplex tempus, vnum ad appellandum; alterũ ad petendum, & dandũ Apostolos; postremũ ad prosequendã, & finiẽdam appellationẽ. Ad appellandũ lex prefigit terminũ decem dierum, intantũ vt interposita appellatio post decem dies non suffragatur; sed sententia transit in rem iudicatam: *Auth. hodie, C. de appellat.* qui enim intra decem dies non appellat, præsumitur ex interpretatione iuris sententiæ acquiescere: *cap. quod ad consultationem, de sent. & re iudic.*

371 Qui dies currunt de momento ad momentum, vel à tempore latę sententiæ, quando ea fertur contra præsentem, vel contra verum contumacem, qui scilicet fuit personaliter citatus; vel à die scientiæ, quando fertur contra fictum contumacem, qui scilicet nunquam fuit personaliter citatus: *d. Auth. hodie, C. de appell. l. 1. §. biduũ, ff quãdo appellandum sit, cap. biduum, 2. q. 6. cap. concertationi, de appellat. lib. 6. Rot. in antiq. dec. 46. de appell. & in recent. dec. 396. num. 1. par. 2.*

372 Et hoc verum est etiam in sententia conditionali, atq; in decreto facto, nisi infra tres, quia decẽ dies ad appellandũ currunt à die sententiæ, & decreti, non autẽ à die existentis conditionis, & ijdem tres dies assignati in sententia, seù decreto computãtur in termino decem dierũ ad appellãdum, *Lancell. de attent. par. 2. cap. 11. num. 7. Vestr. in praxi, lib. 7. cap. 3. num. 21.*

373 Atque hoc verũ eſt, quod appellandum ſit intra decem dies à die ſententiæ, ſeù intimationis, ſiuè ſit diffinitiua, ſiuè interlocutoria, ſiuè ſit actus extraiudicialis continens grauamen, quia à die illati grauaminis eſt appellãdum infra decem dies: *cap. concertationi, de appellat. in 6. Maran. in ſpec. par. 6. verſ. & quandoque appellatur nu.* 213. vbi *nu.* 218. probat, quod appellatio interpoſita à Procuratore non habente mandatum, debet per Dominum ratificari infra decem dies à tempore, quo ſciuit latam eſſe ſententiam.

374 Et appellatio extraiudicialis non habet effectum, niſi à die illati grauaminis, & tunc incipit currere tempus: vt in *Clem. ſicut, de appellat.* & eſt potius prouocatio, quàm appellatio: *Rot. in antiq. deciſ.* 32. *de appellat.*

375 In Conſtitutione autẽ Innocẽtij Octaui, quæ eſt *Conſtitutio* 13 *S.* 9. *in nouo Bull. lib.* 1. *fol.* 386. indultum eſt, vt Auditores Rotæ ſuper appellatione interpoſita à ſententia diffinitiua, decurſo vltimo momento temporis ad id de iure præfixi, eadem tamen die vltimi momenti, perindè ac ſi debito tempore interpoſita foret, poſſint iuſtitiam miniſtrare; & propterea ſi prima die menſis hora audientiæ ſit lata ſententia, tunc de iure communi dies ſententię computatur in termino decẽ dierum ad appellandum, qui incipiunt currere ſtatim, & finiunt die vndecima eiuſdem mẽſis eadem hora audientiæ; ſed vigore Innocentianæ non finiunt, niſi in vltimo momẽto eiuſdem diei vndecimæ, itaut prima dies latæ ſententiæ in termino non computetur.

Hæc Conſtitutio Innocentiana, licet loquatur de Auditoribus Rotæ, tamẽ per *Pium Quartum in eius Conſtitutione* 59. *S.* 9. *in Bullario nouo lib.* 2. *fol.* 85. fuit extẽſa ad alios Prælatos cauſas iudicantes extra Rotam, ibi *in vim commiſſionis à fel. record. Innocentio Papa Octauo prædeceſſore noſtro, quã ad omnes Iudices tenore præſentium extendimus.*

376 Iſtud tempus ad appellãdum non poteſt per Iudicem etiam de conſenſu partium prorogari, vel abreuiari per Iudicem, etiam de conſenſu, nec etiam per viam compromiſſi, niſi per ſtatutum, aut cõſue-

suetudinem: *Lancell. de attent. par. 2. cap. 11. num. 2.*

377 Nõ incipiunt autem currere isti decem dies, quando sententia, seù decretum habet grauamen successiuũ, seù causam continuam; quia donec durat grauamen, nunquam currit terminus; sed sẽper appellans erit in tempore: *Vestr. d. cap. 3. num. 23. lib. 7.*

378 Vt in carcerato, qui semper dicitur esse infra hos decem dies etiam elapsis annis, dummodò Iudex nõ pronunciauerit bene captum; quia tunc debet appellare intra decem dies à die pronunciationis: *Lancellot. de attent. 2. par. cap. 11. de attent. pend. temp. ad appellan. num. 8.*

379 Si Procurator non appellat infra decem dies, deseritur appellatio; principali autem succurritur altero de duobus modis; potest enim agere cõtra Procuratorem ad interesse: *l. arbitrio, §. dolo, ff. de dolo malo*: si sit soluendo, aliàs secùs: *l. & eleganter, §. si dolo, ff. eodem*; quia tunc restituitur in integrum, vt possit appellare, prçuia restitutione, non autem ipso iure: *Bald. in cap. significãti, de appellat. in vlt. col. Alex. consf. 95. nu. 7. lib. 2. Vestr. dict. cap. 3. num. 24.* qui dicit, quod licet hæc de iure sint vera, tamen Rota nõ admisit, vt Dominus possit appellare, vel restitui ad appellandum, quando sentẽtia lata fuit cum Procuratore, qui non appellauit, licet non sit soluendo; & ita testatur *Cassad. decis. 5. num. 4. de appellat.* & quod Procuratoris negligentia in non appellando infra decẽdium noceat Domino, & etiam Ecclesiæ ea ratione; quia imputandum est ei qui talem sibi elegit Procuratorem, dixit *Rota in antiq. decis. 27. de appellat.* secùs tamen est in dolo, quia Procurator si dolo, vtputà per collusionẽ omisit appellare, Dominus restituitur ad appellandum, quando interesse non posset consequi à Procuratore, qui esset non soluendo, & hoc videtur sentire: *Rot. in recentiss. decis. 138. par. 2. num. 1.* dum dicit Procuratoris negligentiam, dolo tamen excluso, non præbere causam restitutionis in integrum: addo *Benint. decis. 26. num. 3.* ibi *si enim Procurator soluendo non fuisset*, & *num. 7. circa fin.* ibi *sicut igitur Domino*; at si dolus Procuratoris non probatur, appellatio deseritur, & Do-

minus nō restituitur: *Crescent. decis. 7. num. 1. de appellat.* & quando cōstat Procuratorem per dolum omisisse causam defendere, & appellare, constito de bono iure principalis, debet restitui: *Mohed. decis. 2. de appellat.*

380 Et in casu, quo commissa esset causa restitutionis ad appellandum, prout de iure, si esset cœpta executio, talis cōmissio non retardaret, ex pluribus allegatis in *d. decis.* 138. *par. 2. recent. num. 2.* & quod restitutus ad appellandum habeat decem dies à die restitutionis, intra quos debet appellare; dixit *Rot. in nou. decis. 62. num. 2. de appellat.*

381 Pendente tempore ad appellandum, quicquid fit remanet attentatum, & reuocandū per viā attentati, si postea fuit appellatum; sed si non fuit appellatum, reuocatur per viam nullitatis: *Cas. de Grass. decis. 2. de appel. Gregor. decis. 339. nu. 4. vbi adden. nu. 6. referunt alias decisiones.*

382 Aduerte tamen, quia licet fictus contumax possit appellare infra decem dies à die habitæ notitiæ; tamen ea, quæ fiunt post decem dies à die prolationis sententiæ, & ante interpositionem prędictę appellationis per Iudicem, seù Executorem, valent, & tenēt; nec reuocabūtur per modum attentati, seù nullitatis; sed iniustitię, docto, & cognito de ea in causa appellationis; vt per *Rotam in nou. decis. 28. de appellat.* Hæc quoad primum tempus.

383 Quoad secūdum tempus petendi Apostolos sciendum est, quod appellandi vsus, vt ait *Vlpianus in l. 1. ff. de appellat.* necessarius est ad corrigendā iudicantium iniquitatem, vel imperitiam; licet quandoque accidat, vt sententię benè latę in peius reformentur.

384 Et propterea iura volunt, vt in casibus, quibus de iure licitum est appellare, ipsi Iudices appellationes recipiant, aliàs puniantur: *l. quoniam Iudices, C. de appellat.*

385 Regulariter autem facultas appellandi permissa censetur, nisi reperiatur expressè prohibita: *l. restituere*, & ibi *gloss.* in verbo *restituitur*, & ibidem notant *Doct. ff. de rei vendic. Specul. in tit. de appellat. §. in quibus*, vbi ponit plures casus, quibus prohibita est appellatio: & à quibus Iudicibus, & à quibus actibus possit appel-

pellari, latè declarat *Maran. in spec. par. 6. vers. & quandoq; appellatur, num. 246. & seq.* adde *Vestr. lib. 7. cap. 3. nu. 1. & seq.*

386 Et vt Iudex possit cognoscere, & deliberare, an deferre debeat appellationi, lex statuit illi terminum triginta dierum ad respõdendum, vt aiunt, de Apostolis: *l. Iudicibus, C. eodem tit. de appell.* & eundem terminum triginta dierum ius præfigit appellanti, vt Apostolos petat, requirat scilicet Iudicẽ, an appellationem velit admittere: *cap. ab eo, de appell. in 6.*

387 Iudex requisitus de Apostolis si non respondeat, censetur eos denegare; & si in causa procedat, processus est nullus; quia amittit iurisdictionem: *d. cap. ab eo, de appell. in 6. Rot. decis. 57. num. 3. in nou. de appell.* & appellans non tenetur amplius pro eis redire: *gloss. in Clement. quamuis, §. quod si Iudex*, in verbo *aut si, de appellat.* idem si respondeat, quod audiebat; vt per prædicta respondit *Rota in vna Giennen. Capellæ. 9. Decẽbris 1589. coram Comitulo*; quę est *decis. 72. post tract. Posti de manutenen.* si respondeat se daturum, si nõ præfigat terminum, censetur denegare dicta *Clem. quamuis, §. quod si Iudex, de appellat.* & si præfigit terminum, & in eo requisitus nõ tradit, pariter censetur denegare, & appellans non tenetur amplius redire; sed prosequi potest suam appellationẽ, perindè ac si expresse Apostoli denegati fuissẽt: *d. Clem. quãuis §. quod si Iudex, in fine de appell.*

388 In vno casu Iudex nõ tenetur respondere de Apostolis, quando scilicet appellatio fuisset nulliter interposita, vt putà ab interlocutoria sine scriptis, & sine grauaminis expressione: *Bisign. dec. 18. de appell. n. 4.* sed quando appellatio fuisset validè interposita, licet esset friuola, vel non admittẽda, nihilominus Iudex tenetur respondere, & dare saltem refutatorios: *Bellam. dec. 151. n. 1.* & quãdo appellatur à difinitiua, Iudex debet dare reuerentiales; Quãdo autem ab interlocutoria dantur refutatorij: *Rot. in ant. decis. 61. de appell.*

389 Appellans si non petat, & recipiat Apostolos intra triginta dies, censetur appellationi renunciare, eaque fit deserta; *dict. cap. ab eo, de appellat. in 6. & dicta Clementina quamuis; eodem titul. de appellat.* vbi *gloss. fin.* in fine notat, pœ-

pœnam Iudicis esse, vt processus per eum habitus, posteà sit nullus; pœnam autem appellantis esse, vt appellationi renunciasse videatur; prout etiam censeretur renunciasse, si Apostolos non peteret debita cum Instantia, atq; etiam si intra terminum per Iudicē assignatum ad redeūdum pro Apostolis non rediret: iuxta *tex. in d. Clem. quamuis, §. verùm si Iudex, de appellat.* & hoc procedit etiam in appellatione extraiudiciali, in qua etiam peti debent Apostoli, siuè appellatur à Iudice extraiudicialiter procedente, siuè etiam ab alio: *gloss. in cap. 1.* in verbo *vel extra*; & in *cap. vt super*, in verbo *ille de appellat. in 6.* vtpotè quando in defectum Iudicis appellatur coram Notario, vel honestis personis: ab eis enim Apostoli petuntur, & dantur testimoniales; iuxta *tex. in cap. fin. de appellat. Cassad. decis. 8. num. 2. & 7.*

390 Sed an ille, qui biduo ante cursum decendij non inuento Iudice, appellauit coram honesta persona, & redeunte Iudice ante vltimum momentum, nō curauit ad eū pro Apostolis redire; an censeretur appellationi renūciasse: idem *Cassad. d. decis. 8. nu. 9. & 10. vsque ad fin. de appellat.* ostendit passum esse dubium, & ad partes illum disputat, & concludit pro non desertione, vt ibi latè.

391 Isti triginta dies pro Apostolis an currāt à die latæ sententiæ, an verò à die interpositæ appellationis: *Rot. in antiq. decis. 80. & in nou. decis. 5. de appellat.* dicit Doctores antiquos, & modernos fuisse varios, & quod currere debeant à die interpositæ appellationis fuit opinio *Host. in cap. 1. de appellat. in 6. & Genzel. in Clem. quamuis, de appell.* pro qua opinione videtur *tex. in cap. ab eo, de appellat. in 6.* ibi *infra triginta dies, instanter Apostoli peti debent*, & sequitur *Rota dicta decis. 5. in fin.* dicens esse æquiorem. Contrarium autem, quod currere debeant à die latæ sententiæ; tenuit *gloss. in l. vnica, ff. de libell. dimiss.* in verbo *intra tempus*, ibi *à die lata sententia*, & allegat *text. in l. Iudicibus, C. de appellation.*

Sed quod currere debeant vel à tempore sententiæ, vel ab eo tempore, à quo incipit currere decendium appellationis; dixit *gloss. in d. cap. ab eo*,

eo, in verbo *triginta dies*, *& in Clem. quamuis*, in verbo *tempore*; & est *text. in d. l. Iudicibus, C. de appellat.* ibi *verum etiam triginta dierum spacia ex die sententiæ diffinita sunt*; *Ioannes Andr. in d. cap. ab eo*; & hanc esse opinionem crebrius receptam, refert *Mynsig. obseruat. cent. 4. obseruat. 36. nu. 4.*

Et ideo inhærentes huic opinioni explicant, quod si appellans habuit notitiam sententiæ latæ, tunc currunt triginta dies à die sententiæ; d. *l. Iudicibus*, si verò non habuit scientiam, tunc currunt à die habitæ notitiæ; aliàs enim sequeretur inconueniens, quod prius laberentur triginta dies ad petendũ Apostolos, quàm decem dies ad appellandum, qui non currunt ei, qui non fuit præsens sententiæ prolationi; nec fuit personaliter citatus: ad *text. in cap. concertationi, de appell. in 6.* ibi *postquã sciuerit, si velit appellet*, & notat *gloss. Bart. & alij in d. auth. hodie, C. de appellat.* & ita declarat *Marant. in spec. part. 4. vers. & quandoque appellatur, num. 220.* & sequitur *Grauat. ad Vestr. lib. 7. cap. 3. num. 65.* Nos autem quid dicemus? puto distinguendum inter Iudicem, & appellantem, vt Iudici non currat tempus, nisi à die appellationis, & requisitionis, aliàs enim sequeretur absurdum, quod Iudici curreret tempus ad deliberandum de Apostolis dandis, antequã appellatio fuisset interposita; vt notat *tertia additio ad dictã decis. 5. de appellat. in nou.* & in hoc casu opinio eiusdem *Rotæ* posset procedere.

Appellanti autem videtur dicendum, quod tempus currat à die sententiæ, quando fuit præsens, vel verus contumax, sed quando fuit fictus contumax, currat à die scientiæ: iuxta opinionẽ *glossæ prædicta in d. cap. ab eo*, & in *dict. Clem. quamuis*.

Quod autem dicit *glossa in d. l. vnic. ff. de libell. dimiss.* non puto omninò verum; quia *d. l. Iudicibus* per eam allegata, non dicit ex die latæ sententiæ, sed simpliciter ex die sententiæ; vndè considero, quod dies sententiæ verè dici potest, in quo fuit lata, quãdo scilicet lata fuit contra verum contumacem; quia tunc sumit effectum, & currit tempus ad appellandum; sed quando fuit lata contra fictum contumacem, non ligat, & ab ea

ea non currit tempus ad appellandum, sed tunc quando sententia notificata est parti, & ideò tali casu dies sententiæ respectu effectus non debet intelligi dies prolationis, sed intimationis.

Cæterùm hæc disputatio hodie cessare videtur, quia iuxta dispositionem *d. Clem. quamuis, de appellat.* eodem contextu, & eadem cedula appellatur, & petuntur Apostoli; & ita seruat praxis Romanæ Curię, de qua per *Vestr. lib. 7. cap. 3. num. 32. & ibidem per Adden. num. 63.*

392 Et hic nota, quod appellatio, prout in cedula sufficit, vbi illa cedula non fuerit sortita effectum, & non fuerit subsecuta sententia; item vbi non appellatur à nouo grauamine; sed ab eodem, à quo fuerat interposita appellatio per eandem cedulam; paria enim sunt, quod quis det cedulam, vel alias datam repetat, vt fuit dictum in *Terracinen. Molendini 13. Decembris 1589. coram Gypsio*; Aduertendum tamen est, quia hoc procedit, quando appellatur à diffinitiua, à qua potest appellari etiam viua voce: sed secùs, quando ab interlocutoria, à qua appellandum est in scriptis; dum enim appellans repeteret cedulam aliàs datam, verbo diceretur appellationem iterare; vt in *decis. 30. in antiq. de appellat.* ibi *sed hoc non obstante, maior pars noluit audire*; & ita declaratur in *dict. Terracinen. Molendini.*

Prout etiam cessare videtur altera difficultas posita per eandem *tertiam additionem ad dictam decis. 5. de appellat. in nou.* quod si Apostoli peterentur in vltimo momento triginta dierum, Iudex nullum haberet terminum ad tradendum Apostolos; nàm si petuntur in termino ad appellandũ, non possunt dici petiti in vltimo momento temporis ad petendum Apostolos.

Sed dato casu, quod quis appellasset intra decendium, non petitis Apostolis, & eos postea peteret in termino triginta dierum à die sententiæ, vel notitiæ, Iudex vtique haberet terminum dandi Apostolos, quia tunc vel posset admittere appellationem, & dare reuerentiales, vel testimoniales, vel acta, vel posset appellationem non admittere, & dare refutatorios, vel si nõ esset delibe-

liberaqus, & certus, an deberet admittere, vel refutare, posset alium terminum præfigere ad redeũdum pro Apostolis: iuxta dispositionem d. *Clem. quamuis*, §. *verùm si Iudex, de appellat.* ibi *si Iudex certum terminum ad recipiendos Apostolos, appellanti assignet*, & inferius *si Iudex appellanti responderit intra iuris terminum Apostolos se daturum*.

393 Apostoli sic dicti à verbo græco apostello, quod est mitto; vt per *Alberic. in suo Dictionario*; sunt litteræ, & attestationes Iudicis à quo, quibus Iudex ad quẽ certificatur de appellatione ab eo interposita, & per eum admissa: sic *gloss. in l. Præsei*, in verbo *Apostolos*; *C. de appel.* interpretatur Apostolos, idest litteras dimissorias; quæ sic dicunt, notum sit vobis, &c. appellasse à sententia mea, & ideò dimitto eũ à iudicio meo, & ad vestrum dirigo; & de hoc est *text.* per eandem *gloss.* allegatus in *l. vnica, ff. de libell. dimiss.* ibi *post appellationem interpositam litteræ dandæ sunt ab eo, à quo appellatum est ad eum, qui de appellatione cogniturus est, siuè Principem, siuè quem alium, quas litteras dimissorias, siuè Apostolos appellant*; *sensus autem litterarum talis est*; *appellasse putà Lucium Titium à sententia illius, quæ inter illos dicta est*; & est similis *text. in l. dimissoria littera, ff. de verborum significat.* ibi *dimissoriæ litteræ dicuntur, quæ vulgo dicũtur Apostoli. Dimissoriæ autem dictæ sunt, quod per eos causa ad eum qui appellatus est, dimittitur*. Hodie autem regulariter Iudices non scribunt alias litteras, sed parti respondent de Apostolis, cuius responsionis instrumentum Notarius cõficit, quod appellãs recipit, & exhibet Iudici ad quem.

394 Quando igitur Iudex aditus est pro Apostolis, cùm habeat terminum triginta dierum ad respõdendum, potest differre responsionem, & tenere suspensum appellantem vsque ad vltimum momentũ: *Cassad. decis. 8. nu. 5. de appellat.* & si daret terminũ iuris, quod est triginta dierum, appellans non posset redire ante vltimum momentum; & propterea Iudices Romanæ Curiæ consueuerunt respondere, & dare terminum iuris, & interim quandocunque, & propter hęc verba appellans non tenetur expectare vltimum mo-

momentum, & quãdocunque reuertatur infra terminum, censetur in tempore reuerti.

395 Differunt enim hæc intra terminum, & in termino; nàm facere iussus in termino non potest ante vltimum diem facere; sed qui intra terminum, potest quandocunque, dummodò aliàs loco, & tempore congruis: *gloss. in dict. Clemen. quamuis*, in verbo *intra dictũ*, & ibidem *Card. in §. similiter, vers. 3. quæro, de appell. Franc. Felin. & Dec. in cap. personas, de appellat. Luc. Pet. in praxi, lib. 5. cap. 3. de termino iuris, num. 12.*

396 Antequam autem appellans reuertatur pro Apostolis, non potest commissionem, seù Iudicem impetrare; & si impetrasset, impetratio non valeret; quia Apostoli sunt pars appellationis: *cap. 1. & cap. ab eo, de appellat. in 6. l. eos, §. Apostolos, & l. Præses, C. de appellat. Rot. in nou. decis. 41, de appellat.* & licet possint peti vnico cõtextu, debent tamen peti sæpiùs, & instanter, vt in dict. *Clem. quamuis*, & est *text. in dict. l. vnic. ff. de libell. dimiss.* ibi *nam instantiam repetentis constitutiones desiderant*. Hinc Curiales in cedulis appellationum solent dicere, petens, primo, secundo, & tertio, ac instanter, instantius, & instantissimè sibi de Apostolis responderi; adde *Vest. d. cap. 3. num. 32. 33. & 37.* & ibi *Adden. num. 65. in fine, lib. 7.*

397 Sed nec etiam valeret appellatio, quia ob non redditum pro Apostolis, appellationi censetur renunciatum, & sententia trãsit in iudicatũ; *d. Clem. quãuis, de appell. cap. ab eo, de appell. in 6. & l. Iudicibus, C. de appel.* & ita etiã respondit *Rota* in casu, quo erat excessus vnius diei, quo scilicet appellãs rediјt pro Apostolis elapso termino solius diei; *in Perusina de Vbaldis 17. Iuniј 1576. coram Cardinali Pamphilio Seniore*, impressa per *Marches. de commiss. par. 2. fol. 13.*

398 Nec impedimentum infirmitatis superueniens excusaret appellantem à desertione non redeuntem pro Apostolis; vt per *Bal. in l. eos, §. Apostolos, C. de appellat. Boer. decis. 43. num. 9. Mohed. decis. 2. de appellat. Rot. diuers. decis. 144. par. 2. nu. 2.*

399 Quando enim negocium est tale, quod possit tractari per alias personas, putà per Procuratores, tunc infirmitas

non

non est iustum impedimentũ: *Bart. in l. sed etsi, §. 1. ff. quibus ex caus. maior. Seraph. decis. 1131 num. 4.*

400 Neque Procuratoris negligentia non redeuntis pro Apostolis excusaret principalem à desertione; quia debet sibi imputare, si talem constituit Procuratorem: *l. cùm mãdato, ff. de minor.* ibi *imputari debet hoc Domino, qui tali commisit sua negocia; Rot. in antiq. decis. 27. de appellat.* & fuit dictum in *Salutiarum pensionis*, 14. *Nouembris* 1616. *coram Cardinali Verospio*, relata per *Addentes ad Gregor. decis.* 573. *num.* 13.

401 Prout nec sufficeret, si in termino appellans obtinuisset præsentatam à Regente; quia huiusmodi diligentia attenditur, quando sunt dati reuerentiales, quo casu, cùm nullum adsit aliud remediũ, quo appellans possit sibi consulere, sufficit docere de diligentia, & ostendere præsentatam: *Cassad. decis. 4. num. 1. de appell. Crescent. decis. 1. de appell.* non autem attenditur, quando datur terminus iuris; quia tunc debet redire pro Apostolis, aliàs causa deseritur: *d. Clem. quamuis, de appellat.* vt in *dict. Perusina* apud *Marches. par. 2. fol. 13.*

402 Neque prodesset allegare impedimentum facto Iudicis, quia illud potest remoueri per recursũ ad superiorem: *Butr. in cap. ex ratione 7. quæst. de appellat. Alex. cons. 72. nu. 12. lib. 3.* & non dicitur impeditus, qui de facili potest impedimentum remouere: *l. qui potest facere*, cùm ibi not. *ff. de reg. iur.* & ita respondit *Rota in d. Perusina de Vbaldis* apud *Marches. par. 2. fol. 13.*

403 In casu autem, quo Iudex detulisset appellationi, licet non responderet de Apostolis, appellans non tenetur vlterius pro illis redire: *Seraph. decis. 565. num. 19.* fuit dictum *in Compostellana Parochialis 26 Iunij coram Dunozetto*; vt referunt *Addentes ad Greg. decis. 573. num. 15.*

404 Quando autem appellans, qui habuit terminum iuris, nõ vult redire pro Apostolis, potest impetrare commissionem, cum clausula, ità quod pro Apostolis redire non teneatur, attento quod à diffinitiua; & talis commissio valet; vt per *Marches. de cõmiss. par. 2. cap. 1. num. 58. & seq.*

Debet tamen talem commis-

missionem impetrare infra terminum datum pro Apostolis, aliàs si extra, non valeret, nec sufficeret præsentata, seù alia diligentia facta, post terminum, vt fuit dictum in Ripana Parochialis, 6. Aprilis 1609. coram Orthembiengo.

405 Prædicta procedunt quādo Iudex requisitus pro Apostolis à die termini proferuato habiti daret terminum iuris, antequam enim sententiam subscribat, durante termino proseruato, iure quidem potest dare terminum iuris, vt possit pro subscriptione sentētiæ deliberare; vt per *Vestr. dict. cap. 3. num. 33. lib. 7.* secùs autem si requireretur post latam, & subscriptam diffinitiuam sententiam; quia si daret terminum iuris, conferi deberent dati reuerentiales; lex enim defert, & nō esset redeundum pro Apostolis, & commissio impetrata valeret: *Crescent. decis. 2. de appellat. Caput. decis. 157. par. 1.*

406 Sed si appellatum esset à grauamine, tūc quia idem Iudex potest illud reuocare; ideò pendente termino ad dādum Apostolos, si commissio impetraretur, nō valeret: *Rot. in ant. decis. 54. de appellat.*

407 Alio etiam casu quis non tenetur redire pro Apostolis, quando scilicet Iudex in termino iuris dato daret alium terminum iuris; Rota enim tenet, quem non teneri vltra secundam vicem redire pro Apostolis; *Rot. in nou. dec. 57. de appellat. Bellamer. dec. 343. Crescent. decis. 17. num. 7. de caus. poss. & propr.*

408 Hęc autem Apostolorum datio est actus extraiudicialis, & ideò peti, & dari possūt extra tribunal: *Rot. in antiq. decis. 82. de appellat.*

409 Varia Apostolorum genera enumerātur; videlicet, Refutatorij, Dimissorij, Reuerentiales, Testimoniales, & Conuentionales; vt per *Specul. 4. par. tit. de appellat. §. sequitur videre de Apostolis; Io. Andr. in suo ordine iudiciario tit. de Apostolis; Maranta in spec. part. 6. vers. & quandoque appellatur, num. 225. Vestr. in praxi cap. 3. num. 32. lib. 7.*

410 Refutatorij silicet, quando Iudex non vult appellationem veluti friuolam admittere: *l. fin. §. in Refutatorijs, C. de appellat.*

Nàm friuolis appellationibus nec iustitia defert, nec à Iudice deferendum est: *cap. cùm*

cùm appellationibus, de appellat. lib.6. vel quando non vult admittere vti interpositā ab interlocutoria non expressa rationabili causa, ad *text. in cap. vt debitus, de appellat.* & datis Refutatorijs, appellans habet annum ad committendã causam, & sic primum fatale ad prosequendam, & secundum ad finiendam: *Cassad. decis.4. num.2.de appellat. Marches. de commiss. par.2. cap.1.num.69.* & inferiùs dicemus, ea nempè ratione; quia Iudex dãdo Refutatorios, non præfigit aliquem terminum ad prosequẽdum.

411 Dimissorij, quando scilicet Iudex admittit appellationem, ea nempè ratione, quia ius defert, & ideò appellantem dimisit à sua iurisdictione; ad *tex. in d. l. vnic. ff. de libell. dimiss. & d. l. dimissoriæ, ff. de verbor. signific.* & datis dimissorijs, quia Iudex nullum præfigit tempus ad prosequẽdam appellationem, competit appellanti primum, & secundum fatale, vt infra dicemus.

412 Reuerentiales, quãdo scilicet Iudex appellationem ad superiorem interpositam admittit ob eiusdem superioris reuerentiam; & quando Iudex simpliciter dat reuerentiales, & non præfigit tempus appellanti ad prosequendum, tunc appellans, vt supra habet annum ad committendum causam appellationis: *Franc. in cap. oblatæ 57. nu.4. col.3. vers. prima est, quando nullus, de appellat. Scac. de appellat. q.14. num.4.*

413 In Curia autem dantur de stylo inueterato reuerẽtiales in forma, quæ forma extenditur per Notarium, quatenus à diffinitiua, & intra decendium, ac quatenus à legitima persona, aliàs refutatorij: *Cassad. decis.7. num.5. de appellat.* & additur, & cũ termino decem dierum ad prosequẽdum appellationem; idem *Cassad. decis.4. in princ. eodem tit. de appellat. Vestr. in prax. lib.7. cap.vlt. num.2.* de iure enim Iudex à quo potest terminum ad prosequendum appellationem præfigere: *cap. cùm sit, de appellat. Rot. decis. vlt. in nouis, de appell.* licet non ad finiendum; quia inferior non potest superiori legem imponere, vt infra certum terminum causam expediat: *cap. ex insinuatione, de appellat.* Et propterea datis reuerentialibus

causa est committenda intra decem dies: per solam enim impetrationem rescripti dicitur quis appellationem prosequi: *cap. ex parte, il 1. & cap. dilectus, il 2. de rescript.* & not. *Doct. in cap. personas, de appell. Bellam. decis. 259. Crescent. decis. 1. & decis. 8. num. 6. de appellat.* aliàs elapsis decem diebus, & causa non commissa, sententia transit in iudicatum, & deseritur appellatio; *Caput. decis. 31. & 32. par. 1.* Ad euitandam autem desertionem, sufficit in isto termino facere aliquam diligentiam, & iuxta praxim obseruatam satis est obtinere à Regente Cancellariæ fidem manu sua de die præsentationis in calce vnius copiæ cõmissionis, quæ exhibetur in actis Iudicis à quo, vel aliàs sufficit, quod commissio sit in Banco Cursorum intra dictos decem dies: *Vestr. in praxi lib. 7. cap. vlt. num. 5. Lancell. de attent. par. 2. cap. 12. de attent. appellat. penden. in præfat. num. 70. & seqq.*

414 Pro reuerentialibus aliquando solent dari acta: *Rot. in nouis decis. 8. de appellat.* & tunc appellans non aliter se debet præsentare Iudici ad quem; nisi cum actis, & sufficit intra annum cùm tali casu terminus ad prosequendum Iudex non præfigat: *Io. Andr. in suo ordine iudiciario. tit. de Apostolis, vers. Apostoli quadruplices, in fin.*

415 Testimoniales dicuntur, quando in absentia Iudicis appellatur coram Notario, vel honestis personis; quæ cùm non possint scire, nec deliberare, an appellatio sit admittenda, vel ne, non possunt nisi reddere testimonium de appellatione coram eis interposita: *Cassad. decis. 8. num. 8. de appellat. Vestr. d. cap. 3. n. 32.* & quod iuste metuens adire Iudicem, vel illum non inueniens infra tempus ad appellandum possit coram honestis personis appellare; est *text. cum gloss. in cap. fin. de appellat.* & in *cap. pastoralis, in fin. de off. Iud. ordin.*

Ex vsu Hispaniarum petitur per appellantẽ instrumentum, seù testimonium de appellatione interposita; & hoc deseruit loco Apostolorum testimonialiũ, vt in multis causis fuisse obseruatum, testatur *Seraph. decis. 1261. num. 2.*

Datis autẽ testimonialibus appellans habet annũ ad cõmittendam causam; & interim

terim nihil poteſt innouari: *Mantic.deciſ.121.* & non tenetur cauſam committere intra decem dies; quia in eis nõ præfigitur terminus, prout in reuerentialibus: *Put.deciſ.371. lib.2.*

416 Appellans autem in abſentia Iudicis non eſt exemptus ab eius iuriſdictione: *Rot.in antiq. deciſ.13. de appellat.* & an, & quando poſſit appellari in abſentia Iudicis: vide *Rot.in nou. deciſ. 50. de appellat.* & an qui appellauit in abſentia Iudicis teneatur coram ipſo appellare, ſi in termino redierit: vid. *Caſſad.deciſ.8.de appellat.* qui dicit concluſum fuiſſe, quod non, vt etiam *ſupra dictum eſt nu.390.*

417 Conuentionales autem dicuntur, quando pars appellata admittit appellationem, ſiuè in iudicio, Iudice refutãte, ſiuè tacente, ſiuè extra iudicium: ad *tex.in cap.ſapè contingit, de appell.* ibi *vt ſi huiuſmodi appellatio vel à Iudice recepta; vel à parte fuerit approbata*; & pars appellata dicitur deferre, etiam ſi nõ expreſsè, ſed etiã tacitè, vtpotè ſi poſt appellationẽ aduerſarij, etiam à Iudice non admiſſam, conſtitueret ſimpliciter procuratorem ad illam cauſam; quia operaretur cauſæ deuolutionem, etiam ſi procurator proteſtatus eſſet non acceptare mandatum, niſi ad cauſas deuolutas: *Rot.in antiq.deciſ.21. de appellat.Veſtr.d.cap.3.num.32.lib.7.*

418 Sed an geſta pendente termino ad dandum, vel recipiendum Apoſtolos ſint nulla, quæſtio eſt inter Doctores, quam poſt alios examinat *Lancell.de attent.2.par. cap.13. de tempore Apoſtolorum petendorum, num.6.& ſeq.*

419 Quoad tertium tempus proſequendæ, & finiendæ appellationis breuiter dicẽdum eſt, quod lex præfigit appellanti annum ad proſequendũ & finiẽdum; & ex cauſa biennium: *auth.ei qui,C. de tempor. appellat.* ibi *ei, qui appellat impartitur annus intra quem ſecũdum ſe communiterue cum Aduerſario litem exequatur, aut ſi iuſta cauſa interceſſerit alius annus indulgeatur, quo tranſacto, lite non completa, rata manet ſententia*, idem habetur *in l.fin. §.illud, C.eod tit. de tẽp. appellat.* ibi *tunc & enim aliud ei annale tempus indulgemus*; & eſt etiam *tex.in cap.cùm ſit Romana, de appellat.* ibi *appellan-*

tibus annus indulgetur, aut ex necessaria; & euidenti causa biennium; & quia tàm lapsus primi anni nulla adhibita diligentia, quàm lapsus secundi ex causa concessi perimit appellationem, ideò vterque tempus dicitur fatale primū, scilicet,& secundum: *l. 2. cùm auth.sequen.C.de temp.appellat.* à fato,quod sumitur pro morte, quæ omnia extinguit: *Bal. in dict.l. fin. C.de temp.appellat. num.3.*

420 Primus annus incipit currere à die interpositæ appellationis: *Clem. sicut, de appellat.* ibi *sicut appellationem iudicialem, sic & extraiudicialem intra annum à die interpositionis ipsius, vel à die illati grauaminis, vbi à futuro grauamine appellatur, prosequi, & finire tenetur appellans*; & hoc verum est, quando appellatum fuit in Curia,& ibidem causa commissa; quia tunc fatalia incipiūt currere à die appellationis, non autem à die præsentationis commissionis: *Put.decis.56. lib.2.* sed quando in partibus fuit appellatum, & causa fuit commissa in Curia, tunc fatalia non currunt à die appellationis,ex regula,quod agere non valenti non currit tempus; sed currunt à die, quo verisimiliter causa potuit in Curia committi, idem *Put. decis. 151. & 154. lib.2.* adde *Mandos. de commiss. form.18.* in verbo *fatalia, vers. quaro, quando currere incipiant fatalia*; dies autem interpositæ appellationis non computatur in termino fatalium: *Franc.in cap.super eo, il 2. num.22.* & in *cap.ex ratione,num.4. de appellat.* sed benè computatur in termino decem dierum, qui computatur de momento ad momentum: *gloss. in cap. concertationi*, in verbo *sciuerit, de appellat.in 6.Gail.obseruat.139 num.5. lib.1. Gratian. discept. forens.cap.161. num.3.*

Secundus autem annus incipit currere elapso primo anno: *d. cap. cùm sit Romana, de appellat, & d.l.fin. §. illud.C.de temp.appell.*

421 Huic tempori fatalium possunt partes renunciare, sicut & iuri appellandi: *d.l.fin. §.fin.C.de tempor. appell.* ibi *sin autem partes inter se scriptura interueniente, pasciscendum esse crediderint, nemini parti licere ad prouocationis auxilium peruenire, vel vllum fatale obseruare, eorum pactionem firmam esse censemus, legum enim au-*

ste-

sterilitatem in hoc casu volumus pactis litigantium mitigare.

422 Et ideò pendente compromisso, tempus ad prosequendum appellationem non currit: ***Auth. si tamen, C. de temp. appellat.*** vbi dicitur *si tamen in medio causæ apud Iudicem appellationis motæ, vel non motæ aliqui eligantur arbitri, & propterea biennium transeat, intra quod oporteat appellationem finiri; & per quamlibet occasionem ad Iudicem appellationis reuertatur, non lædatur ex casu temporis; sed exerceatur, & terminum legitimum suscipiat; & si decies millies plusquā biennij transierit tempus, nisi biennium cesserit, postquam arbitrium fuerit desertum*; & idem disponit *Clem. quamdiù, de appellat.* in hæc verba, *quādiù appellationis prosecutio per compromissum, vel aliàs de partium expresso consensu differtur tempus ad prosequendam eandē ab homine, vel à iure præfixum, currere nolumus appellanti; nisi fortè Iudex videns ex dilatione periculum imminere, præceperit in illa procedi*; ante tamen acceptationem arbitri fataliū cursus non suspenditur: *Bald. post gloss. in l. 1. in fin. ff. de arbitr. Alex. cons. 87. lib. 5. Dec. in cap. ex ratione sub n. 8. de appel. Rot. in impress. post tract. posti, de manuten. dec. 134. n. 1.* quæ sūt intelligenda, quando cōpromissum est factū in arbitrum, non autem in arbitratorem: *Grauat. ad Vestr. in praxi lib. 7. cap. vltimo, num 41. Lancellot. de attent. 2. par. cap. 12. in præfat. num. 36.*

423 An verò fatalia possint pacto litigantium prorogari, controuersia est inter Doctores, sed verior est opinio, vtpotè quod per partes possint prorogari, non expressè, sed tacitè, vtputà cōpromittendo; ***d. l. fin. C. de temp. appellat.*** sed per scripturam, atque per eosdem principales, non autem per procuratores: ex latè deductis per ***Thesaur. decis.*** 244. ***per tot.*** adde ***Grauat. ad Vestr. lib. 7. cap. fin. num*** 42.

424 Iudex autem, à quo appellatum est, potest moderare, & abbreuiare tempus ad prosequendum appellationem: ***dict. cap. cùm sit Romana, de appellat.*** ibi, ***nisi fortè Iudex, à quo appellatur locorum distantiam, & personarum, & negocij qualitatem recisius tempus fuerit moderatus***; vbi ***gloss.*** in verbo ***recisius*** latè declarat; non autē potest præfigere tempus ad

finiendam appellationem: *cap.ex insinuatione, de appellat.* ibi *licet nobis non potuerit legem imponere, vt eam teneremur infra dictum terminũ expedire*; poteſt itaq; Iudex breuem terminũ appellanti præfigere, ad proſequendum: *Rot. in nou. deciſ. 40. de appellation.*

425 Et quando eſt appellatum à diffinitiua, eo ipſo quod Iudex pręfigit terminum appellanti, licet appellationem non recipiat, cauſa cenſetur deuoluta ad Curiam; ſecùs autem ſi ab interlocutoria: *Rot. in ant. deciſ. 21. de appellat.* Sed quando noluit Iudex appellationi deferre, ſed illam refutauit, non poteſt poſteà terminum appellanti præfigere; vt not. *Innoc. in cap. fin. de accuſat. Rot. in ant. deciſ. 16. de appellat.* ſecùs autem ſi detulit appellationi; quia tunc etiam ex interuallo poteſt terminũ præfigere: *Rot. in nou. d. deciſ. 40. de appellat.*

426 Et huiuſmodi terminus, qui à Iudice præfigitur, non currit appellanti; niſi à die ſcientiæ: *Seraphin. deciſ. 565. num. 7.*

427 Sed an terminum præfixum poſſit idem Iudex prorogare, videtur, quod ſic per *text. in l. 2. ſed ſi Iudex, ff. de iud.* ibi *poſſunt tempora, intra quæ quis iuſſus eſt litem dirimere, prorogari*; quod videtur intelligendum, quando Iudex proceſſit ex officio, aliàs tanquam functus officio, non videtur, quod poſſit prorogare: *Rot. in ant. deciſ. 35. de appellat. Biſign. deciſ. 14. eod. tit.*

428 Sed hic quæro, an elapſo termino præfixo appellanti, poſſit pars appellata coram eodem Iudice à quo, in cauſa procedere abſque alia citatione; dic quod non: *Rot. in nou. deciſ. 32. num. 6. de appell.* vbi dicit opus eſſe noua citatione.

429 Et quod appellanti, cui præfigitur tempus à Iudice ad proſequendum, ſufficiat iter arripere; ſecùs ſi ad ſe præſentandum, quia tunc requiritur perſonalis præſentatio, dicit *Rot. in nou. deciſ. 25. de appellat.* vel requiritur proteſtatio in caſu, quo non poſſit ſe præſentare intra terminum: *Rot. in ant. deciſ. 48. & 50. de appellat.*

430 Et elapſo biennio, niſi fatalia fuerint prorogata, appellatio remanet deſerta, & ſententia tranſit in iudicatum; quia ex præſumptione iuris cen-

censetur is appellationi renũciasse, qui permisit fatalia labi, & in tempore non petijt illorum prorogationem; *auth. ei qui, C. de temp. appellat. cap. cùm sit Romana, & cap. ex ratione, de appellat. Clem. sicut, eodem tit.*

431 Prorogatio enim si fieret extra tempus, non suffragaretur: *Mantic. decis. 92. nu. 2. &* 4. & est *text. in l. sed & si manente, ff. de preca,* ibi *si verò præterita die rogas, proprius est vt soluta iam causa precarij non reintegretur sed noua causa constituatur.*

432 Et ideò lapsis fatalibus ex causa succurritur appellãti per viam restitutionis in integrũ; *cap. ex ratione* 8. *de appellat.* ibi *verùm si appellationem biennio elapso interpositam à sententia contra vos prolata, prosecuti non estis; dummodò prosecutionem ipsius per impotentiam vos constiterit omisisse, nolumus, quod iustitiæ vestræ debeat præiudicium generare. & gloss. in auth. ei qui*, in verbo *manet, sententia, C. de tempor. appellat.* quærit, quid si iusta causa etiam secundo anno fuerit impeditus? & respondet, *datur restitutio ex clausula generali*; & subiungit, *& ita primus, & secundus annus datur à lege, tertius, & alij per restitutionem.*

433 Hæc fatalium prorogatio; hęc aduersus lapsum fatalium restitutio, soli Principi conuenit; qui, vt aiunt, spiritum vitæ, quasi Deus terrestris, peremptæ causæ potest insuflare: *Grauat. ad Vestr. lib. 7. cap. vlt. nu. 43. vbi plures allegat.*

434 Appellans itaque impeditus in primo fatali habet integrum secundum, & si fuerit impeditus in secundo, non habebit nisi illud tempus, per quod fuit iustè impeditus: *Rot. in ant. decis. 60. de appellat.* vide *Put. decis. 154. lib. 2.*

435 Et de stylo Rotæ semper datur bienniũ absque alio impedimento, quando in primo anno fuit causa commissa, & pars citata ad dicendum contra commissionem: *Fastol. dub. 37. Cassad. decis. 6. circa finem, de appellat. Rot. diuers. dec. 181. nu. 1. & 3. par. 3. lib. 2. Duran. decis. 217. num. 10.*

436 Quod si citatio in primo anno non fuisset executa, appellatio remanet deserta, nec excusaret, quod tabellarius, qui citationem exequendam portauit, fuerit deperditus, quia potuit expediri alia, & non sufficit probatio impedi-

menti in vna parte anni, quãdo in alia eiusdem anni parte non fuit facta diligentia: *Put. decis.*154. *nu.*4. *lib.*2. & quando desertio fundatur in non prosecutione causę intra tempus, ad illam excludendam sufficit quælibet diligentia: *Cassad. decis.*4. *de appellat nu.*1. Secùs quando fundatur in eo, quod intra annum nulla est facta citatio; nàm non sufficit sola commissio causæ intra annum; sed requiritur citatio: *Achil. decis.*11. *de appell. Rot. in recent. decis.*156. *num.*3. *par.*2.

437 Et per *Rotam vigore Bullæ Innocentianæ*, quæ est *Constitutio Innocentij Octaui*, 13. §.8. *in nouo Bullario lib.*1. *fol.*386. prorogantur fatalia pluries, & quoties visum fuerit, ibi, *& dum eis videbitur expedire fatalia in causis prorogare, vel de nouo concedere*, licet secùs sit de iure communi; ad *not. in Clement. sicut, de appellat.* sed an prorogatio fatalium possit fieri sine partis citatione; & videretur dicendum, quod non; iuxta *l. de vno quoque, ff. de re iud.* & quia dicta Constitutio debet intelligi, vt minus præiudicet iuri communi: *cap. cùm dilectus, de consuet.* maximè quia dicta verba, *prout videbitur expedire*; important arbitrium boni viri, vt sic adhibeatur causæ cognitio: *l. in causa, la prima*, §. *causa enim cognita, ff. de minor.* iuncta *l. fideicommissa*, §. *quanquam, ff. de leg.*3. *Doct. in cap.*1. *de constit.* & de iure communi dilationis prorogatio non fit, nisi causa cognita; *l. fin. ff. de fer. l. à procedente, C. de dilat.* ideò de iure fatalium prorogatio nõ valet absque citatione: *Bald. in l. prima, C. quomodo, & quando Iud. col. penult. Fed. de Senis, consil.*289. *Crescent. decis.*3. *de off. delegat. num.*3. *Rota* tamen vigore prædictæ Cõstitutionis Innocentianæ prorogat fatalia etiã absque citatione partis, ea ratione quia passim prorogationes concedit, nec partium reclamationẽ audit, & propterеà cùm Rota possit prorogare etiam inuita, & contradicente parte, non est necessaria eius citatio; *Crescent. decis.*3. *de offic. delegat. Cassador. decis.*7. *num.*8. *de appellation. Vestr. in praxi lib* 7. *cap. vlt. num.*13. *Gabr. de citation. conclus.*1. *num.*495. & ideò si citaretur aliquis putatiuus procurator, vel qui non acceptauit

uit mandatum, valeret nihilominus prorogatio, quia si actus sustinetur sine aliqua citatione partis, multò magis debet sustineri cum citatione, licet facta de persona minus legitima: *Cassad. dicta decis.7. num.1.Vestr d.cap.fin. nu.13. vid.infra num.440.*

438 At si appellans non contentus de dicta Innocentiana obtineret commissionem pro fatalium prorogatione, vel pro nouo termino, tunc si peteret vigore commissionis, necessaria esset citatio partis, quia commissio non probat, neque firmat iurisdictionem, nisi parte citata; *gloss. & Bart. in extrauag. ad reprimendum*, in verbo *de plano*. Sed non obstante superuenietia commissionis potest nihilominus Rota vti facultate in dicta Constitutione Innocentiana concessa: *Cassad. d. decis.7. Vestr. dicto cap. fin. sub num.13.* qui subiungit, quod Auditor in dubio censeretur prorogasse vigore Innocentianę; sed quãtum ad nouum terminum ait, *num.15.* nunquam vidisse Patres vsos fuisse tali facultate, sed potius eos vidisse per viã restitutionis appellantem audire; & quod Rota non solet longiores prorogationes concedere, quàm ad sex menses præter primam, quàm potest concedere ad annum.

439 Aduertendum est, quod Innocentiana loquitur de solis Auditoribus Rotæ, & ideò procedit in solis causis Rotalibus; in causis autem extra Rotam necessaria est specialis commissio: *Vestr. lib. 7. cap. fin. num.13. in princip. sed Cherubin. in suo Compendio Bullarij in Const.13. Innoc. VIII. to.2. fol.79.* dicit idem posse facere Auditores in causis extra Rotam, & pariter alios Prælatos, ex quo *Pius Quartus in sua Constitutione 59. §.9. in Bullario nouo lib.2. fol.85.* hanc eandem facultatem expresse concessit omnibus Prælatis, & etiam Auditoribus Rotæ in causis extra Rotam commissis, sed reuera: *Pius Quartus in dict. §.9.* non extendit generaliter Constitutionem Innocentianam ad alios Prælatos, quoad omnes facultates in ea concessas; sed solum quoad facultatem reiterandi terminos substantiales, non autem loquitur de facultate prorogandi fatalia; dicit enim formaliter *quilibet Iudex in quibuslibet causis corã eo in-*

tro-

troductis, & introducendis, & etiã Auditor Rotæ in causis extra Rotam commissis possint omnes terminos substantiales in vim commissionis à fœl.rec. Innocentio Papa Octauo Prædecessore nostro, quàm ad omnes Iudices, & etiam Auditores in causis præmissis tenore præsentium extendimus absque alia speciali commissione reiterare.

440 Sed superuenit *Constitutio Pauli V. super reformatione Tribunalium Vrbis, qua in tit. de Auditorio Rotæ* cauetur, quod Auditor prorogationes fatalium sæpiùs, & passim non concedat; sed tantum ex aliqua honesta causa, ac præuia illius cognitione arbitrio Rotæ, quo fit, vt necessaria sit partis citatio,

441 Et post aliquas prorogationes noua commissio. Cõmissio autẽ prorogationis fatalium si signaretur cum clausula, dummodò aliàs non fuerint prorogata, minimè suffragaretur, si aliàs fuissent prorogata: *Cas. de Grass. dec. 134. nu. 2.*

442 Fataliũ prorogatio omninò petenda est tempore durante; & si prorogentur, durante termino biennij, tunc dies termini prorogati non computatur à die factę prorogationis, sed à die finiti biennij: *Mandos. de commiss. prorog. fatal. in verbo lite, & causa; Marches. in commiss. prorogat. fatal. cap. 1. §. 1. nu. 58. Put. decis. 385. lib. 1.*

443 Et quando non sunt petita, sed prorogata, non solum sententia trãsit in iudicatum: *Seraphin. decis. 457.* cum alijs superiùs adductis, sed etiam testes examinati post lapsum fatalium remanent nulliter examinati ex defectu iurisdictionis: *Felin. in cap. inter Monasterium nu. 23. vers. tertio, tempera, de re iud.* nec excusaret pendentia remissoriæ, quãdo ea fuisset concessa post lapsum fatalium: *Cassad. decis. 9. de appellat. Franc. in cap. ex ratione, col. 7. vers. circa text. de appellat. Rot. post cons. Farin. decis. 185. part. 2.* quæ est eadem cum *decis. 199. par. 1. diuersor.*

444 Et idcircò omninò cauere debent procuratores, ne fatalia labi permittant, quia esset magna negligentia, quæ æquipararetur dolo: *l. quod Nerua, ff. de posit. l. magna negligentia, ff. de verb. signific.* & ad refectionem damnorum, & interesse tenerentur, & quod peius esset famam denigrarẽt,

vt

vt etiam admonuit *Mandos. form.* 18. *commiss. fatal. prorog.* in verbo *labi contingat*.

445 Nec cōfidant in remedio restitutionis, quandoquidem restitutio in integrum aduersus lapsum fatalium, vt competat, non sufficit allegare solum lapsum fatalium; sed probari debet, quod si non essent lapsa fatalia, sententia esset pro eo ferenda, & hoc siuè sit maior, siuè minor, ne quid frustratoriū fieret: *Castr. in l. vlt. num. 5. in fin. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necess. Lancellott. de attent. par. 2. cap. 14. num. 2. vsque 14. Gratian. disceptat. forens. cap. 762. num. 18.*

446 Et quando prorogationes fatalium fuissent obtentæ ab assertis procuratoribus, si posteà legitimi procuratores aliàs prorogationes obtineant, censentur priores ratificatæ; si quidem prorogationes fatalium possunt per Iudicem dari ex officio: *Seraph. decis. 362. num. 3. & 4.*

447 Impedito autem non currunt fatalia, nàm agere non valenti, nō currit præscriptio: *l. 1. §. vltim. C. de annal. except. l. in rebus, C. de iur. dotium*; & quod impedimentum excuset à prosecutione appellationis: dixit *Rot. in nou. decis. 25. in fin. de appellat. Lancellot. de attent. appell. pend. par. 2. cap. 12. limit. 3. num. 6.*

448 Sed impedimentum allegans debet probare cum sit quid facti: *Caput. decis. 72. n. 1. & seq. par. 2. Rot. in recentiss. decis. 81. num. 4. in fin. part. 1.* & hic considero, quod ex pluribus impedimentis, quæ possunt contingere, alia non excusant à temporis cursu, alia cursum temporis impediunt, aliaque denique aduersus tēporis lapsū restitutionis causam præbent.

449 Impedimenta, quæ non excusant, sunt ea, quæ possunt remoueri, qui enim potest facere, vt possit conditioni parere, iam posse videtur: *l. qui potest facere, ff. de reg. iur.* & impeditus non dicitur, qui impedimentum facilè potest remouere: *gloss. in cap. quia diuersitatem, in verbo suspensionis*, & ibi *Abb. ad fin. de concess. praben. Seraph. decis. 997 nu. 3. & decis. 1066. num. 1. Mantic. decis. 92. num. 2.* non enim negligētibus subuenitur, sed necessitate rerū impeditis: *l. non enim negligentibus, ff. ex quibus caus. maior.* nec excusat impedi-

dimentum ex propria culpa, proprioue facto prouenienس: *l. quibus diebus, in princ. ff. de condit. & demonstr.* ibi, *nec per te stet quominus agendo ob calumniam eum submoueas*; *Crescent. decis. 10. de caus. possess. & propriet. Put. decis. 327. n. 4 lib. 2.* atque impedimentum censetur procuratum ab eo, qui impedimento vult se excusare: *Rot. in recent. decis. 72. num. 7. par. 1.* & quisque tenetur remouere impedimẽtum, quando id facere potest absq; sui præiudicio: *Seraphin. decis. 1239. num. 4.* & non sufficit probare impedimentum, nisi etiam probetur illud causam dedisse, quominus impeditus illud nõ præstitit ad quod tenebatur: *Seraph. decis. 1206. nu. 3.*

Et impedimentum nõ prodest illi, qui potest sibi alia via succurrere: *Sarnen. in reg. de annal. quæst. 71. Afflict. decis. 50. num. 4. Put. decis. 327. sub num. 4. lib. 2. Rot. post cons. Farinacc. dec. 348. nu. 4. par. 2.* Et probanda est diligentia remouendi impedimentum, ad hoc vt excuset; *Felin. in cap. ex transmissa, in princ. de præscript. Caput. decis. 72. nu. 5. par. 2. Rot. in recent. decis. 343. num. 1. par. 2.* fallit autẽ quando remouere impedimentum, non fuisset in eius potestate ad not. per *Doct. in l. quæ sub conditione, §. quoties, ff. de condit. instit.* prout etiam fallit, quando appareret diligentiam remouendi ab initio non fuisse profuturam; ita declarat *Rot. in recent. decis. 567. num. 4. & 6 par. 1.*

Atque impeditus, vt excusetur à non facto, probare debet, se fuisse paratum facere, & impedimentum fuisse in causa, quod non fecerit: *Bartolus in l. qui commeatus, ff. de re milit. Afflict. decis. 29. Rot. in recent. decis. 662. num. 8. par. 2.* fallit in his, quæ dependent ab animo, in quibus staretur soli assertioni impediti: *Felin. in d. cap. ex transmissa, num. 2. vers. quæ omnia, de præscrip. Boer. decis. 40. nu. 7. Rot. in recentior. decis. 631. num. 3. par. 2.*

Similiter non excusant ea impedimenta, quæ non sunt duratura; quando enim impedimentum esset accidentale; & non diù duraturum expectandum est, quod cesset: *Castren. in l. cùm antiquitas, nu. 5. Alex. num. 6. C. de testam. Rot. in recent. decis. 713. nu. 4. par. 2.* & nisi impedimentum sit conti-

ti-

tinuum non suffragatur alleganti illud: *l. quibus diebus*, & ibi *Bart. num. 3. ff. de condit. & demonstrat. Caput. decis. 172. num 6. & 7. part. 2. Rot. in recent. decis. 493. num. 8. par. 1.*

450 Noto tandem in hac materia, quod de iure communi requiritur protestatio, per se non stare, ad effectum, vt impedimentum excuset; *gloss. in cap. cupientes*, §. *quod si per viginti*, in verbo *proposita*, *de elect. in 6. Bald. in l. properandum*, §. *sin autem vtraque*, *n. 2. C. de iudic.* & tenent communiter *Doctores*; vt per *Bisign. decis. 17. de appellat. & Rot. in ant. decis. 22. de iud. cum alijs per Crescent. alleg. in decis. 5. de excep.* Rota tamen tenet, quod protestatio non sit necessaria, sed ad cautelam, & sufficiat si aliundè constet de diligentia, & quod per eum non steterit, & est æquior opinio: *Crescent. d. dec. 5. de except. Caput. dec. 73. num. 1. part. 2. Rot. in recentior. par. 1. decis. 567. num. 7.*

451 Impedimenta, quæ cursum temporis impediunt sunt ea, quę vel proueniunt à Principe, vel à Iudice, vel à parte; ideòque fatalia non currunt impedito facto Principis, vel partis; *Abb. in cap. ex insinuatione, nu. 3. in 2. not. de appellat. Boer. decis. 247. num. 14. Caput. decis. 13. num. 1. par. 2.* prout nec currũt impedito facto Iudicis, quod impedimentum maius esse dicunt *Doctores in d. cap. ex tali ratione, de appell. Put. decis. 154. num. 6. lib. 2.* & impedimentũ quodlibet iustũ facit, vt suspẽdatur actio causæ, & cæptum iudicium, donec auferatur; *Rot. diuers. decis. 206. num. 3. par. 3. lib. 2.*

Si igitur stat per Principem, tempora appellationis non currunt, *Auth. sed & lis, C. de temp. appellat.* cuius verba sunt hæc; *Sed & lis, quæ speratur in Consistorium Principis inferri absque damno mora maneat intacta, donec ipse faciat eam introduci, & à proceribus secundum morem dirimi*, quando scilicet dilatio prouenit propter occupationes Principis; secùs si propter negligentiam partis; vt *per Doct. in d. auth. sed & lis; Lancell. de attent. cap. 12. in præfat. nu. 41. & 43. Seraph. decis. 997. num. 8.*

Hinc dum disputatur in Signatura Principis super appellatione, an sit committenda causa appellationis, fatalia non currunt, sed in eorum cõputatione, illud tempus est sub-

subducendum; *Castr.conf.* 231. *visis actis, numer.* 2. *lib.* 1. *Lancellott. de attent. par.* 2. *cap.* 12. *de attet. appell.pend.ampliat.* 19. *num.* 6.

Prout etiam est subducendum tempus Sedis vacantis; *Lancell.de attent. par.* 2. *cap.* 12. *de attent. appell. pend.in praefat. num.* 54. *Seraphin. decis.* 362. *num.* 2.

Qua etiam ratione subducendum est tempus vacantiarum, vt sępiùs *Rota* resoluit; vt refert *Salust. Tib.in sua praxi lib.* 2. *cap.* 21. *de execut. rei iud. num.* 12.

452 Si stat per Iudicem appellationis fatalia non currunt; *Auth. si appellatione, C.de tẽpor. appellat.* ibi, *& Iudex in definitis diebus eam suscipere differat: nullum praeiudicium partibus, aut vni earum ex hoc penitus volumus fieri*; & idem dicitur in *Auth. vt sponsalitia largitas*, *§. hoc quoque sancimus*; aduerte tamen, quod tali casu non currunt fatalia, quantum ad effectum, quia datur restitutio; vt notat *gloss. in d. Auth. si appellatione, & in d. §. hoc quoque*, in verbo *praeiudicium*, per Iudicem autem stetisse, dicitur, quando dedit longiores dilationes, vel copiam sui non fecit, vel per gratiam, aut per sordes ius non dixit; tunc enim laeso datur restitutio; vt *est tex. in l. sed etsi per Praetorẽ, §. ait Praetor, ff. ex quibus caus. maior.* Non potest tamen excusari, quod quis non appellauerit; minusque quod non fuerit appellationem prosecutus propter timorem Iudicis; quia vbi Princeps, ibi securitas, & vana formido non patrocinatur formidoloso; *l.* 1. *C. de his qui per met. Iud. non appell.* ibi *in sacro enim comitatu nostro timere nihil potuisti*; sed quãdo adest iustus metus tunc timens appellare debet, & protestari, & allegare causam timoris; & talis protestatio habetur pro legitima appellatione; vt est *text.* cum *glossa* 1. *in l.* 2. *eod. tit. C. de his qui per met. Iud. non appell.*

453 Sed an fatalia currãt, postquã Iudex tenuit terminũ ad sententiã, & non subscripserit *Rota* non resoluit, sed accepit tẽperamentum, vt videretur de bono iure, & ita factũ fuit; vt testatur *Caput.dec.* 14. *par.* 2. Sed quod non subscripta sententia currant fatalia; refert *Lancell.de attent. par.* 2. *cap.* 12. *de attent appell. pend. in praefat. num.* 31. *&* 32. fuisse tentum

in

in *vna Segobien. de Aldea corã Accorambono 27. Aprilis 1556. & in vna Calaguritana admissionis coram Robusterio 29. Ianuarij 1565.*

454 Sed an posſit excuſari quis à lapſu fatalium propter abſentiã Iudicis, videtur quod non; quia tale impedimentum potuit facilè remoueri, impetrando aliũ Iudicem: ad *l. qui poteſt facere, ff. de reg. iur.* cum alijs allegatis per *Mantic. decis. 92. num. 2.* adde *Dec. conſ. 677. num. 5.* vbi declarat concluſionem hanc, quod non currit tẽpus proſequendi appellationem, quando ſtetit per Iudicem, quominus cauſa fuerit terminata, non procedere quando appellans potuit per recurſum ad ſuperiorem, vel alia via ſibi prouidere; & eſt *text. in l. fin. §. illud, C. de tempor. appellat.* ibi *iubemus eundem appellatorem, niſi obſeruauerit iudicium, & cauſam vſque ad finem peregerit; ſed per eum ſteterit, quominus omnia litis certamina impleantur, appellatione defraudari; & ſententiam contra eum latam in ſuo robore durare, & ad effectum perduci, tãquam ſi ab initio fuerit minimè prouocatũ; niſi ipſe appellator euidentiſſimis probationibus poſſit oſtendere, ſe quidem ſumma ope niſum voluiſſe litem exercere: per Iudicem autem ſtetiſſe, vel aliam inexorabilem cauſam ſubſecutam, propter quam hoc facere minimè valuit.*

455 Si ſtat per partem, vtputà ſi fatalia effluxerint ex cauſa appellati; quia procurauit lõgiores inducias; fatalia nõ currunt: *Caſſad. dec. 9. de appellat. num. 5. Franc. in cap. ex ratione, num. 36. verſ. circa tertium impedimentum, de appellat. Caput. deciſ. 13. num. 2. par. 2.* nec etiam currunt, quando reus ſubterfugiens cauſam protelauit; *gloſſa magna in cap. venerabilis, de Iud. Alex. conſ. 42. lib. 3. Grauat. ad veſtr. lib. 7. cap. vlt. num. 44.* minuſque quando obtinuit mandatum de ſuperſedendo: *Caputaq. deciſ. 13. num. 3. par. 2.*

456 Et quia impedimentum à parte præſtitum non debet ei ſuffragari, ideò impediens ſe citari habetur pro legitimè citato; *cap. quoniam frequenter, §. porrò,* & ibi *Abb. num. 3. vt lit. non cont. Creſcent. deciſ. 18. num. 2. de ſent. & re iud. Rot. poſt conſ. Farinac. par. 1. dec. 99. nu. 1. & par. 2. dec. 348. nu. 3. Seraph. deciſ. 1094. num. 2.*

Sic

457 Sic etiam impediens, quominus iura extrahantur in forma probanti, excipiendo non auditur; sed in eius odium admittuntur; & habentur pro ritè, & rectè factis, & eis fides adhibetur: *Bart. in l. publicati, C. de testam. num. 8. Ias. in autb. si quis in aliquo, col. 4. Fallent. 7. C. de eden. Dec. cons. 36. sub nu. 2. vers. sed ratio, & fuit dictum in Ciuitaten. Scholastriæ 24. Martij 1597. coram Cardinali Pamphilio*; Aduerte, quia hæc decisiò legitur apud *Marchesanũ lib. 1. fol.* 380. hęc tamen non leguntur, quia non est integra; deficiunt enim responsiones ad obiectus, quibus prædicta habẽtur, & impediẽte parte aduersa, ne originalia producantur in iudicio ad alterius partis præiudicium, eo casu copię ex originalibus extractæ iuuant, & loco originalium instrumentorum cũ eodem effectu habentur: *Rot. diuers. decis.* 124. *par.* 3. *lib.* 3. *per totam*; ità etiam testibus nulliter examinatis ob impedimẽta, & tergiuersationes partis non solum ex æquitate; sed etiam iure ordinario fides est adhibenda; vt per *Doct. in cap. peruenit, il 1. de testib. cogen. Ferrett. cons.* 160. *lib.* 1. *Seraph. decis.* 1154. *n.* 2. *& decis.* 1296. *num.* 10. adde quod etiam dicitur stetisse per partem, quod appellans non potuerit prosequi causam, quãdo scilicet pars ita tergiuersata fuit, vt secum agi non potuerit: *l. sed & ad eos, ff. ex quib. caus. maior.* ibi *qui conuenti frustrantur & qualibet tergiuersatione, & solertia efficiunt, ne cum ipsis agi possit*; vtpotè si Iudicem corruperit, ne ius diceret; *d. l. sed etsi per Prætorem, §. ait Prætor, ff. ex quib. caus. maior.* ibi *nàm id egit litigator, ne secum agatur, dum Iudicem corruperit.*

458 Si verò stat per aliũ currit tempus, sed agitur contra eũdem de dolo ad interesse; *l. arbitrio, §. de dolo, ff. de dolo malo*; at si ille nõ esset soluẽdo, restitueretur ad litem; *l fin. de eo, per quem factum est*, ibi *planè, & si is, qui dolo fecerit, quominus in iudicio sistatur soluendo non fuerit, æquum erit aduersus ipsum reum restitutoriam actionem competere, ne propter dolum alienũ reus lucrum faciat, & actor damno afficiatur*; & not. *gloss. in d. auth. si appellatione*, in verbo *nullum præiudicium, C. de temp. appell.*

459 Sed quando impedimentum

tum

mentum per alium factum, fuisset procuratum à parte appellata, tunc tanquam ab ea proueniens cursum temporis non impediret; præsumitur enim illatum ad instantiam eius, de cuius interesse agitur; iuxta ea, quæ de recursu ad laicos, vt præsumatur ad instantiam habentis interesse; *diximus supra in cap.4. nu.16. Rot. in recent. dec. 529. nu.4. par.1.*

460 Et quod impedimenta præstita etiam per Iudicem quominus libri Mercatorum exhibeantur, præsumātur procurata per eosdem Mercatores, ne ex eis detegatur error; censuit *Rota vt in recent. par.1 decis.52. num.7.*

Si stat per ipsum appellantem, vtique currunt fatalia, quando potuit impedimētum remouere: *l. qui potest facere, ff. de reg. iur.* & superiùs dictum est.

461 Si autem appellans moriatur, non currunt fatalia; sed interrumpitur eorum cursus, & vltra tempus remanens de fatalibus dantur hæredi alij quattuor menses à die aditæ hæreditatis: *l. fin. C. si penden. appellat. mors interuen.* vbi dicitur *Si vnus ex litigatoribus adhuc pendente appellatione, defunctus sit; non residuum tantum temporis hæredes eius habeant; sed etiam alios quattuor menses; sin autem ad deliberationem hæreditatis certum tempus indulgetur: post lapsum eius temporis quattuor mensium numerabitur spatium, ne ignorantes negocium, vel etiam super adeunda hæreditate dubitantes, prius quam aliquod commodum sentiant, damnis affici compellantur*; & regulariter impeditus, & ignorans æquiparantur: *l. fin. ff. pro suo*, ibi *quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error est*; & qui succedit in locum alterius habet iustam causam ignorantiæ; *l qui in alterius, ff. de reg. iur. Rot. in recent. par.2. decis. 662. num.9.* & hac ratione, quia fatalia non currunt mortuo; censuit *Rota apud Crescent. decis.4. de appellationibus:* quod licet in beneficialibus non detur successio, tamen si in lite super beneficio quis appellauit, & deindè pendente cursu fatalium obierit, executio sententiæ non possit fieri contra successorem in beneficio, etiam intrusum, attento quod contra mortuum non sunt lapsa fatalia, nec contra ipsum,

qui non erat in causa.

462 Sed quod à lapsu fatalium non excuset obitus procuratoris substituti in causa, cùm superesset in Vrbe procurator principalis, qui illum substituerat, & in causa comparuerat; respondit *Rota in vna Cæsaraugustana Parochialis 16. Ianuarij 1589. coram Comitulo.*

463 Sistat per vtramque partem, dicitur impedimentum mixtum, & impedit cursum fatalium: *Caput. decis. 11. par. 2. & in d. Cæsaraugustana coram Comitulo*; licet enim, vt & superius dictum est, tempus decem dierum ad appellandum non possit impediri, nec per partes, neque per Iudicem abbreuiari siuè tacitè, siuè expresse: *Franc. in cap. ex ratione, de appellat. Maran. in spec. par. 6. vers. & quandoque appellatur, num. 236. Grauat. ad Vestr. lib. 7. cap. fin. num. 42.* Tamen secùs est in prorogatione fatalium, vt etiam superiùs dictum est; licet enim quæstio sit controuersa, tamen verior est opinio, quod partes possint cursum fatalium impedire, seù prorogare vltra biennium: *l. fin. C. de tempor. appellat. Doct. in l. properandum, C. de iud. Roman. cons. 174. Bacc. decis. 283. Grauat. ad Vestr. d. numer. 42. Thesaur. decis. 244. per tot.*

464 Et propterea vt etiam supra dictum est, pendente cõpromisso, fatalia non currunt; *Auth. si tamen, C. de temp. appellat. Clem. quamdiù, de appell.* quando scilicet factum est in arbitros, non autem in arbitratores; ex adductis per *Lancellot. de attent. par. 2. cap. 12. in præfat. num. 33.* & non ante, sed post eius acceptationem: *Rot. in impress. post tractatum*; *Possi de manutenendo, dec. 134. num. 1.*

465 Hinc fatalia non currunt, sublecuta transactione, quando scilicet fuit facta ante illorum lapsum; *d. Clem. quamdiù, de appellat. Rot. post cons. Farinac. part. 1. decis. 108. num. 2.* Sed quid si primum fatale sit lapsum, & nihilominus appellans, & appellatus prosecuti sunt causam, & intra secundum fatale Iudex appellationis pronunciauit, an appellatio fuerit deserta, an verò primum fatale censeatur tacitè fuisse prorogatum per partes; hanc quæstionem examinat *Cacher. decis. 28.* & dicit veriorem esse opinionem, quod appellatio remanserit deserta;

&

& quādo lapsa sunt fatalia Iudex à quo potest suam sententiam mandare executioni, absque eo quod Iudex, ad quem pronunciet super desertione, vel confirmet primam sententiam: *M'obed. decis. 3. de sent. & re iudic.* & quamuis iurisdictio expiret post desertionem; & sententia sit nulla, etiam vtraque parte prosequente

466 Tamen de stylo Rotæ Iudex ad quem potest sententiam, & post lapsum fatalium confirmare, non autem infirmare; vt per *Caſ. de Graß. decis. 1. per tot. de appellat. Mobed. decis. 9. nu. 2. eod. tit.* Pendente autem iudicio non currunt fatalia alterius iudicij.

467 Et ideò quamdiù agitur super attentatis fatalia appellationis non currunt: *Rot. in ant. decis. 79. de appellat. & in nou. decis. 15. eod. tit. Mantic. decis. 99. nu. 3. Seraph. dec. 797 num. 2. & 983. num. 13.*

Fallit quando constaret, appellantem dedisse de attentatis ob calumniam, nempè quando in iudicio attentatorem succubuit, tunc enim fatalium tempus non subducitur: *Rot. in nou. decis. 15. de appellat. Crescent. decis. 10. n. 3. de caus. poss & propr. Grauat. ad Vestr. lib. 7. d. cap. vlt. nu. 44.* alias declarationes huius conclusionis latè ponit *Lancellot. de attent. 3 par. cap. 30. de priuileg. attentat. in 10. priuileg. num. 93.*

Eadē ratione Rota censuit, non fuisse suspensa fatalia eo tempore, quo causa per appellantem fuit tractata in Tribunali confidentiarum, cùm altera pars fuerit absoluta, vt in *d. Cæsaraugustana Parochialis 16. Ianuarij 1589. corā Comitulo.*

468 Disputatio autem dubiorum, quæ fit in Rota, non impedit cursum fatalium: *Rot. diuers. decis. 199. par. 1.*

469 Remissoria, quando fuit petita per appellantem, & ad eius instantiam decreta, sed non fuit expedita in tempore, tunc fatalia currunt, quia appellans fuit in culpa: *Caput. decis. 12. per tot. par. 2.*

Si verò Remissoria fuit decreta ad instantiam appellati, impedit cursum fatalium: *Rot. in nou. decis. 7. de appellat. Abb. in cap. ex ratione, num. 8. vers. quandoque, & ibi Franc. vers. tertium impedimētum, & Dec. num. 10. vers. quartus casus, Caput. decis. 11. num. 2. par. 2.*

Et quando remissoria siuè ab vno, siuè ab alio fuit expedita, tunc quia pendente dilatione, conquiescit officium Iudicis: *l. siuè pars, C. de dilat.* fatalia non currunt; *Cassad. decis. 9. de appellat. Lancell. de attent. 2. par. cap. 12. in præfat. nu. 38.*

470 Pendente iudicio possessorio, non currunt fatalia in petitorio; stante enim suspensione in eo non potest procedi; *Rot. diuers. decis. 857. nu. 3. par. 3. lib. 3. & par. 5. decis. 312. num. 3.* imò etiam post finitum iudicium spolij non currunt fatalia in petitorio, donec & quousque non fuerit paritum per spoliantem: *dicta decision. diuers. 857. in fin. lib. 3. Pont. de spolio, lib. 4. nu. 61.*

471 Pendente autem causa nullitatis, an fatalia appellationis currant.

Dico breuiter, quod in Curia appellantes regulariter obtinent commissionem causæ appellationis, nullitatis, & restitutionis in integrum, & quælibet causa habet diuersũ fatale, nempè causa appellationis biennium, restitutionis in integrum, quadriennium, & nullitatis triginta annos, itaque appellans si obtenta hac commissione tacet per biennium, sine dubio causa appellationis deseritur per lapsum biennij; remanet tamen fatale restitutionis in integrum, & etiam fatale nullitatis, quæ incipiunt à die commissionis, non à die citationis ad dicendum contra commissionem: *Achil. decis. 2. de in integr. restit.* & itá etiam effluxo quadriennio restitutionis in integrum non remanet deserta causa nullitatis, quæ durat triginta annis, vt fuit declaratum in *Placentina Parochialis de Malpartida, prima Iulij, & 6. Nouembris 1602. & prima Decebris 1603. coram Litta.* adde *Vestr. lib. 8. cap. 1. nu. 3. & seq.*

At si appellans obtenta huiusmodi commissione agit infra biennium pro restitutione in integrum, tunc fatalia appellationis currunt, quia appellans dùm petit restitutionem in integrum aduersus rem iudicatam, vtique fatetur non intrare remedium appellationis ordinarium; sed extraordinarium restitutionis in integrum, & casu quo restitutionis remedium nõ intraret, sed haberet locum remedium appellationis; nihilominus, quia impedimentum prouenit facto, vel culpa appellãtis, ideò

ideò non impedit cursum fatalium iuxta prædicta.

Quando autem infra bienniū appellans aggreditur causam nullitatis, tunc non currunt fatalia restitutionis in integrum ex æquiori opinione: *Achil. decis. 1. de in integr. restit. Lancellot. de attent. par. 3. cap. 30. num. 107.*

Neque etiam currunt fatalia appellationis, pendente causa nullitatis, quando scilicet causa nullitatis fuit commissa, quia tunc nullitas venit æquè principaliter; secùs quādo simpliciter fuit dictum de nullitate; quia tunc venit incidenter: *Put. decision. 106. & 172. lib. 2. Rot. diuers. decis. 33. numer. 5. & seqq. part. 3. lib. 3. & in impress. post dictum tractatū de manutenendo, dec. 133. num. 3.*

Hoc autem, quod pendentia causæ nullitatis impediat cursum fatalium appellationis, intelligendum est, quando nullitas vera est, & non mendicata, & quando notoriè patet: *Lancellott. de attentat. cap. 17. num. 72. & 73. Rota in eisdem impresi. post dictum tractatum Posti de manutenendo, decis. 134. num. 5.*

472 Pendente etiam negocio coram peritis, seù calculatoribus fatalium cursus suspenditur, sicut enim fatalia nō currunt, durante tempore ad habendum consilium sapientis: *Corn. consil. 182. num. 3. lib. 3. Gabr. tit. de arbitr. concl. 4. nu. 3.* ita etiam quando negocium pēdet coram peritis, seù Calculatoribus fatalia non currūt; quia ipsi etiam in eorum arte possunt dici sapientes, quorū consilium requiritur, & Iudex tenetur sequi iudiciū peritorum eius artis, quam ipse non nouit; & standum est peritis in arte: *ad not. in cap. fraternitatis, & in cap. fin. de frigid. & malef. & in cap. fin. de hæret. in 6. Rot. in eisdem impresi. post dictū tractatum de manutenen. decis. 9. num. 6. 7. & 8.*

473 Impedimenta denique, quæ non suspendunt cursum temporis, sed præstant causā restitutionis in integrum, sunt plura, de quibus *in toto titulo, ff. ex quibus causis maior.* prout est carceratio; vt in *l. succurritur, ff. eodem*, ibi *succurritur etiam ei, qui in vinculis fuisset.*

474 Item feriæ repentinę pręstant eandem causam restitutionis, quia litigator eas præuiderè non potuit, non

autem feriæ solemnes, quæ sine dubio possunt præuideri: *l. sed etsi per Prætorem*, §. *si feriæ*, *ff. ex quibus caus. maior.* vbi dicitur *si feriæ extra ordinem sint indictæ ob res putà prosperè gestas, vel in honorem Principis; & proptereà Magistratus ius nō dixerit Gaius Cassius nominatim edicebat restituturum se, quia per Prætorem videbatur factum. Solemnium etiam feriarum rationem haberi non debere; quia prospicere eas potuit, & debuerit actor, ne in eas incidat: quod verius est; & ita Cel. lib. 2. dig. scribit; Sed cùm feriæ repentinæ tempus eximant, restitutio dumtaxat ipsorum dierum facienda est non totius temporis; & ita Iul. lib. 4. ff. scribit: ait enim rescissionem vsucapionis ita faciendā, vt hi dies restituantur, quibus actor agere voluit, & interuentu feriarum impeditus est.*

475 Idem dicendum est de paupertate, quia si quis ob inopiam non appellauerit, vel post prouocationem fatalia labi permiserit, iuuatur beneficio restitutionis: §. *alij verò in auth. de his, qui ingrediun. ad appell.* ibi *non valentes propter inopiam*; & ibi *gloss.* in verbo *iuuaret*, declarat, idest, per in integrum restitutionem; *addit. ad gloss. in* §. *sed nostra Constitutio, in verbo nullum locum instit. de success. libert. Cassad. decis. 6. nu. 2. de appellat. Vestr. in praxi lib. 7.* §. *fin. num.* 20. & ibi *Adden. nu.* 44. *in fin.*

476 Atque idem etiam dicendum est de infirmitate: *cap. cùm in tua, qui matr. accus. poss.* ibi *si nimiæ infirmitatis feruore laborans sanæ mentis patiebatur exilium*, §. *item propter aduersam valetudinem; instit. de excus. tut. vel curat. Cassad. d. decis. 6. num. 4. de appellat.*

477 Idem denique dicendum est de absentia, dummodò sit iusta; & proptereà absens metus causa restituitur aduersus lapsum temporis: *l. hoc edictū, ff. ex quibus caus. maiores*, ibi *hoc autem capite adiuuantur in primis hi, qui metus causa abfuissent, scilicet si non vacuo timore deterriti abfuissent; & in l. sequenti* declaratur, quæ sit absentia causa timoris, ibi *metus autem causa abesse videtur, qui iusto timore mortis, vel cruciatus corporis conterritus, abest, & hoc ex affectu eius intelligitur; sed non sufficit quolibet terrore abductum timuisse, sed eius rei disquisitio Iudicis est.* Non dicitur autem absens is, qui

qui est in loco, vbi potest conueniri, nisi habeat exceptionem iuris reuocandi domum: *l. nec non, §. si cùm in Prouincia, ff. ex quibus cauſ. maior.* ibi *si cùm in Prouincia domicilium haberes, esses autem in Vrbe, an mihi annus cedat; quasi experiundi potestatem habeam, & ait Labeo non cedere; ego autem puto, hoc ita verum esse, si ius reuocandi domum aduersarius habuit; si minus videri esse experiundi potestatem, quia & Romæ litem contestari potuit.*

478 Absens etiam causa Reipublicæ gaudet priuilegio restitutionis aduersus temporis lapsum: *l. 1. ff. eodem tit. ex quibus cauſ. maior.* ibi *læsum enim ius per id tempus, quo quis Reipublicæ causa operã dabat, corrigitur*; vbi *gloſ.* exponit, *idest restituitur, vel emendatur*; hoc autem procedit, quando quis sine dolo abfuit, vt in *dict. l. 1. verſ. verba autem*, ibi *aut sine dolo malo Reipublicæ causa abesset*; quando autẽ quis censeatur cum dolo abesse Reipublicæ causa, explicat *text. in l. item hi, ff. eod. ex quib. cauſ. maior.* ibi *dolum malum eo pertinere accepi, vt qui reuerti potest non reuerteretur, in eo, quod per id tempus aduersus eum factum est, adiuuetur. veluti si alterius grandis commodi captandi gratia id egerit, vt Reipublicæ causa abesset, reuocatur ab isto priuilegio*; & sicut subiungitur in *l. seq. & qui data opera, & sine lucro hoc affectauerit, vel qui maturiùs profectus est, vel litis gratia abesse. Sed hæc adiectio doli mali ad Reip. causa absentes refertur, non etiam ad eum, qui metus causa abesset, quando nullus metus est, si dolus intercedat; sed qui Romæ Reipublicæ causa operam dant, Reipublicæ causa non absunt, vt sunt Magistratus.*

479 Sunt & alij casus, quibus absens Reipublicæ causa non restituitur, videlicet quando idem damnum sensisset, etiam si præsens fuisset: *l. is, qui, ff. ex quib. cauſ. maior.* ibi is, qui Reipublicæ causa abest, in aliqua re læsus non restituitur in quo etiam si Reipublicæ causa non abfuisset damnum erat passurus.

480 **Item non restituitur, qui procuratorem reliquit;** iuxta *Tex. in l. sicut in Prouincia, §. tamdiu, ff. eodem ex quib. cauſ. maior.* ibi is, *qui Reipublicæ causa abfuturus erat, si procuratorem reliquerit, per quem defendi potuit in integrum vo-*

lous restitui, non audietur.

481 Item nec restituuntur qui vltra tempus differunt redire: *l. bi qui in Prouincia, ff. eodem*; ibi *hi, qui in Prouincia vltra tempus resident Reipublicæ causa abesse non intelliguntur*; dicitur enim quis abesse Reipublicæ causa ab ea die, qua egreditur Vrbem, vsque quo reuertitur: *l. abesse Reipublicæ causa ff. eodem tit. ex quib. caus. maior.* & ne dum durante officio, quis Reipublicæ causa abesse dicitur, sed etiã eo finito, quoad redire poterit, cessante infirmitatis, alioue iusto impedimento; vt est elegans *text. in l. si cui in Prouincia, §. tamdiù ff. ex quib. caus. maior.* ibi *Tamdiù Reipublicæ causa abesse quis videtur, quamdiù officio alicui præest, quod si finitum fuerit officium, iam desinet abesse Reipublicæ causa; sed ad reuertendum illi tempora computabimus, statim atque desijt Reipublicæ causa abesse ex quibus reuerti in Vrbem potuit: & erit moderatum tempora ei dare, quæ lex reuertentibus præstat; quare si quod tempus effluxerit suæ rei causa, non dubitamus id tempus ei non proficere; habitaque dinumeratione temporis, quo reuerti potuit, statim eum dicemus desijsse Reipublicæ causa abesse; planè si infirmitate impeditus continuare iter non potuit, habebitur ratio humanitatis, sicut haberi solet, & hyemis, & nauigationis, & cæterorum, quæ casu contingunt*.

482 Sed an absens etiam ex alia iusta causa restituatur aduersus temporis lapsum, dic vt per *gloss. in dict. l. sed etsi, §. aduersus, ff. eodem*, in verbo *ex causa tamen*, quod absens quis potest considerari tripliciter, aut enim quis abest ex causa necessaria, prout est relegatus, & talis absens non restituitur, quando potuit relinquere procuratorem; sed nihilominus eidem succurritur; vt dicitur in *d. l. sed etsi, §. aduersus relegatum*; cuius verba sunt hæc: *Aduersus relegatum restitutionem faciendam ex generali clausula Pomponius ait, sed non & ipsi concedendam, quia potuit procuratorem relinquere: ex causa tamen puto etiã ipsi succurrendum*.

483 Aut abest ex causa probabili tantũ, prout sunt scholares; & talis absens restituitur, siuè dimiserit procuratorem, qui mortuus sit, siuè non dimiserit: *l. nec non, ff. eod. tit.*

ex

ex quib.cauſ. maior. ibi *nec non & ſi quis ex cauſa probabili abfuerit, deliberare debet Prætor, an ei ſubueniri debeat, puta ſtudiorum cauſa, fortè procuratore ſuo defuncto, ne decipiatur per iuſtiſſimam abſentiæ cauſam*; vbi *gloſſ.* in verbo *nec non*; declarat idem eſſe, ſi non reliquerit procuratorem, cùm non inueniatur prohibitum, vt in eadem *l. nec non*, §. *quod eis*, vbi dicitur, *quod eis inquit Prætor per leges plebiſcita Senatuſconſulta, edicta, decreta Principum licebit, quæ clauſula non illud pollicetur reſtituturum, ſi leges per mittant, ſed ſi leges non prohibeant*.

484 Aut denique quis abeſt ex probabili, & neceſſaria cauſa, prout sũt legati miſſi per Ciuitatem, & illi qui ducuntur pro ferendo teſtimonio, & qui litis proſequẽdæ gratia abeunt, & illi etiam, qui quauis alia neceſſitate coacti, non autem ex ſola voluntate abſunt, & huiuſmodi abſentes gaudent beneficio reſtitutionis; vt eſt *text. in dict. l. ſed etſi per Prætorem*, §. *item inquit*, *ff. ex quibus cauſis*; vbi dicitur, *Item inquit Prætor, ſi qua alia mihi iuſta cauſa videbitur in integrum reſtituam. Hæc clauſula adicto inſerta eſt neceſſaria, multi enim caſus euenire potuerunt, qui deferent reſtitutionis auxilium, nec ſigillatim enumerari potuerunt, vt quotieſ æquitas reſtitutionem ſuggerit ad hanc clauſulam erit deſcendendum, vtputà legatione quis pro ciuitate functus eſt, æquiſſimum eſt eum reſtitui, licet Reipublicæ cauſa non abſit, & ſæpiſſimè conſtitutum eſt, adiuuari eum debere, ſiuè habuerit procuratorem, ſiuè non; idem puto & ſi teſtimonij cauſa ſit euocatus ex qualibet Prouincia, vel in Vrbem, vel ad Principem; nàm & his qui cognitionis gratia, vel appellationis peregrinati ſunt, ſimiliter ſubueniendum eſt, & generaliter quotieſcunque quis ex neceſſitate non ex voluntate abſuit, dici oportet, ei ſubueniendum*.

485 Et quãdo quis abſens fuit ex voluntaria cauſa, non attenditur, an potuerit relinquere procuratorem, vel non relinquerit; quia non reſtituitur; *gloſſ. in l. ab eo*, in verbo *indefenſis. in fine*, *C. quom. & quando Iudex*.

486 Et hic noto differentiã eſſe inter præſcriptionem înſtãtiæ iudicij, & inter præſcriptionem actionis; nã præſcriptio in-

instantiæ non currit ipso iure, præscriptio autẽ actionis currit ipso iure, sed datur restitutio; vt per *gloss. primam in d. l. sed etsi per Prætorem, ff. ex quibus caus. maior.*

487 Contra absentes potest ferri sententia, sed Iudex non compellitur, nisi quando præsens iustam litem souet, & absens iniquam: *l. 1.* & ibi *gloss.* in verbo *pronuncies, C. quom. & quan. Iudex.*

488 Absens si fuit citatus personaliter, & non comparuit tempore sententię dicitur verus contumax, & habetur pro præsente, & ei currit tempus decem dierũ ad appellandum à die latæ sententiæ, si verò fuit citatus domi, vel per edictum; tunc dicitur fictus contumax, & illi non currit tempus, nisi à die scientiæ; *gloss. 2. in auth. hodie, C. de appellation. Rot. in ant. decis. 46. de appellat.*

489 Si verò fuit præsens sententiæ, vtique tempus incipit currere; sed si posteà contingat aliquod impedimẽtum carcerationis, infirmitatis, vel iustæ, & coactæ absentiæ in personam eius, qui per se causam agebat, tunc si litigabat per se, tempus quidem currit, sed restituitur ad appellandum, quia tempus appellationis interponendæ est vtile, quoad initium, sed continuum quoad processum. Si verò litigabat per procuratorem, tunc currit tempus, & non restituitur, & sibi imputare debet, si procuratorem negligentem adhibuit; quod si in procuratorem caderet iustũ impedimentum, tunc daretur dicta restitutio ex iusta causa ratione impedimẽti procuratoris iuxta prædicta.

490 Et ita puto esse intelligẽdum id, quod dicit *Magon. in decis. Lucen. decis. 49. num. 21. & Lancellott. de attent. par. 2. cap. 11. num. 5. & seqq.* quod scilicet stante legitimo impedimẽto carcerationis tempus non currit eo durante, hoc est ab initio; quia tunc est vtile, sed postquam cœpit currere, nihilominus currit, quia tunc est continuum; sed restituitur, & hac ratione dicitur esse vtile secũdum quid iuxta prędicta.

Eodem etiam modo puto intelligendum esse, quod dixit *Rota in Meleuitana Commendæ 20. Iunij 1639. coram R. P. D. Rojas in infrascripta particula*

R. P. D. Rojas

Me-

Meleuitana Cõmendæ Lunæ 20. Iunij 1639.

Per obitum Equitis Petri Fõtenaij.

Quo verò ad primam sententiam ab ea fuit appellatum, à die habitæ notitiæ, ex quo Eques Taluet. infra decendiũ fuit coactus abire ex causa necessitatis propter religionẽ, cùm esset Dux triremis, quam proprijs expensis detinebat, ex quo etiam resultat eius benemerentia, cuius ratione dicitur adfuisse legitimum impedimentum, nec currebat illi tempus ad appellandum; & posteà cùm primum reuersus fuit, appellauit, prout in *l. 3. C. de restit. milit.* & in *l. si qua militi, ff. ex quibus caus. maior. Odd. de restit. in integr. par. 1. quæst. 6. num. 5.* cùm de eo tempore ius ignorauerit; ignoranti autem tempus non currit; cùm ignorans neque negligat, neque contemnat: *Felin. in cap. cùm super, de re iud. num. 10. Bart. & Doct. in l. à sententia, ff. de appellat.*

Hęc inquam intelligenda puto, si miles coactè causa Religionis, seù Reipublicæ discessit; secùs si proprij commodi, & lucri faciendi gratia; ad *tex. in d. l. item hi, ff. ex quib. caus. maior.* item quatenus per se litigasset; secùs si per Procuratorem, ex cuius negligẽtia non datur restitutio iuxta prædicta; & est *tex. in d. l. si cui in Prouincia, §. tamdiù, ff. ex quibus caus. maior.* & dum dicitur, quod stãte legitimo impedimento, tempus non currebat, intelligendum est secũdum aliquid, quia currebat; sed cõpetebat restitutio: *gloss. in d. l. nec non, §. si cùm in Prouincia,* in verbo *potuit, in fine, ff. ex quib. caus. maior.* & quod dicitur, illũ ignorasse, & ignoranti tempus non currere, non applicaretur, si ille Eques constituisset procuratorem in causa, & in loco iudicij fuisset præsens de tempore latæ sentẽtiæ, & quod dicitur in alleg. *l. 3. C. de test. militis,* scilicet quod militum testamenta iuris vinculis non subijciantur, cùm propter simplicitatẽ militarem quomodo velint, & quomodo possint ea facere, his concedatur. nõ potest applicari ad milites Hierosolymitanos litigantes, qui etiam ex eorum statutis à sententijs teneantur appellare intra decem dies; & ex diuersis non fit illatio: *l. Papinianus exuli, ff. de minor,* in alia *l.* allegata

vide-

videlicet in *l. si qua militi, ff. ex quib. cauſ. maior.* dicitur quod *ſi qua militi accuſatio competat eo tempore, quo Reipublicæ cauſa operam dedit, non perimetur*; & ſic procedit ab initio; tunc enim vtile eſt, vt diximus; non autem ex poſt, quod eſt continuum, maximè quãdo cœpit currere, antequam Reipublicæ cauſa abeſſet; & loquitur de tempore ad accuſandum; non autem de tempore ad appellandum, quod currit, quando lis agitur per procuratorem, vt dictum eſt; & in *l. is qui Reip. ff. eodem, ex quibus cauſ. maior.* dicitur formaliter *is qui Reipublicæ cauſa abfuturus erat, ſi procuratorem reliquerit, per quem defendi potuit, in integrum volens reſtitui, non audietur; & Odd.* allegatus *de reſtit. in integr. par.1. quæſt. 6. art.5.* firmat, quod ex eo, quod quis ſit miles, non gaudet priuilegio reſtitutionis; ſed ex eo, quod fuerit occupatus circa rem militarem: iuxta *text.* expreſſum in *l. fin. C. de reſtit. milit.* nec nõ dicit aliud eſſe quod miles reſtituatur ex capite abſentiæ cauſa Reipublicæ, & aliud ex capite ignorantiæ; quia tunc competit reſtitutio ex clauſula generali, ſi qua mihi iuſta cauſa videbitur.

491 Si igitur lapſum ſit tempus ad appellãdum datur reſtitutio ad appellandũ; & tunc à die reſtitutionis habitæ infra decem dies debet reſtitutus appellare: *Rot. in nou. deciſ.62. nu.2. de appellat. Veſtr. in praxi lib.8. cap.3. num.18.*

Si lapſa ſint fatalia, ſeù tempus ad proſequendum, datur reſtitutio ad proſequendum, ſeù aduerſus lapſum fatalium: *Veſtr. ibid. num.19.*

492 Et quando competit hæc reſtitutio, non fertur ſententia ſuper reſtitutione, ſed admittitur ad appellandum, & proſequendum: *Veſtr. d. cap.3. num. 17. in fin. Rot. in nou. deciſ.3. in fin. de reſtit. in integr. Rot. in recent. part.2. deciſ.13. num.1.*

Quando autem petitur reſtitutio in integrum non aduerſus tempus, ſed aduerſus actum, vtputà rem iudicatam, contractum, vel quid ſimile, tunc datur quadriennium cõtinuum tantum; vt in *l. fin. C. de temp. in integr. reſtit.* quod intelligendum eſt, vt ſit continuum quoad hoc, vt dies feriati, & non feriati currant; non autem quo ad hoc, quin deſi-

desinat currere, seù detur restitutio, quando siuè in principio, siuè in medio fuit aliqua causa, qua deberet restitui; vt in *d.l.fin.* ibi, *& quemadmodum omnis minor ætas excipitur in minorum restitutionibus; ita & in maiorū tempus, quò Reipublicæ causa absfuerint, vel alijs legitimis causis, quæ veteribus legibus enumeratæ sunt, fuerint occupati; omne excipiatur*; ità infert *gloss. in l. nec nō, §. si cùm in Prouincia.* in verbo *potuit, ff. ex quib. caus. maior.* quod ad aliquid dictum quadriennium est vtile, & ad aliquid continuum.

493 Omissis alijs, noto, quod iustum impedimentum non implementi præbet iustam causam restitutionis ex clausula generali, si qua mihi: *Rot. coram Buratto decis. 5. num. 15.* etiam si non agatur de damno vitando, sed de lucro non admittendo; etiam si conditio amplius impleri non possit; quia habetur pro impleta; vt *nu. 16. cum alleg. ibidem.*

SEQVITVR DICENDVM de termino citationis.

494 Et distinguendum puto inter primam citationem, & subsequentes; nàm in prima citatione quis citatur ad comparendum, & cum termino plurium dierum; in subsequētibus autem citatur, vel ad dicendum contra, vel ad aliquid faciendum, vel ad aliquid fieri videndum, & semper ad certam diem.

In primis citationibus duplex tempus potest considerari, vnum quando Iudex decernit citationem, seù citari mandat; alterum quando Nūcius exequitur, & præsentat, seù intimat citationem personæ citandæ, in sequentibus autem citationibus non consideratur nisi tempus executionis Nuncij, quando illæ fiūt de partium voluntate, non autem ex decreto Iudicis.

In primis igitur citationibus tempus non potest currere à die commissionis Iudicis, sed solum à die notificationis, & executionis Nuncij; quia anteà actus non est perfectus, & non est perfecta citatio, seù dilatio; nisi fuerit intimata; vndè exemplificat *Bald. in l. 1. ff. si quis caut. sub num. 5. vers. iuxta hoc quæro*; quod si sit assignatus alicui terminus trium dierum, intelliguntur tres dies à die notificationis; sed

ſed limitat, quando in citatione, ſeù decreto appoſita eſſet dictio hinc ad tres dies ab hodierna die, vel ſimilibus, vt intelligatur à die cõmiſſionis.

Sed hic aduertendum puto, quod ſi fieret notificatio intra tantum tempus, vt citatus poſſet in eo comparere, tunc valeret citatio, ſed ſi fieret citatio poſt duos dies, ita quod in vno reliquo die citatus non poſſet comparere, citatio non valeret ob temporis breuitatem; *vt ſupra cap. 9. nu. 531. & ſeq.* & citatio non arctat citatum, niſi à die ſcientiæ ſiuè veræ, ſiuè præſumptę: *l. quinquaginta, C. de excuſat. tut. & curat.* ibi *ex quo notum factum erit*, *& l. 2. C. vbi in rem actio*, ibi *certo dierum ſpacio per Iudicem finiendo, eoque ad notionem eius perducendo;* & in *l. annus ff. de calumniat.* ibi, *& veriùs eſt ex eo annum numerari, ex quo cognouit.*

495 An autem dies executæ citationis computetur in termino in citatione aſſignato; dic quod quãdo citatio fit ad certam diem, huiuſmodi quęſtio cadere non poteſt: immò ſi actus fieret in eadem die, qua fuit facta citatio, non valeret, tanquam factus in die, in quo non cadebat citatio: *Felin. in cap. in nomine Domini, n. 37. de teſt. Alex. conſ. 213. num. 5. lib. 2. Rot. in nou. dec. 15. de teſtibus, & in recentiſs. par. 1. deciſ. 365. num. 3.* Sed ſi citatio fieret pro eadem die, prout aliquando in Curia citatio fit ad hodie per totam, ſcilicet contra perſonaliter citatum; *vt ſupra cap. 9. num. 532.* tunc actus valet, tametſi factus in die executæ citationis, in hora tamen audientiæ: *Seraphin. deciſ. 1115. num. 4.* hinc *Bart. in l. liber homo 118. §. decem hodie, ff. de verbor. oblig.* dicit diſputatam fuiſſe per quendam magnũ Doctorem hanc quæſtionem, an Iudex, qui dixit parti, quod hodie eſſet ad audiendam ſententiam, deberet expectare vltimum finem diei ad dandum ſententiam; & per eundem reſponſum, quod nõ; ſed ipſe dixit, intelligendum eſſe, vt debeat expectare vſq; ad vltimam horam diei iudicialis, hoc eſt vſque ad veſperas; per *text. in §. ſedebunt, in auth. de Iudicib.* ibi *ſedebunt, & meridie, & veſpere audientes cauſas.*

Aliã quæſtionem ponit *Alex. in l. qui hoc anno, 42. ff. de verb. obligat. num. 6.* ſi quis citatus

tatus est, quod veniat die Martis ad audiendum sententiam, an eadem die possit ferri sententia; & dicit videri, quod nō; quia per totam diem debet expectari; sed concludit cum alijs, quos allegat, quod Iudex potest suprema illius diei hora sententiam ferre: iuxta *tex. in l. 1. §. dies, ff. quando appellandum sit*; ibi *si fortè dicta sit sententia, iam suprema hora*; vbi *gloss. subiungit hora diei*.

Quādo verò citatio fit cum spatio plurium dierum, tunc benè cadit præsens quæstio, an dies citationis computetur in termino.

Quæ potest intelligi duobus modis, primo de die vltima termini; secundo de die assignationis termini in citatione.

496 Quoad primum nulla est difficultas, quia vltima dies computatur in termino, & quod fit in ea, vtique in termino fieri dicitur: *l. prima, §. quod dicimus, ff. de success. edict.* ibi *quod dicimus intra diem centesimum bonorum possessionem peti posse; ita intelligendum est, vt & ipso die centesimo bonorum possessio peti possit; quemadmodum intra Kalendas, & ipsa Kalendæ sint: idem est si in diebus centesimis dicatur*; idem habetur in *l. pater, ff. ad l. Iul. de adult.* ibi *sexaginta dies à diuortio numerantur; in diebus autem sexaginta, & ipse sexagesimus dies est*; & licet secundum iura appellandum esse dicatur infra, seù intra, seù ante decem dies, vtique in decima die appellari potest: *Specul. lib. 2. part. 3. de appellatione, §. restat, vers. sed nunquid dies, num. 3.* & quod vltima dies sit de termino, & sufficiat comparere qualibet hora vltimæ diei, etiam vsque ad medium noctem: notat *Bald. in l. 1. ff. si quis caut. num. 4. per tex. in l. more Romano, ff. de fer.* & quod in vltima die termini possit fieri probatio; dicit *gloss. in cap. 1. de restit. spoliat. in 6.* in verbo *proponitur in fine*.

497 Quoad secundum, an dies citationis, seù assignationis termini computetur in termino, aliqua est difficultas, & *Alber. in l. 1. ff. si quis cautionibus*, retulit duas opiniones.

Pro parte affirmatiua, quod computetur in termino, facit, quia in dilationibus tempus est continuum; quia currunt tàm dies feriati, quàm non feriati: *l. siuè pars, C. de dilat.* & com-

computatur de momento ad momentum: *l.3.S.minorem, ff.de minor.* Cœterum hæc ratio tollitur, quia tempus est continuum,& computatur de momento ad mométum postquam cœpit currere non ante: *Ias.in d.l.1.ff.si quis caut. num.21. Tiraq. de retract. lignag.gloss.11.nu.17. M insign. singul.obseruat.cent.5.obseruat. 15. in fin. Rot.diuers.decis.333. nu.4.par.4.*

Pro parte autem negatiuæ, quam tenent cōmuniter Doctores; & quæ de consuetudine seruatur in Palatijs; vt per *Alber.& Fulgos. & Ias. in dict. l.1.ff.si quis caut.num.20.*

Facit quia dilatio plurium dierum intelligitur de proximis diebus; iuxta *tex.in l.eum qui Kalēdis 41.ff de verb.oblig.* ibi *si autem non appareat, dicendum est. quod Sabinus ait; primas Kalendas Ianuarias spectādas*; & in dinumeratione termini, quo quis debet iudicio sistere, non continetur primus dies, quo cautum promittitur: *l.1.ff.si quis caut.* ibi *præter eum diem, quo cautum promittitur*; & ideò terminus quindecim dierum datus spoliato ad probandum spolium, currit post diem, qua actio proponitur; iuxta *text. in cap.1. de restit.spoliat.lib.6.* ibi *sed si in ciuilibus ab actore in criminalibus autem se spoliatum reus asserat à quocunque, infra quindecim dierum spatium, (post diem, in quo proponitur) quod asserit, comprobabit*; vbi *gloss.* in verbo *proponitur*, subiungit, *quia dies illa non computabitur*; idem dicitur de termino dato opponenti excommunicationem ad illam probandam; in *cap.1. de except.in 6.* ibi *Si quis igitur excommunicationem opponit speciem illius, & nomen illius excommunicatoris exprimat, sciturus eam rem deferre debere in publicam notionem, quàm infra octo dierum spatium (die in quo proponitur minimè computato) probare valeat.* Dies igitur citationis non computatur in termino, seù inter dies dilationum: *Gemin. in cap.statuimus, num.3. de elect.* Hinc *Rota* censuit examen testium esse nullum, quando testes iurarunt in die, qua cadebat citatio ad videndum iurare testes; quia illa dies non computatur in termino; vt in *recentiss.decis.365.num.2.par.1.*

Sed si dilatio datur præsenti, vel citatio cum termino fit per-

personaliter secundum opinionem Alberici in *d. l. 1. ff. si quis caut.* videtur quod termini dies debeat computari in termino, quæ tamen opinio non est vera, & non potest fieri distinctio, an fiat præsenti, vel absenti, quia in vtroque militat eadem ratio: *d. l. eum qui*; quod scilicet dilatio debet intelligi de proximis diebus, aliàs confunderetur praxis communis Palatiorum; vt per *Iaf. in d. l. 1. nu. 23. ff. si quis caut.* quod etiã probat *Tiraq. de retract. consanguin.* §. 1. *gloss.* 11. *num.* 27.

Sed etiam in casu, quo dies termini posset computari in termino, tunc non computaretur, quando dies termini non esset integra; vt notat *Iaf. in d. num.* 23. sed mihi videtur, quod hoc sit nihil dicere; quia non video, quod possit dari casus, quo dies decretæ dilationis, vel executæ citationis possit esse integra, cum nec ante diem fiant per Iudices decreta, nec per nuncios citationes.

498 Habemus igitur, quod siuè dilatio in citatione sit data, cum dictione infra tot dies, vel intra, vel ante, tunc dies termini non computatur in termino, & vltima dies termini est de termino; ex præallegatis.

Idem est si sit data dilatio cum præpositione, à, vel ab; vel vsque, vel ex, vel post; quia huiusmodi dictiones separant, & excludunt ipsum terminum: *Alex. in dicta l. 1. num. 18. ff. si quis caut. Tiraq. de retract. consanguin.* §. 1. *gloss.* 11. *num.* 51. *& seq. & num.* 65. *Rot. diuersor. decis.* 75. *num.* 2. *par.* 2. *Grat. discept. forens. cap.* 161. *num.* 5.

Sunt autem nonnullæ aliæ dictiones, quæ ipsam diem includunt in termino, vtputà dictiones hinc, vel ab hinc: verbi gratia si dictum sit hinc ad decem dies, siuè ab hinc decem dies, aut decem diebus, tunc dies termini computatur in termino: *Butr. Bal. Iaf. & alij in dict. l. 1. ff. si quis caut. Tiraq. d. gloss.* 11. *nu.* 23. & de dictione ex tunc, vide *alleg. per eum num.* 39. & de dictione vsque *num.* 66. & de alijs dictionibus *num.* 67. *cum seqq.*

499 Sed si sit apposita hora in assignatione termini, an computetur tempus de momento ad momentum: *Tiraq. dict. gloss.* 11. *num.* 41. refert *Bonif.*

 Vital.

*Vital. in tract. malefic. in tit. forma citationis accusati,nu.*27. docentem generaliter diem citationis non computari in termino per *d.l.*1.*ff.si quis caut.* & per *tex.in cap.super eo, il.*2. *de appellat.* nisi constet de hora assignationis, nàm tunc fit computatio de momento ad momentum; sed ipse dicit id verum non putare, quia in prædictis iuribus non declaratur, an constet de hora, an nõ: Ego dicerem, quod si assignata esset hora cum aliqua dictione includente idem tempus termini,tunc computaretur terminus ab illa hora, & adduco *Bald. in d.l.*1. *ff.si quis caut. num.*5. *vers. in contrariũ,* ibi *sin autem sit dictio hinc ad tres dies ab hodierna die, vel similibus, intelliguntur à die commissionis,vel ab hora*; & addo quod tunc intelligitur de proximis diebus, quãdo aliud actum non sit: *d.l.eum qui Kalendis, ff. de verb. obligat.* ibi *si autem non appareat.*

500 Terminus citationis debet esse congruus, siuè citetur præsens in loco iudicij, siuè citetur absens considerata locorum distantia, vt assignetur vnus dies pro viginti milliarijs:iuxta *d.l.*1.*ff.si quis caut. & in §.qui autem, instit. de excusat. tut. & curat. l.continuus, §.cùm ita, ff. de verbor. oblig.* & latè dictum est *supra cap.*9.*num.*530. *&* 533. *cum seqq.* aduerte tamen, quia Rota aliàs non admisit hanc calculationem viginti milliarium in casu, quo testes deponebant de diuersa dieta, & de consuetudine Regionis diuersa,qua stante non intrat dispositio dictarum legũ: *Alex. in d. l.*1. *ff.si quis caut. num.*7. *Gregor.decis.*501.*n.*3. & etiam non intrat, stante vsu Tabellariorum: *Alciat.in l.*3.*nu.*10. *& seqq.ff.de verborum signific. & ibidem Rebuff. vers. sexto hæc hodie, & vers. alia est dieta singularis: Gregor. vbi supra num.*4.

Puto autẽ dici posse, quod Iudex in præfigenda dilatione ad comparendum per Procuratorem, posset attendere solitum Tabellariorum, per quos posset transmitti mandatum procuræ; secùs autem si citaret ad comparendum personaliter, haberi enim debet ratio, quomodo priuatus commodè possit iter facere, non autem Tabellarius, qui currit per excitatos equos, & die noctuque, & debet haberi ra-

ratio humanitatis, habita dinumeratione temporis, quo quis commodè posſit iter facere, & continuare, ſicut & haberi debet ratio hiemis, & nauigationis, & cęterorum, quæ caſu contingunt: *l. ſi cui in Prouincia*, §. *tamdiù, in fin. ff. ex quib. cauſ. maior*. Et proptereà aſſignãtur viginti milliaria pro qualibet die, etſi ſuperſit vnum pro eo pariter datur vna dies; ita dicitur in *l. 3. ff. de verb. ſignific. in itinere faciendo viginti millia paſſuũ in dies ſingulos peragenda, ſic ſunt accipienda; vt ſi poſt hanc dinumerationem minus quàm viginti millia ſuperſint; integrũ diem occupent; veluti ſi viginti vnum millia paſſuum ſunt, biduum eis attribuetur, quæ dinumeratio ita demùm colligenda erit, ſi de die non conueniat;* vbi *gloſſ.* 1. declarat hæc procedere in iudicijs; in contractibus autem inſpici debere arbitrium boni viri ſecundum poſsibilitatem iter agentis: iuxta *tex. in dict. l. continuus*, §. *cùm ita, ff. de verb. obligat.* ibi *cùm ita ſtipulatus ſim Ephesim dari, ineſt tempus, quod autem accipi debeat, quæritur, & magis eſt, vt totam eam rem ad Iudicem, ideſt ad virum bonum remittamus, qui æſtimet, quo tempore diligens pater familias efficere poſſit, quod facturum ſe promiſit is, qui Ephesi daturum ſe ſpoponderit;* prout in ea latiùs declaratur, & *diximus ſupra d. cap. 9. num. 533.*

501 In termino aſsignato debet citatus comparere, aliàs per Iudicem mulctabitur; niſi ex cauſa excuſetur, vel non interfuerit actoris ipſum in termino comparere: *l. ex quacunque cauſa, ff. ſi quis in ius voc. non ier. & ibi gloſſ.*

Sed an debeat comparere in principio, an in medio, an in fine dilationis modò videamus.

Differentia eſt, an quis citetur, vt compareat in die certa, putà in decima die, an verò vt compareat intra certos dies, vtputà intra decem dies. Citatus enim ad certam diem, debet illa die comparere, & non ſufficit, ſi ante compareat, citatus autem intra dies certos poteſt qualibet die intra eundem terminum comparere; ita notat *gloſſ. in Clem. quamuis*, in verbo *intra dictum, de appellat.* ibi *nota quia ſupra proximo reſponſo dixi in aſſignato termino, hic dicit intra terminum, vbi ergò eſt certus*

terminus, debet in termino comparere, nec tunc sufficeret id ante terminum facere, vbi verò sub hac incertitudine scilicet intra terminum iuris satis est intra illum terminum petere iterato.

Quærit *Castr. in l.item illa, num. 5. ff. de constit. pec.* an si assignatus sit partibus terminus octo dierum ad probandum, vel articulandum, & vna pars ante vltimam diem velit dare suos articulos, vel inducere testes, an habeat necesse alteram partem citari facere, & dicit, quod sic; quia non tenebatur altera pars accedere ante vltimam diem, nisi citata; quia non habebat credere, quod ante illam velit aliquid facere; sed si in vltima die termini hoc faciat, non est pars citanda; quia illa dies interpellat vtranque partem; ita dicit singulariter colligi ex illo textu, & haberi in *l.2. circa princ.* & ibi per *Bart. C. de temp. appellat.* deindè idem *Castr. sub nu.6.* distinguit vnà cum prædicta *gloss. in d. Clem. quamuis*; quod interdum assignatur certa dies pro termino, putà octaua dies ad articulandum, & tunc ante illam non potest articulare, etiam parte citata, aut non certa dies, sed quod intra octo dies, & tunc potest in quacunque parte dilationis hoc facere, quia verba patiuntur, nàm infra octo dies dicitur fieri etiam, quod fit ante vltimam diem, debet tamen pars citari, sed si producit testes, non citata parte valet receptio, sed non præiudicat alteri parti, quominus possit obijcere cõtra personas testium; etiam post illorum publicationem; quod si pars fuisset citata, non posset cõtra personas post publicationem obijcere, nisi protestatus fuisset, quod sibi saluę essent exceptiones; vt in *cap. ex parte, de testibus*.

502 Citatus itaque, vt compareat intra certos dies, satisfacit citationi, si compareat prima die: *Rot. diuers. decis. 644. num.4. par.3. lib.3.* sed hic distinguendum est vnà cũ *Baldo in l.1. num.5. ff. si quis caut.*

Quod terminus intra certos dies; si assignatur ad talem actum, qui non desiderat partis præsentiam, potest in qualibet parte termini comparere, & explicare quod incumbit; si verò assignatur ad talem actũ, qui desiderat partis præsentiam, putà ad respondendum

dum positionibus, vel ad probandum, tunc nō sufficit præuenire ante diem dilationis, nisi aduersarius sit monitus, vel citatus, quia cum ista dilatio sit communis, quælibet pars potest differre vsque ad finem termini: *l. petendæ, C. de tempor. in integr. restitut.* & ideò subiungit *Baldus*, quod practica Aduocatorum est, quando assignatur terminus ad probandum, vt moneatur altera pars, quod singulis diebus, & horis assistat ad videndum iuramenta testium, aliàs non facta hac monitione, non possunt produci testes in fine dilationis: *l. si quando, C. de testib. cap. sæpè, de appellat.*

503 Item quærit *Bald. in l. fin. C. qui admitti, num.* 4. si datus est alicui terminus ad probandum, nunquid aduersario non citato, poterit producere instrumenta; & dicit quod non nisi producat in fine termini, quia pro vltima parte termini intelligitur vtraque pars monita, sed interim non; & notat *Bart. in Litem, ff. de constitut. pęc. num.* 5. Sanè terminus iudiciarius videtur esse communis, licet datus sit vni parti: *l. petendæ, C. de tempor. in integr. restit.* cùm ibi not. per *Doct.* & in *l. final. C. de fruct. & lit. expensis*; ideò nō debet, nec potest etiam ab illa parte, cui datus est, præueniri, sed ad vnguem seruari, licet secus sit in contractibus, quibus debitor potest præuenire terminum solutionis, qui in dubio cēsetur datus fauore debitoris, secùs si fuisset datus gratia creditoris, vel vtriusque vt per *Castr. cons.* 232. *n.* 1. & 2 *incip. viso casu, & allegat. lib.* 2.

504 Iuxta prędicta quęrit *Bar. in l. qui ante Kalendas, num.* 5. *ff. de verb. obligation.* an dato reo termino ad petitionem actoris ad faciendum aliquid intra octo dies, debeat actor stare semper intra octo dies, vel debeat requiri, si intra illud tempus reus venit, & dicit, quod si terminus est datus ad vnum actum momentaneū, vtputà ad veniendum, seù cōparendum, & tunc reus potest venire quacunque parte termini vult; sed nihilominus actor, ad cuius petitionem est datus terminus, non est contumax, vt circumduci debeat Edictum ad rei petitionem; nisi in vltima die termini actor non esset in iudicio, nec aliàs potest Iudex

 reum

reum licentiatum dimittere; *l. post edictum in fine, ff. de iudicib.* Ratio est, quia licet anteà quandocunq; vult reus, possit ante octo dies venire, tamen nō est præsumendum, quod veniat nisi in vltima die termini. Si verò terminus est datus ad aliquem actum non momentaneum, vt ad probādum, in quo multa requiruntur, & hoc casu si expectaretur illa pars vsque ad vltimam diem, tunc nihil reus posset probare, & ideò reus intra terminum potest venire, quādocunque vult, tamen debet facere citari actorem, vt veniat ad videndum iuramenta testium, & articulorum productiones ad *text. in auth. ei, qui, C. de temp. appellat.* & rationem subiungit *Bart.* vbi supra, quia actor benè scit, quod reus potest probare intra octo dies, sed nescit, qua die, vel hora hoc facturus sit, & ideò nisi ei hora denuncietur, nihil ei potest imputari: *l. aut qui aliter, §. 1. ff. quod vi, aut clam.*

505 Hic nota, quod si quis citetur hodie, vt compareat infra quinque dies, quo tempore nondum elapso citetur intra quattuor, & successiuè eodem tempore durante, citetur ad alios quinque, tunc ita citatus in diuersis terminis poterit in vltimo comparere, & facere quod incumbit: iuxta deducta per *Rot. in nou. dec. 9. de dol. & contum.*

506 Atque citatus est de iure expectandus vsque ad vltimū momentum: *Specul. tit. de comparitione in termino nu. 3. Alex. in l. si finita, §. Iulianus, nu. 25. vers. item quia erat, ff. de damn. infect. & in l. qui hoc anno, n. 6. ff. de verb. obligat. Bart. in l. liber homo, §. decem hodie, ff. eod. Rot. in recentiss. part. 1. decis. 394. num. 3.*

507 Et quando citatus per Iudicem comparet, non debet illicentiatus recedere; *l. si quis decurio. 1. C. de decur. lib. 10.* ibi *is nō ante discedat, quā insinuato Iudici desiderio proficiscendi licentiam consequatur: quod si pro sua audacia parui aliquis hanc fecerit iussionem, indignationem competentem sortiatur*; & idem est in citato à lege; vt in *cap. si postquam, de elect. in 6.* ibi *eius electio authoritate Constitutionis ipsius (quæ non solùm, vt quis veniat, sed etiam ex sui mente exigit, quod vsque ad finem negocium prosequatur) eo ipso viribus euacuatur omninò.*

Hinc si canonicè vocatus

ad

ad Synodum venit, sed illicentiatus ante finitam causæ suæ examinationem recessit, quod debeat excommunicari tanquam contumax legitur in *cap. certum* 11. *quæst.* 3. ibi *aut si ante finitam causæ suæ examinationem à Synodo abire præsumit*; & notat *gloss. in d. cap.* 1. *si postquam*, in verbo *mente*, *de elect. in* 6. paria esse non venire, & sine licentia recedere; ad *tex. in cap.* 1. *de Iud.* ibi, *& altera die respondit hoc sibi non placere, atque discessit*; & declarat *Bald. in l. nàm ita diuus in fin. ff. de adopt.* quod omnis citatus legitimè eo ipso, quod comparet, censetur monitus à iure, ne recedat illicentiatus; sed secus esse, si non sit legitimè citatus, quia si non arctat expressa citatio, nec etiam potest arctare tacita monitio de non recedendo, & pluribus comprobat *Rolan. cons.* 39. *num.* 12. *lib.* 1.

508 Tunc autem citatus non tenetur expectare, & recedere potest absque licentia, quãdo superuenit aliquod repentinum periculum: *Butr. in cap.* 1. *de Iud. nu.* 28. & ibi *Felin. num.* 2. & est *tex. in l. quæsitum est, ff. de re iud.* ibi *quæsitum est cùm alter ex litigatoribus febricitans discessit, & Iudex absente eo, pronunciasset, an iure videtur pronunciasse, Respon. morbus sonticus etiam inuitis litigatoribus, ac Iudice diem differt.* Atque qui non comparet in termino, infirmitate verè detentus excusatur: *cap. tenor, de sententia, & re iud.* ibi *infirmitate prætensa non afficit*, vbi *gloss.* in verbo *infirmitate*, subiungit, quod si verum fuisset, iusta erat excusatio ex iuribus per eam adductis, & hæc procedunt, quando fuit citatus generaliter ad comparendum.

509 Sed quando fuit specialiter citatus ad certum actum, tunc illo actu expedito potest illicentiatus recedere, quia etsi non expresse, tacitè saltem cẽsetur licentiatus, secus eo non expedito: *Abb. in cap. prout in* 1. *not. de dol. & contum. Butr. in cap.* 1. *de Iud. nu.* 28.

510 Item quando citatus comparuit in termino, & vsque ad extremum spatium citationis expectauit donec Iudex discesserit de Tribunali, quia actore nõ comparente, potest eius contumacia accusata illicentiatus recedere: *Doct. in in cap.* 1. *de Iudic.* & ibi *Felin. num.* 21. *Abb. in cap. consuluit,*

*num.7. de off.deleg. Alex. in l.si finita,§.Iulianus,ff.de damn. infecto num.*25.

511 Et nota,quod si illicentiatus recederet is,qui fuisset citatus ad instātiam partis;quæ non accusaret contumaciam, non posset contumax censeri; vt in *l.properandum,§.etsi quidem,C.de Iud.*ibi *actoris absentiam incusante*,cum alijs adductis per *Duen.reg.*153. *limit.*3

512 Iudex non obstante quod in citatione sit appositus terminus, potest aliquando procedere, non expectato aliter citato, vtputà quando citatio non fuisset necessaria, & actus potuisset sine citatione explicari: *Abb.in cap.cùm inter vniuersas, de elect.Crescent.dec.*11. *nu.*4. *de dol. & cont.*

513 Et aliquādo etiam potest terminum citationis prorogare in sequentem diem: *cap.cōsuluit, de off.deleg.*ibi *si durat in diem alteram æquitate suadente, poterit expectare*;adde *Crescent. d.decis.*11. *nu.*1.*de dol. & cont.* intellige ad fauorem citati, vt in termino prorogato posit comparere, non autem ad fauorem citantis, qui cum consenserit in termino præfixo in citatione, nulla ratio suadet, vt ei terminus prorogetur in præiudicium eiusdem citati, qui vel in termino comparuit, vel nemine comparente, terminus circumductus remāsit; *Bald. cons.*268. *num.*2.*in fine, lib.*1. ibi *quia dico, quod Iudex potest expectare citatum, sed non citantem, quia iam consensit in termino præfixo, quem ipse apposuit*; allegat *text. in l.final.§.final.ff. quod vi, aut clam*, vbi dicitur, *si is, qui denunciauerit, se opus facturum, confestim opus fecerit clam fecisse nō intelligitur*;qui textus benè facit, quia denuncians obtinet vicem eius, ad cuius instantiam fit citatio.

Hactenus satis superq; diximus de termino quomodo currat à principio, nūc sequitur videndum, quomodo currat in medio, & succesiuè quomodo currat in *fine*,prout supra dicēdum proposuimus.

514 Postquam tempus cœpit currere, computatur de momento ad momentum,& omnes dies sunt continui, non autem vtiles;ad *textum.in l.*3. *§.minor.ff. de minor. Bald. consil* 477. *lib.*1. *& cons.*412.*lib.*5. *Ang.cons.*404.*Corn.cons.*27.*q.*1 *nu.*4. *lib.*1.*M insig.obseruat.*15. *in fin cent.*5. *Rot.diuers.*4 *par. decis.*333.*num.*4.

Dies

515 Dies cōtinui dicuntur currentes, cōputatis scilicet omnibus tàm feriatis, quàm non feriatis, & computatis etiam illis; in quibus siuè pars, siuè Iudex fuerit absens, vel impeditus, vtiles verò dicuntur soli dies iuridici, & non computantur dies, quibus, vel pars, vel Iudex fuit absens, vel impeditus; vt benè explicat *gloss.* **1.** *in l.fin.C.de tēp.in integr. restit.* & in *Clem.vn.de restit.in integr.* in verbo *continuum*.

516 Appellatione autem dierum in dilationibus dandis intelligitur de continuis: *l.* **1.** *§. nunciatio, ff. de nou. oper. nunc.* ibi *item nunciatio omnibus diebus fieri potest*; vbi *gloss. exponit omnibus diebus, etiam feriatis*; & *tex.* est in *l.siuè pars, C.de dilat.* ibi *feriæ autem siuè repentinæ, siuè solemnes sint, dilationū temporibus non excipiantur, sed his quoque connumerentur*.

Idem est in præscriptione, vt tempus sit continuum, non autem vtile, vt per *gloss. in rubr.ff.de diuers. & tempor. præscription.* vbi notat præscriptiones omnes habere continua tempora; nisi specialiter inueniamus lege cautum, quod tempus sit vtile; & est *textus in l.3. ff. de vsucapion.* ibi *vsucapio est acquisitio dominij per continuationem temporis lege diffiniti*; atque, quod idem sit in tempore ad agendum; est *textus in l. final. C.de dolo malo*, ibi *neque intra anni vtilis tempus; sed potius ex eo die, quo asseritur cōmissus dolus intra continuum triennium de dolo actionem moueri, siuè abfuerit, siuè præsto sit is, qui dolum se passum esse conqueritur*.

517 De diebus cōtinuis regula est, quod in dubio dilatio intelligitur de continuis, non autē de solis diebus vtilibus: *Abb.in cap.fin.sub n.2.de elect.* quę tamen nō procedit, quādo ferię totam dilationē absorberent, vtputà si in Sabbato Oliuarū daretur dilatio 15. dierū ad probandum, quia 15. dies sequentes sunt feriati, dilatio nō inciperet currere, nisi post ferias: *Host.in cap.licet causā, de probat. Bald. in l.si quando, nu.6. C.de testib.*

518 Item prædicta regula non procedit, quādo dilatio præfigeretur à Statuto, quia in dubio est vtilis: *Bald.in l.2. nu.8. C.de edil. act. & in l.siuè pars, nu.3. C.de dilat.*

Et idem *Bald. cons.71. incip.quando tempus lib.3.* distinguit, quod dilatio quoad ea, quæ

quæ fieri possunt etiam si Iudex non sedeat pro Tribunali, intelligitur de tempore continuo, & de diebus currentibus, quo verò ad ea, quæ fieri nequeunt, nisi Iudex pro Tribunali sedeat, intelligitur de tẽpore vtili; sequitur *Sarnen. in reg. de Annali, quæst. 74. vers. sed vt multa*; vbi declarat tempus regulæ de annali intelligi de continuo.

519 De diebus verò vtilibus regula est, quod intelliguntur non solum deductis diebus feriatis, sed etiam non feriatis, quibus aliquo modo quis fuit impeditus legitimè; *tex. est in l. quibus diebus, ff de cond. & demõstr.* ibi *quib. dieb. vicinus tuus te via publica, cùm ad parendũ cõditioni ire velles, ire prohibuit; nec per te stet, quominus agendo ob calumniã eum submoueas; hi dies cõditioni nõ imputabuntur.*

520 Et quando quis censeatur agẽdi potestatem habere, magistraliter docet *Vulpianus in l. 1. ff de diuers. & temp. præscript.* in hæc verba. *Quia tractatus de vtilibus diebus frequens est, videamus quid sit experiundi potestatem habere; & quidem in primis exigendum est, vt sit facultas agendi; neque sufficit reo experiundi secum potestatem facere, vel habere eum, qui se idoneè defendat; nisi actor quoque nulla idonea causa impediatur experiri; proindè siuè apud hostes sit, siuè Reipublica causa absit, siuè in vinculis sit, aut tempestate in aliquo loco, vel Regione detineatur, vt neque experiri, neque mandare possit in ea causa est, vt experiundi potestatem non habeat; planè is, qui ea valetudine impeditur, vt mandare possit, in ea causa est, vt experindi potestatem habeat, illud vtique neminem fugit potestatem non habere eum, qui Prætoris copiam non habuit; proindè hi dies cedunt, quibus ius Prætor reddit;* Rursus quomodo vtile tempus accipiatur; idem *Vulpianus* tradit in *l. 2. ff. quis ordo in bon. poss. seruetur*; ibi *ita autem vtile tempus est, vt singuli dies in eo vtiles sint, scilicet vt per singulos dies, & scierit, & potuerit admittere. Cœterum quacunque die nescierit, aut non potuerit, nulla dubitatio est, quin dies eius non cedat.*

521 Assignare autem in citatione, vel dies vtiles, vel continuos, pendet à Iudicis voluntate, nàm termini præfixio ab ordinaria pendet facultate, vbi scilicet lex illum non prę-

figit

figit; *l.1. C.de dilat.* & necesse est, vt Iudices terminos præfigant, ne partes nimium different, & ne lites in infinitum protraherentur: *cap.finem litibus, de dol. & contum. Clem. sæpè, in princ. de verb. signific.*

522 In Curia quando quis citatur ad primam, vel ad secundam diem, intelligitur de prima, vel secunda iuridica; sic quando Iudex facit decretum nisi ad primam, vel secũdam, intelligitur de iuridica, licet plures cõtinui interponerentur; sed quãdo dicitur ad sextam, octauam, vel duodecimam diem, intelligitur de cõtinuis; vt respondit *Vestr. in praxi lib.5.cap.12.in princ.* qui tamen nullam reddit rationẽ; sed possumus dicere, ita intelligendum esse, ne dilatio longior esset computãdo tot dies vtiles: regulariter autem, quando Iudex vult computare solos dies continuos, tunc solet citare, vel decernere ad vel intra tres, quinque, seu sex dies, & in hoc attenditur stylus Curiarum; sic A.C. decernit mandatum, nisi infra tres, vel plures dies, idest continuos: *Salust. Tiberius in praxi lib.1. cap.27. num. 6. & 13.* & relaxat, nisi ad p. diem, idest iuridicam, *Salust. Tiber. ibid. num.7.*

523 Restat, vt videamus, quomodo currat tempus in fine termini, hoc est an dies vltima, quando est cœpta habeatur pro completa, & quid de mense, & anno.

Quod vltima dies termini, quando est cœpta habeatur pro completa, sũt plures textus expressi, nempè in *l.anniculus amittitur 132.ff.de verb. signific.* ibi *anniculus amittitur, qui extremo die anni moritur, & consuetudo loquendi id ita esse declarat; & in l.anniculus non est 134. ff.eod.tit.* ibi *anniculus non est statim, vt natus est; sed tricẽtesimo sexagesimo quinto die dicitur, incipiente planè non exacto die, quia annum ciuiliter non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus;* vbi *glos.* in verbo *ciuiliter* explicat, *idest secundum consuetudinem ciuium, & loquelam.*

Et in *l.qua ætate, ff.de testam.* vbi dicitur masculos posse testari post decimum quartũ annum, fœminas post duodecimum; vltimam autem diem sufficere esse completam. Idem habetur in *l.1. ff. de manumission.* ibi *iam autem minor non est, qui diem supremum agit*

agit anni vigesimi, & hoc ibi declarat *Iurisconf vt gloss.* animaduertit ad intelligentiam legis Aeliasentiæ, quæ prohibuit minorem viginti annis manumittere; v in §. *eadem instit. quibus ex caus. manum, non licet*.

Et quia *Vulpianus in l. in vsucapionibus, ff. de vsucap.* dicit *in vsucapionibus non à momento ad momentum sed totum postremum diem computamus*; *glossa* declarat, *idest ad quamlibet partem postremi diei aliàs diem totum computamus, accipiendo partem pro toto*; & eundem *text.* summat *Paulus de Castro*, quod in vsucapionibus dies cœptus habetur pro completo.

Id, quod expresse dixit *Venuleius in l. in vsucapione, ff. de diuers. & tempor. præscrip.* in hæc verba *in vsucapione ità seruatur, vt etiam si minimo momento nouissimi diei possessa sit res: nihilominus repleatur vsucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus*.

Et de anno, quod quando est cœptus habeatur pro completo: est *text. in l. ad rem publicam, ff. de muner. & honor.* ibi *minores denique, nec Decuriones creantur, vel creati suffragium in Curia ferunt. Annus autem viginti quinque cœptus pro pleno habetur, hoc enim in honoribus fauoris causa constitutum est, vt pro plenis inchoatos accipiamus*.

Idem dicitur *in l. qui filium, §. Sabinus, ff. ad Sen. Conf. Trebell.* ibi *posteà filius annũ agens plenum nonumdecimum, & ingressus vigesimum, nec dum tamen eo expleto*.

Et in *l. si ità fuerit libertas, ff. de manumiss. test.* ità loquitur *Pomponius*. *Si ità fuerit libertas relicta, Stichus seruus meus anno duodecimo postquam ego mortuus ero, liber esto: verisimile est in principio duodecimi anni eum esse liberum; nàm hoc mortuum sensisse, & inter hos sermones duodecimo anno, & post duodecim annos multum interest, & ità loqui solemus*.

Et quod in legatis annuis sufficiat annum esse cœptum iura sunt clara.

Nempè in *l. à vobis, ff. de annuis legat.* vbi dicitur *à, vobis quoque cæteri hæredes peto, vt vxori meæ præstetis quoad viuet annuos decẽ aureos: vxor superuixit marito quinquennio, & quattuor mensibus: quæro an hæredibus eius sexti anni legatum*

ium integrum debeatur? Modestinus respondit integri sexti anni legatum deberi.

Et in *l.in singulos annos, ff. eodem de ann. leg.* ibi *illud certè amplius est in hoc legato, quod in ingressu cuiuslibet anni si decesserit legatarius eius anni legatum hæredi suo relinquit, quod in vsufructu non ita est.*

Ad idem est *text. in l. filiæ meæ, ff. eodem, de annuis legat. filiæ meæ quotiescunque vidua erit in annos singulos centum hæres meus dato, quæritur si filia minus anni temporis vidua fuisset, nunquid minus ei centum deberetur? Respon. sibi videri tametsi totus annus nõdum fuisset expletus, tamen deberi.*

Et generaliter dicitur in *l.1. C. quando dies legat. Ced. si competenti Iudici annua legata, vel fideicommissa tibi relicta probaueris, ab initio cuiuscunque anni exigendi ea, habebis facultatem.*

Similiter, quod in matrimonio contrahendo sufficiat legitimum tempus cœptum, & habeatur pro cõpleto: *tex. est in cap. puberes, de despons. impuber.* ibi *quidam tamen ex annis pubertatem existimant, id est eum esse puberem, qui quattuordecim annos impleuit, quamuis tardissimè pubescat, certum autem est, puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostẽdit, & generare iam potest.*

Et idem dicitur in *cap. de illis, il 2. eodem tit.* ibi *quod si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali coniungi, minoris ætatis intuitu separari nõ debent, si vnus in alium visus fuerit consensisse.*

Et quod masculus possit cõtrahere matrimonium, vel cõpleto decimo quarto anno, vel circa finem; dicit *text. in cap. attestationes. eod. tit. de despons. impub.* ibi, *quod post decimum quartum annum ætatis suæ, vel circa finẽ decimiquarti anni, prædictus iuuenis consensisset in eam*; vbi *glos.* in verbo *circa finem* explicat *fortè per sex menses*; sic etiã quod fœmina possit contrahere vel in vndecimo, vel circa duodecimum annum; est *tex. in cap. continebatur, eodem titul. de desponsat. impuber.* ibi *si autem fuerit ætati proxima, vt in vndecimo, vel circa duodecimũ annum, & cum suo assensu desponsata, & cognita ab eodem viro separari non debet.*

Quod denique in susceptione ordinum sufficiat cœptum esse legitimum ætatis tempus, licet

licet non completum, iure canonico diffinitum est. Olim qui triginta annos ætatis suæ non compleuerat Presbyter, etiamsi valdè dignus fuisset, ordinari nō poterat: *cap. si quis triginta, 79. distinct.* posteà ex generali Ecclesiæ obseruantia, quæ approbata est per *Clem. fin. de ætate, & qualit.* potest quis liberè in decimo octauo ad Subdiaconatus, in vigesimo ad Diaconatus, in vigesimo quinto ętatis suæ anno ad Presbyteratus ordines promoueri; vbi *gloss.* in verbo *in decimo octauo*, inquit *intelligo inchoato; satis ergò est, quod attigerit.*

Et in *cap. cùm in cūctis, §. inferiora, de elect.* dicitur *inferiora etiam ministeria, vtpută Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omninò suscipiat, sed nec parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui iam vigesimum quintum ætatis attigerit.*

524 Sed in contrarium, quod dies, mensis, annusuè cœptus non habeatur pro completo: *tex. est in l. in omnibus, ff. de act. & obligat.* ibi *in omnibus temporalibus actionibus, nisi nouissimus totus dies impleatur, non finit obligationem.*

Et in *l. qui hoc anno 42. ff. de verb. obligat.* dicitur: *Qui hoc anno, aut hoc mense dari, stipulatus sit, nisi omnibus partibus præteritis anni, vel mensis non rectè petet.*

Idem in legatis; vt in *l. si cui legetur 51. ff. de leg. 1.* vbi dicitur: *Si cui legetur, cùm quattuordecim annorum erit, certo iure vtimur, vt tunc sit quattuordecim annorum cùm eos impleuerit;* vbi *gloss.* ait, *non sufficit si tantum inchoauerit; secus si dixerit in decimoquarto anno. item si dixerit, cùm peruenerit ad decimum quartum annum; secùs si cùm peruenerit ad quattuordecim annos.*

Idem dicitur in *l. ex his, C. quando dies leg. ced.* ibi: *non enim cœptum annum, sed impletum (si de emolumento relicti fideicommissi tractetur) expectădum esse viris prudentibus placuit.*

Et in excusatione à tutela est *tex. in l. excusantur, ff. de excusat. tut.* vbi dicitur, *Excusantur à tutela, & cura, & qui septuaginta annos compleuerunt: excessisse autem oportet septuaginta annos, tempore illo, in quo creantur, aut in quo hæreditatem adierit quis, aut in quo conditio, quæ testamēto inscripta est,*

est, completa est: non infra tempora excusationis; ætas autem probatur, aut ex natiuitatis scriptura, aut ex alijs demõstrationibus legitimis.

Idẽ de excusatione ab alijs muneribus publicis, dicitur in *l.maiores, ff.de iure immunitatis*, cuius verba sunt hæc: *Maiores septuaginta annis à tutelis, & muneribus vacant; sed qui ingressus est septuagesimum annum nondum egressus, hac vacatione non vtetur; quia non videtur maior esse septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum;* & ità etiam iure cautum est, vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum annum ætatis exegerit: vt in *cap. cùm in cunctis, de elect.*

Idem etiam decreuit *Sacr. Conc. Trident.* in emittenda professione in Religione, vt annus debeat esse completus in *cap.15.sess.25.* vbi dicitur, *In quacunque Religione tàm virorum, quàm mulierum professio nõ fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: professio autem anteà facta sit nulla.* Hinc *Rota in recentior. part.1. decis.175. num.6.& 7.* censuit professionem fuisse nullam, quæ fuit emissa die 29.Septẽbris 1593 ab eo, qui natus erat 25. Septembris 1577. & sic per sex dies ante expletum annum decimum sextum, habita ratione de illis decem diebus, quos subtraxit fel. rec. *Gregor. XIII.in reformatione Kalendarij*, qui debent restitui, & connumerari ad effectum computandi integram ætatem annorum sexdecim à Concilio requisitam, & hac ratione motĩ fuerunt Domini, quia quoties lex certi anni, vel certorum annorum mentionem facit, intelligi debet de annis perfectis per lapsum 365. dierũ; vt benè notauit *Alciat.in l.anniculus 134.ff. de verb.signific.* & hoc in tantum procedit, vt subiungitur *in eadẽ decision.* vt quamuis in certis casibus satis sit, vltimum diem esse cœptũ, nec requiratur, quod omninò sit exactus, tamen id procedit in his dumtaxat, quæ fauorem respiciũt, putà in vsucapionibus, in testamentis, in libertatibus, in honoribus cõsequendis: *l.& ideò, ff. de vsucap. l.de ætate, ff.de testam. l.ad Rempublicam, ff. de muner. & honor.*

honor. Quod si de re odiosa, vel præiudiciali agatur; putà in *l. Aelia sentia in l. Iulia, de adulterijs*, in præscriptionibus, in deneganda restitutione, computatio fit de momento ad momentum, nec sufficit cœptum esse diem vltimum, nisi exactus sit: *l. in omnibus, ff. de act. & oblig. l. 3. §. minorem, ff. de minor.* & ibi *Cuiac.* & in *l. 5. ff. qui test. fac. possunt. Alciat. vbi supra*; hæc dixit *Rota in d. decis. 175. dict. num. 7. par. 1. recent.*

Et quicquid sit in annuis legatis; vt in *l. à vobis, ff. de annuis legatis*; cum alijs superiùs relatis; in contractibus tamen aliter à iure dispositum est, nempè vt quod promissum est ad vitam, non transmittatur ad hæredes, etiamsi annus fuerit cœptus, vt est *tex. in l. eum qui ita stipulatur, 56. §. qui ita stipulatur, ff. de verb. oblig.* vbi dicitur, *qui ità stipulatur, decem quoad viuam dare spondes? confestim decem dari rectè petit; sed hæres eius exceptione pacti conuenti summouendus est; nàm stipulatorem id egisse, ne hæres eius peteret palàm est.*

Et idem dicitur in *§. at si ità stipuleris, instit. de verbor. obligat. at si ità stipuleris decem aureos annuos quoad viuam, dare spondes? & purè facta obligatio intelligitur, & perpetuatur; quia ad tempus non potest deberi; sed hæres petendo pacti exceptione summouebitur.*

525 Stante hac legum contrarietate; *glos. & Doctores* excogitauerũt varias distinctiones, etenim *gloss. in l. 3. §. minorem*, in verbo *momentum, ff. de minor.* ait tempus inspici de momento ad momentum in odiosis, non autem in fauorabilibus; *Angel. ibidem* distinguit, aut tempus reperitur appositum in aliqua dispositione simpliciter absque aliqua nota principij, vel finis temporis, aut cum nota principij, vel finis, si absque nota, tunc si ponatur à lege ad priuationem, seù extinctionẽ alicuius beneficij, tunc tempus currit de momento ad momentum, vt totum currat & perficiatur, at si imponitur à lege ad introductionem alicuius beneficij, tunc tempus etiam non perfectum pro completo habetur; si verò tempus est appositum à Iudice computatur à media nocte vsque ad aliam iuxta *text. in l. more Romano, ff. de fer.* & in *cap. consuluit, de off.*

ff. deleg. at si tempus est appositum à contrahentibus, sẽper currit de momẽto ad momentum, & oportet, vt totum sit perfectum.

Sed *Bal. Castr. & alij in dict. l. more:* considerant diem legalem, & diem conuentionalem, legalem dicunt currere de momento ad momentum, cõuentionalem eo modo, quo partes voluerunt.

Portius in §. *eadem institut. quibus caus. manum. non licet super glos.* in verbo *minori*; distinguit, aut tempus determinatum profertur à lege, aut ab homine, si à lege, tunc si materia est fauorabilis, tempus cœptum habetur pro cõpleto, prout fauor dictauerit; si verò materia est odiosa, tunc si tempus profertur per casum genitiuum, vtputà cùm eris decem annorum, tunc tempus cœptum non habetur pro completo, sed totum debet esse completum; & si profertur per casum accusatiuum, & apponatur aliquod verbum perfectionem denotans, vtputà lego tibi, cùm perueneris ad decem annos; & tunc tempus cęptum non habetur pro completo, at si casus accusatiuus proferatur sine aliquo verbo perfectionem demonstrante, vtputà lego tibi ad decimum tuæ ætatis annum, tunc tempus cęptum habetur pro completo, si verò tempus profertur per casum ablatiuũ, & verba executiua referantur ad debitorem, putà soluam tibi mille hoc anno, tunc tẽpus cœptum non habetur pro completo, & creditor non potest petere, nisi transacto toto anno, at si verba executiua referantur ad creditorem, vtputà, tu habebis à me hoc anno mille, tunc dies cœpta habetur pro completa, cùm verba sint prolata in fauorem creditoris: *Alij post Imol. in d. l. si cui legetur* 51. *ff. de leg.* 1. omissa differentia inter genitiuum, accusatiuum, & ablatiuum, quam faciunt *Bartol. Castr. Alex. Ias. & alij in dict. l. si cui legetur,* dixerunt esse inspiciendum, an tempus sit appositum in numero singulari, & tunc tempus cœptum habetur pro cõpleto. Quælibet ex istis distinctionibus patitur aliquam difficultatem; vt latè ostẽdit *Lazarus Fœnutius in suo tractatu de momento tẽporis, cap.* 30. *nu.* 7. *cum pluribus sequentibus.*

Quapropter in hac materia

possumus dicere vna cũ *Vulpiano in l.omnis diffinitio, ff. de reg. iur.* omnem diffinitionem in iure ciuili periculosam esse parum est enim, vt subuerti nõ possit; siquidẽ vt ex prædictis apparet, habemus plures, & diuersas plurium, & diuersorum casuum decisiones, quibus varij Iurisconsulti diuersimodè responderunt, cõsiderantes alij æquitatem, alij disponentium coniecturatam voluntatem, alij materiam fauorabilem, vel odiosam; & alij alias rationes, itaut certa generalis theorica, & distinctio, indubitataque diffinitio tradi facilè non possit.

526 Nos itaque videbimus, quomodo prædicta iura possint conciliari: quibus conciliatis facilè intelligemus, quãdo tempus cœptum habeatur pro completo, vel debeat attendi vltimum momentum.

Dico igitur, quod vbi lex clarè loquitur, & declarat, quod vel sufficiat tempus cœptum, vel requiratur tempus expletum, de alio nõ est quęrendum; nisi quod legis dispositio seruetur, quia casus est specialiter diffinitus.

527 Sic circa facultatem testandi, quia lex contenta est, vt vltima dies anni decimiquarti in masculis, & anni duodecimi in fęminis sit cœpta, de alio quærendum non est; vt in *d. l. qua ætate, ff. de testam.*

528 Sic in vsucapione, quia lex sat habet vltimam diem esse cœptam; ità seruandum est *d. l. in vsucapione, ff. de diuers. & temp. præscript.*

529 Idem de dispositione iuris canonici in matrimonio contrahendo, vt sufficiat masculum attingere decimum quartum annum, & fęminam duodecimum; vt *dict. cap. attestationes, & d. cap. continebatur, de desponsat. impub.*

530 Sic etiam quia ius canonicum in susceptione ordinum statuit, vt sufficiat attingere legitimum tempus, ità seruandum est, vt tempus cœptum habeatur pro cõpleto: *d. Clem. fin. de ætat. & qualit.* & pro ratione prædictorum potest dici, quod materia est fauorabilis.

531 E conuerso autem, quia lex in tẽporalibus actionibus vult, vt dies, mensis, annusuè intelligatur de completo, aliud non est quęrendum, nisi quod lex vult, vt eo casu tempus cœptum nõ habeatur pro cõple-

pleto; *dict. l. item in omnibus, ff. de act. & obligat.*

532 Ratio autem diuersitatis, quare lex vult in vsucapione diem cœptum haberi pro cõpleto, non autem in præscriptione temporali, reddi potest, quia vsucapio, & præscriptio decem, vel viginti annorum est fauorabilis, ne dominia rerum stent diù in incerto, præscriptio verò triginta, vel quadraginta annorum est odiosa, quæ tollit actionem, & finit obligationem; vt in *dict. l. item in omnibus*.

533 Sic etiam, quia iura nolunt, quod à muneribus publicis ratione ætatis quis excusetur, nisi excedat septuagesimum annum, non est aliud quærendum, quia tali casu decisum est diem, annumue cœptum non haberi pro completo: *d. l. excusantur, ff. de excusat. tut. vel curat. & dict. l. maiores, ff. de iur. immun.*

534 Sic denique quia *Sacrum Concilium Tridentinũ d. cap. 15. sess. 25.* vult, quod annus professionis debeat esse completus, ità seruari debet.

535 Sic etiam quia ius canonicum non vult, vt eligatur in Episcopum, qui non excedit triginta annos ita seruandum est; vt in *d. cap. cùm in cunctis, de elect.*

536 Dicamus igitur, quod dies, mensis, vel annus cœptus habetur pro completo, vel non, secundum quod in lege Legislator, in testamento testator, in contractu contrahentes, & in dilatione Iudex, se declarant, iuxta præallegata, & quod in hac materia sit attendenda forma verborum; dicit *Abb. in dict. cap. cùm in cunctis, nu. 6. vers. sed ego multum, de elect. Felin. in cap. vigesimum, sub num. 7. de offic. delegat. Rot. diuers. decis. 75. nu. 33. par. 2.*

537 Sed quando se non declarant, debet intelligi de tempore completo, nam regulariter tempus debet esse completum, nisi aliud in iure caueatur; *Abb. in d. cap. cùm in cunctis, nu. 6.* & ibi *Dec. nu. 23. in fin. Rot. diuersor. d. decis. 75. num. 34. par. 2.* Et ideò quando fit mentio de die, intelligi debet de completo vigintiquattuor horarum ab vna media nocte ad aliam: iuxta *l. more Romano, ff. de fer.* Sic de mense, qui intelligitur de triginta diebus, & de anno qui est 365. dierum, vt supra diximus, & ita procedit *textus in d. l. qui hoc anno, ff. de verbor.*

obligat. & hoc voluit *Bald. in l.ex bis, in 2. oppos. C. quãdo dies legat. ced.* dicens, quod vbi lex, vel homo non declarat, tunc requiritur tempus completũ, quia ista est propria vocis significatio; & *Archidiacon. in cap. fin. de Iud. in 6.* dicit quod vbi fit mentio de anno, regulariter intelligitur de anno cõpleto, & non de inchoato, quem refert, & sequitur *Abb. in cap. cùm vigesimum, de off. deleg. & in cap. ad nostram, de regular. & in cap. cùm in cunctis, in princip. de elect.* vbi vult, quod si dictum fuerit, quod quis habeat decimum octauũ annum, requiritur, quod sit completus: *Natt. consil. 461. num. 3. & 4.*

538 Quando verò oratio, & mẽs loquentis de die, mense, & anno est dubia, & potest intelligi in vtroque modo, tunc attendendum est, ad cuius fauorem tempus apponatur, quia si illius fauor dictat, vt tempus cęptum habeatur pro completo; ità accipi debet; si verò eiusdem fauor dictat, vt debeat expleri, ita seruandum est, vt cœptum non habeatur pro completo; prædicta enim conclusio, quod in fauorabilibus dies cœpta habeatur pro completa, procedit vt habeatur pro completa, & non completa secundum quod fauor dictat; vt per *gloss. & Doct. in d. l. 5. §. minorem, ff. de minor. Fab. in d. §. eadem lege, & ibi Port. num. 5. & Aldobr. in addit.* dicit Doctores ita communiter tenere: *instit. quibus ex caus. manum. non licet, Rot. diuersor. d. decis. 75. num. 39. par. 2.*

539 Sic quando fauor minoris vigintiquinque annis exigit, vt tempus sit expletum, non sufficit diem esse cœptum; & ideò minor, quando est læsus, habet beneficium restitutionis, & si lædatur in vltimo die anni vigesimiquinti, adhuc dicitur minor, & cùm tempus vigintiquinque annorũ sit appositum à lege fauore minoris, ideò debet esse completum, vt excludatur à beneficio restitutionis in integrum; vt in *d. l. 3. §. minorem, ff. de minor.* & ibi *gloss.* in verbo *momentum*.

Vt autem minor viginti annis non censeatur prohibitus per legem Aeliam sentiam manumittere seruos: *§. eadem institution. quibus ex caus. manum. licet, vel non,* sufficit, vt attigerit diem vltimam

mam vigesimi anni, fauore libertatis, vt possit manumittere; & ita procedit *tex. in dict. l. 1. ff. de manumiss.*

Similiter quia fauor minoris dictat eũ posse testari, ideò valet testamentum in vltima die anni duodecimi in fœminis, & decimi quarti in masculis, & hoc casu fauore minoris dies cęptus habetur pro cõpleto; & ita procedit *text. in d. l. qua ætate, ff. de testam.*

Sic etiam fauore libertatis annus cœptus habetur pro completo: *dict. l. si ità fuerit libertas, ff. de manumiss. testamento.*

Sic etiam ad effectum, vt minores possint creari Decuriones, & dare suffragium in publicis negocijs, annus cœptus habetur pro completo; quia hoc in honoribus fauoris causa constitutum est: *dict. l. ad Rempublicam, ff. de muner. & honor.*

Sed quando dicatur oratio clara, vel dubia attendenda est vis verborum, & præpositionum, quæ tempori præponuntur.

540 Si testator legat annua centum alicui, quoad viuet, fauore vltimæ voluntatis, dies legati cedit in principio anni, & ita procedit *l. à vobis, & l. in singulos annos, ff. de annuis legatis.*

541 Et regulariter in legatis & vltimis voluntatibus tempus præstationis incipit currere à die testamenti: *Bald. in l. si cui legetur, in princip. ff. de leg. 1.*

542 Sed si quis stipuletur annua decem, quoad viuet, etiam si in principio anni vixerit, non transmittit ad hæredes, quia censentur contrahentes exclusisse personã hæredis; & ita procedit *d. l. eũ qui, §. qui ità stipulatur, ff. de verb. oblig. & in §. si ità stipuleris. instit. eodem, & Bart. in d. §. qui ità stipulatur, in princ.* dicit, quod in stipulatione, quoad viuam, tempus cẽsetur appositum gratia finiendæ obligationis.

543 Quando fit mentio de maiore septuaginta annis, oratio est clara, quod debet excedere septuagesimum annũ; & ita procedit *d. l. maiores, ff. de iur. immun.*

544 Quando etiam fit mentio de minore viginti annis, pariter oratio est clara, quod qui agit supremum diem vigesimi anni, non est minor viginti annis; & ita procedit *dict. l. 1. ff. de manumission.*

545 Similiter quãdo relinquitur alicui, cùm erit quattuordecim annorum, & sic in genitiuo, oratio est clara, quod erit quattuordecim annorum, quando eos compleuerit; & ita procedit *d. l. si cui legetur, ff. de leg.* 1.

546 Si dictum sit in duodecimo anno, & sic in ablatiuo cũ præpositione in, tunc oratio est clara, quod attingens duodecimum annum est in duodecimo anno.

Si verò sit dictum post duodecimum annum, & sic in accusatiuo, oratio est clara, quod annus duodecimus debet esse completus; ita dicitur in *d. l. si ità fuerit libertas, ff. de manumiss. test.*

547 Similiter si dictum sit, cũ peruenerit ad decimum quartum annum, & sic in accusatiuo, oratio est clara, quod vltimus annus debet esse completus, nedum ex natura accusatiui; sed etiam ex vi verbi peruenerit, quod rem perfectam significat *Bar. in d. l. si cui legetur, ff. de leg.* 1. *nu.* 1.

Sed idem est etiam si tempus ponatur in accusatiuo absque verbo denotante perfectionem; vt reiecta opinione *Bart.* benè deducit *Alex. in dict. l. si cui legetur num.* 2. *vers. sed in contrarium*, & ibi *Ias. nu.* 10. *vers. & quod fortiùs est, & num.* 11. *Rot. diuers. d. decis.* 75. *num.* 18. *par.* 2.

548 Pariter si sit dictum infra octo, videtur dicendum requiri tempus cõpletum, quia dictio infra regulariter includit suã extrema: *l.* 1. *§.* 1. & ibi *Bart. num.* 11. *vers. & ad hoc facit, & Bald. num.* 8. *ff. de offic. Præfect. Vrbis, l. si quis dixerit*, & ibi *Alciat. num.* 2. *& latè Rebuff. ff. de verb. signific. Corn. cons* 53. *num.* 5. *post med. lib.* 2. *Rot. diuers. d. decis.* 75. *num.* 19. *par.* 2.

549 Et de dictione intra, quod comprehẽdat non solum media, sed etiam extrema termini, & extremum diem termini: *Aret. in l. ex facto, §. item quæro in vlt. not. ff. de vulg. & pup. & in l. qui ante Kalendas, num.* 2. *ff. de verb. obligat.* vbi *Claud. de Seisel. nu.* 1. *&* 2. declarat procedere eo magis, quando dictio intra adijcitur non qualitati, sed tempori, refert, & sequitur *Rot. diuers. d. decis.* 75. *num.* 20. *&* 21. *par.* 2. quæ censuit, quod in materia regulæ de viginti, vltima dies debet esse completa.

550 Et idem de dictione vsque

sic

sic in casu, quo quis fuit constitutus tutor, & pro tempore curator filij vsque ad ætatem viginti annorum, quod vt cura finiatur, requiratur vigesimum annum esse completum, cõsuluit *Natta consi.461. per tot.* ea ratione, quia tempus adiectum ætati, siuè per genitiuum, siuè per accusatiuum, requiritur, vt sit perfectum, ex rationibus per eum adductis, desumptis ex prædictis iuribus.

551 In materia autem citationis, & dilationis, an dies cœptus habeatur pro completo, vel debeat currere de momento ad momentum, attendi debet fauor citati, cùm ad eius fauorem apponatur ex supra deductis; vndè docet *Bald. in l. ex quacunque sub numer.* 10. *vers. aut loquimur in dilatione iudiciali, ff. si quis in ius voc. non ier.*

552 Quod si datur terminus octo dierum, octauus dies debet esse totus ad fauorem citati, adeò quod si octaua dies esset feriata, deberet fieri dilatio ad sequentem, aliàs non haberet cõmodum octo dierum, sed tantum septem; *l. 2. §. si quis in iudicio, ff. si quis caut.*

553 Si verò datus est terminus vsque ad octo dies, tunc non fit extensio ad sequentem, quia dictio vsque stat exclusiuè: *cap. cùm dilecti, de dol. & cont.* sed attenditur tota dies octaua: *ità Bald. vbi sup.*

554 Similiter si Iudex dat dilationem certorum dierum, tunc debet expectari lapsus illorum vsque ad vltimũ momentum; quia pendente dilatione, conquiescit officium Iudicis: *d. l. siuè pars, C. de dilat. Gabr. conclus. 1. de dilat.*

555 Hinc si detur debitori terminus quindecim dierum ad reluendum, & fiat deliberatio nõ completis quindecim diebus, subhastatio, & deliberatio remanet nulla; quia terminus incipit currere post intimationem, cuius dies excluditur, maximè per dictionem, à, vt per *gloss. in cap. statuta*, in verbo *numerando ante fin.* & ibi *Doct. de praben. in 6. Tiraq. de retract. consanguin. §. 1. gloss. 11. num.* 51. & non iuuaret si fieret in vltima die, licet dies cęptus habeatur pro cõpleto; ad *not. in l. 1. ff. si quis caut. & post gloss.* tradunt *Doct. in l. quod authoritate, ff. de testam.* cum alijs pluribus supra relatis, quia non procedit in

odiosis;vt per *gloss. in l. 3. §. minorem*, in verbo *momentum*, *iuxta fin. ff. de minor.* & diximus supra, & stante decreto, nisi infra quindecim dies,quia tempus est designatũ per accusatiuum, ideò requiritur, vt sit completum: *Bald. in l. si annos, ff. de cond. & demonstrat. l. si cui legetur in secunda opposit. vbi Alex. num. 2. & Ias. nu. 13. ff. de leg. 1.* & illa dictio infra includit sua extrema; *dict. l. 1. §. 1.* vbi *Bart. & alij, ff. de offic. Praefect. Vrbis*, & hisce rationibus *Rota* declarauit subhastationem, & deliberationem nullam, & reintegrauit spoliatum ad pristinam possessionẽ, vt in 4. *par. diuersor. decis. 60. per totam.*

556 Rursus in hac materia distinguendum puto,quod quãdo quis citatur, seù quando datur dilatio ad aliquid faciẽdum ad certam diem,tunc aut illud fieri potest extraiudicialiter, & in absentia tàm Iudicis, quàm partis, vt est comparere, vel quid aliud simile adimplere, & tali casu currit tempus de momento ad momentum, & potest fieri vsque ad mediam noctem sequentis diei; iuxta *text. in l. more Romano*, cum notat. ibi per *Doctores, ff. de ferijs.*

557 Sed quando quis ad certam diem citatur ad aliquid faciendum, vel aliquid fieri audiendum, quod fieri debet iudicialiter, vel requirit praesentiam Iudicis, siuè partis, tunc citatio intelligitur facta pro hora audientiae consueta: *Innoc. in cap. cùm nobis, de elect. sub num. 2. Franc. in cap. cùm parati, num. 23. de appellat.* & tali casu licet non debeat expectari vltimum momentũ diei,debet tamẽ expectari vltimum momentum horae audientiae: *Franc. ibidem nu. 24.*

558 Regulare enim est, quod citatus expectandus sit vsque ad vltimum momentum: *Specul. in tit. de comparit. in termino, num. 3. Alex. in l. si finita, §. Iulianus, num. 25. vers. item quia erat, & in l. qui hoc anno, num. 6. ff. de verb. obligat. Bart. in l. liber homo, §. decem hodie, ff. eodem; Rot. in recentiss. par. 1. decis. 394. num. 3.* & tunc pars quae comparuit, potest alterius non comparentis contumaciam accusare, & recedere: *cap. 1.* & ibi notant *Abb. Felin. & alij, de offic. deleg.* & nemine cõparente terminus circumducitur; iuxta *text.* cum ibi not. *in l. fin ff. quod vi, aut clam;*

clam; *Bald. conf.* 268. *num.* 2. *in fin. lib.* 1.

559 Immò si in loco, vbi consuetum esset reddi ius, bis in die de mane, & de sero, quis citaretur pro certa die ad audiendam sententiam, debet intelligi citatus non pro prima; sed pro secunda hora audientię illius diei, quia pars est expectanda vsque ad vltimam horam; vt ita concludit *Franc. in dict. cap. cùm parati*, *num.* 25.

560 Quærit *Innoc. in dict. cap. cùm nobis, de elect. sub num.* 2. vsque ad quam horam diei sint expectandi, qui sunt citati ad electionem, & præmittit, quod istæ citationes, quæ fiunt Canonicis, non sunt citationes, sed sunt denunciationes, vel monitiones, quas possunt facere non solum Iudices, sed etiam pares, vel minores, & illi tantũ, qui præsentes sunt, licet pauci, & vnus solus, si alij non sunt præsentes, aliàs si qui essent præsentes, ipsi reuocarent, & tales sunt hæ denunciationes, quales illæ, quæ fiunt vẽditoribus pro euictione; & concludit, quod in istis non sunt necessariæ solemnitates peremptorij, & triũ citationum, sicut in iudicijs, sed statim nõ venientibus vocatis, possunt præsentes procedere, censentur enim vocati pro eadem die de mane, hora celebrationis missæ Spiritus sancti, & vsque ad illud tempus, vti consuetum pro electione facienda, sunt expectandi ex iuribus per eum allegatis; sequitur *Franc. in d. cap. cùm parati, num.* 24. *de appellat.*

561 Pro complemento huius materiæ, quæro si quis citatur ad interessendum alicui actui, putà examini testium, vel recognitioni faciendæ pro certa die de mane, & de sero, non expressa certa hora; vsque ad quam horam debeat expectari; & quod vltimum momentum vltimæ horæ de mane, vel de sero non sit expectandum; sed possit fieri in qualibet hora de mane, vel de sero; censuit *Rota in vna Nouarien. bonorũ*, 26. *Iunij* 1628. *corã Reuerendiss. bo. me. Coccino Decano impressa per Possum. in suo tractat. de mandato de manutenendo decis.* 241. *la prima*; *num.* 7. quam vide.

Ego autem distinguo inter Iudicem, qui vel monet, vel dat dilationem ad certam diem, & inter partem, quæ ci-

citat ad certam diem.

562 Quando Iudex dat alicui certum terminum ad faciendum actum aliquem, non momentaneum, putà ad probandum, examinandum testes, ad faciendum recognosci iura, qui actus vno momento non possunt explicari, non potest pars expectare vltimũ momentum termini, in quo actum perficere non posset; sed debet terminum præuenire, & præueniendo citare alteram partem, cuius præsentia requiritur, quæ tali casu nec debet vsque ad vltimum momentum expectari, iuxta ea, quæ superius diximus; & in his terminis loquitur *Bart. in dicta decis. allegatus. in l. qui ante Kalendas*, 13 *sub num.* 5. *ff. de verb. obligat.* ibi *quandoque datur terminus ad aliquem actum non momentaneum, vt ad probandum, in quo multa requiruntur, & hoc casu si expectaretur illa pars, vsque ad vltimam diem; tunc nihil posset probare, & tunc reus intra terminum potest venire quandocunque vult; tamen debet facere citari actorem, vt veniat ad videndum testium iuramenta, & articulorum productiones, quia ego actor benè scio, quod tu posses probare intra octo dies, sed nescio qua die, vel hora hoc facias, ideò nisi mihi dies & hora denuncietur, non imputatur mihi:* hæc dicit *Bar.* & propterea aduertendũ est, quia non dicit, quod vna pars altera absente, & non requisita possit curare, vt actus expediatur quandocunque intra terminum, seù in principio termini; sed benè quod vnus potest præuenire terminum, citando tamen, seù requirendo alterum.

563 Quãdo verò pars citat aduersarium, vt compareat coram Iudice ad videndum aliquid per ipsum Iudicem fieri, tunc non adiecta hora intelligitur citatus pro hora audientiæ, & debet expectari per totam horam audientiæ, ità loquitur *Franc. in d. cap. cùm parati n.* 23. 24. *&* 25. *de appell.* Sed in Curia ità seruatur, vt pars citata faciat suam protestationem in officio, quam postea Notarius vnà cum citatione legit ipsi Iudici, & ideò non est in vsu, quod expectetur altera pars vsque ad vltimum momentum audientiæ, sed debet citatus si vult adesse eo tempore, quo legit Notarius suæ causæ, & huc pertinet,

net, quod dicit *Abb.* in eadem *decis. allegatus in cap. consuluit, de offic. deleg. num.* 5. quod vbi quis citatus; vt compareat certa die, nec hora determinatur, debet citatus comparere tali hora, qua possit Iudex incipere, & finire actum incumbẽtem, & sic de tempore, quo legit Notarius.

564 Quando verò pars citat aduersarium ad aliquem actũ, qui non solet expediri per Iudicem hora audientiæ, prout est examen testium, & recognitio iurium, debet indicari hora, quia nulla est hora certa, & solita ad huiusmodi actus explicandos; requiritur enim commoditas, & interessentia plurium personarum, nempè Iudicis, alteriusue examinare debentis, interpretumue conducendorum, Notarij scribere debentis dicta testium, necnon eorum, qui sunt depositurі; & in Curia solent partes intimare horam præcisam, qua fiet examen, & tunc horę lapsus expectatur.

Sed quando citaretur simpliciter pro certa die de mane, & de sero, seù in vesperis, non videtur, quod actus posset fieri parte absente ante vltimum momentum, etiam si in vltimo momento actus non posset explicari, quia sibi debet citans imputare cur horam commodam, & congruam non expresserit in citatione; *ad tex. in l. aut qui aliter ff. quod vi, aut clam*; & ibi *not. Doct. & supra diximus in cap. 9. numer.* 530.

Nec sufficit, quod in mane, & in vesperis plures sint horæ, & quod ideò actus factus in qualibet hora censeri debeat factus in termino, & valeat, licet non fiat in vltimo momento vltimæ horæ; iuxta *cons. Bart.* 176. *lib.* 1. *in d. decis. alleg.* quia hoc verum est in actu, qui debet fieri per Iudicem; quia tunc citatio intelligitur facta pro hora audientiæ, qua Iudex sedebit; & *Bart.* loquitur de citatione ad sententiam, non autem ad alios actus, qui non habent horam certam.

565 Et dicit formaliter *statuit Iudex terminum parti, quod veniret cras ante nonam ad audiendum sententiam, dicta verba debent intelligi ante nonam scilicet finitam, & sic in ipsa hora nona, alias dilatio esset nulla, & hoc est, quod dicit gloss. in §. omnis instit. de verb. obligat. quod sententia debet dari in* ve-

vesperis: quia citatio facta tali die debet intelligi vltima hora diei iudicialis, quæ est hora vesperarum; vt in dict. §. sedebunt, auth. de Iud. & in cap. consuluit, de off. deleg. Igitur in ipsa dilatione dicta verba intelliguntur de ipsa hora nona, & sic verba intelliguntur secundum naturam eius, super quo adijciuntur; vt l. si stipulatus, ff. de vsur. & l. damni infecti quidam, ff. de damn. infect. præterea ad hoc vrget ratio; quia solemnitas intrinseca præsumitur magis, quã verborum prolatorum natura comprehendat, vel est apta comprehendere; vt not. per Dyn. in l. sciendum, ff. de verb. oblig. sed ista verba ante nonam possunt intelligi, ante nonam scilicet inchoatam, & sic sententia esset nulla, item potest intelligi, idest ante nonam scilicet finitam, & post eam inchoatam; vt dixi, & not. in d. l. eum qui, § qui autem & expressius, de verbor. obligat. l. stipulationes non diuiduntur, §. si quis in gloss. finitas, &c. cùm ergo natura verborum sit apta comprehendere istam horam nonam, ergo, & cæt. nisi probetur contrarium; vt d. l. sciendum, & quod ibi not. præterea secũdum vnum intellectum sententia valet, secundum alium non, ergo, & cæt. vt l. quoties, ff. de reb. dub. l. quoties in stipulationibus, ff. de verbor. oblig. & l. quoties idem sermo, ff. de reg. iur. pro hoc quod dicitur, quod præsumitur pro Iudice in dubijs, sed hoc est dubium.

566 Hæc igitur Bartoli dicta de monitione per Iudicem facta nullatenus conueniunt in casu, de quo quærimus de citatione per partem facta ad videndum examinari testes, & iura recognosci; quia in primis huiusmodi actus non fiunt in hora audientiæ, nec habent horam certam, nisi eam, quam eligunt partes; ideò debet apponi hora certa, & citatus expectari vsque ad vltimũ momentum; deindè quilibet actus, qui debet fieri à Iudice, non potest fieri extra tempus audientiæ, nec de nocte, receptio autem depositionum, & recognitionum potest fieri etiam post vltimum momentũ vltimæ horæ vesperarum, & etiã de nocte; ad *not. per Doct. in l. ad testium, §. fin. ff. de testam.* & in *cap. consuluit, de off. deleg.* & tandem verba Iudicis debent interpretari, vt conueniant actui, cùm pro eo præsumatur, verba autem citationis debent intelligi fauore citati,

tati, vt expectetur vsque ad vltimum momentum, & non adest præsumptio pro citante, sicut pro Iudice, & si vesper habet plures horas, multò plures habet dies, & nihilominus citatus pro certa die expectari debet vsque ad finem diei: *gloss. & Doct. in l. more Romano, ff. de ferijs*; sic etiam citatus in vesperis debet expectari vsque ad finem vesperarum; nec valet dicere, citationem interpretãdam eo modo, quo actus gestus valeat, quia non est casus dubius, quod citatus ad prædictos actus debeat expectari vsque ad vltimũ momentum: imò si citatio posset intelligi, vt deberet comparere vel in principio, vel in fine vesperarum, esset citatio incerta, & dubia, & non valeret, *Bart. in l. liber homo, §. decem hodie, ff. de verb. oblig.* & in prææallegato *cons.* 176. dùm dicit *benè scio, quod tu posses probare intra octo dies, sed nescio, qua die, vel hora*; vt in eisdem verbis ipsius *Bart.* supra relatis; nec releuat, quod actus in vltimo momento non possit expediri; quia si pars expectaretur ad vltimum momentum, posset consentire, vt actus explicaretur in principio noctis, vel in alia hora diei sequentis; quod nõ potest facere Iudex, qui vel interloqui, vel diffinire debet in hora audientiæ: *gloss. in §. omnis, instit. de verbor. oblig.* in verbo tribui in fine, ibi *sed tamen post vesperas statim, vel in ipsis vesperis debet ferri sentẽtia, auth. de Iud. §. sedebunt*; *& tex.* est in *cap. consuluit, de off. deleg.* ibi *nos tamen eam procedendi horam cõgruam intelligimus, ex qua possis ante noctis tenebras perficere, quod incumbit*.

567 Hinc citatio, quæ fieri solet in Curia ad hodie per totam, non intelligitur per totam diem, sed per totam horam audientiæ: *Seraph. decis.* 1115. *num.* 2. *&* 3. Sic si citatio fieret ad sententiam ante nonam, non deberet intelligi ante nonam inchoatam, nec post nonam finitam; sed ante nonam scilicet finitam, & sic in ipsa hora nonæ tanquam hora audientiæ: vt per *Bart. in supra relato cõsilio* 176. *lib.* 1. Sic etiam citatio, quæ olim coram Prælatis fieri consueuerat hora campanellarum, intelligitur de hora solita audientiæ Prælatorum, quæ est de mane: *Seraph. d. decis.* 1115. *num.* 3.

Sed

568 Sed quid si citatus vt supra pro examine testium, vel iurium recognitione in vesperis ante vltimum momentum compareat? tunc si dedisset interrogatoria, vel aliàs consentiret, non esset vltimum momentum expectandũ: per dationem enim interrogatoriorum inducitur consensus: *Put.decis.301.num.2.lib.3.* & dum comparuit ante vltimum momentum, sine dubio habuit scientiam de actu, qui fieri debebat: *Bald.in l.1. ff.de ferijs*, *Caput.decis.293.par.3.*

569 Si verò postquam comparuit, recessit absque vlla protestatione, quod expectaretur, vel cum protestatione, quod non fieret examen, siuè recognitio, & tunc vlterius non est expectandus ad vltimum momentum, dum certũ est, quod noluit interesse; sic etiam is, qui citatus dixit nolle venire, non est vlterius citandus: *Io. Andr. in addit. ad Specul. sub tit. de citat. §. viso*, in verbo *incumbit*, *& in tit. de contum. §. 1. in gloss. magna, in 6. & 7. quaest.* & habetur in *cap. causam quae, de dolo, & contum. & in cap. eum qui, eod. tit. lib. 6. Vant. de nullit. ex defect. citat. num. 98.*

Et ex his remanet absolutum hoc decimum Caput, in quo etsi nonnulla dixerimus, quæ fortè extranea viderentur, satis sit, inutiliter dicta non fuisse.

Quæ requirantur ad validitatem Citationis. Caput XI.

SVMMARIVM.

1 *Citatio vt valida sit, quæ requirantur.*

2 *Decretũ citationis multi putant de consuetudine non esse necessarium, sed errant.*

3 *Citatio fieri non potest sine Iudicis commissione.*

4 *Citationis commissio, an verò sola citationis relatio per actuarium sit describenda.*

5 *Citandi commissio generalis Nuncio data in principio sui officij, an sufficiat sine alia commissione speciali.*

6 *Citatio realis, seù captura personæ non potest fieri sine speciali Iudicis mandato, fallit in apprehenso in flaganti. Item in debitore in fuga reperto.*

7 *Citatio in ciuilibus de iure communi fieri non potest sine speciali Iudicis mandato.*

Con-

8 *Consuetudo, vel Statutum inducere potest, vt citationes per Nuncium fiant in vim commissionis generalis.*
Et vt credatur Nuncio referenti citasse de Iudicis mandato.

9 *Consuetudo valet, vt decretũ citationis præsumatur generaliter quando facta est per publicũ Nuncium iuratum. Secus per partem, vel alium priuatum.*

10 *Consuetudo, vt Nuncius possit citare in vim generalis cõmissionis habet locum in foro citantis, non autem extra.*

11 *Iudex loci quando est requisitus ab alio Iudice, vt aliquẽ citet, non sufficit vt Nuncius. Iudicis requisiti citet in vim generalis commissionis, sed requiritur speciale mandatũ.*

12 *Consuetudo, vt ex sola relatione Nuncij præsumatur Iudicis commissio, non operatur vt Iudex sæcularis absque speciali commissione censeatur Clericum traxisse ad forum secularem.*

13 *Consuetudo, vt Nuncius citet absque Iudicis speciali cõmissione, procedit in illis citationibus, quæ non requirunt aliquam causæ cognitionem, seù Iudicis motum.*

14 *Nuncius quando citat vigore generalis commissionis non potest citare die feriata; quia tunc vtitur quadam iurisdictione.*

15 *Citandi facultas dependet à iurisdictione.*

16 *Nuncius quamuis citet, tamen Iudex dicitur citare; quia citat de eius commissione.*

17 *Citatio duas habet partes, vnam iurisdictionis, & aliam facti.*

18 *Actus citationis est actus iurisdictionis voluntariæ quãdo fit nemine contradicente; & fieri potest extra territorium, aliàs est actus iurisdictionis contentiosæ, & fieri nequit, nisi in proprio territorio.*

19 *Decretum citationis est sententia interlocutoria.*

20 *Decernere citationem vt Iudex possit contra aliquem; necesse est, vt in eum habeat iurisdictionem.*
Iurisdictio in habitu non sufficit, vt quis possit citationem decernere, sed requiritur in actu.

21 *Delegati quando sunt plures habentes iurisdictionem insolidum, tunc quilibet habet iurisdictionẽ in habitu, tantum non in actu, quia iurisdictionis*

nis exercitium simul omnes habent.

22 *Iurisdictio citantis inspicitur de tempore citationis, an tunc potuerit citare. nec sufficit, vt post citationem superueniat.*

23 *Iudex incompetens tempore citationis fit competens per reconuentionem.*

24 *Iudex cui non competit iurisdictionis exercitium citationem decernere non potest: vide exempla.*

25 *Delegatus non habet exercitium iurisdictionis, quando vel non fecit fidem suæ facultatis, vel ante sibi factam præsentationem rescripti, scilicet post citationē fieret præsentatio.*

26 *Extra Territoriũ citatio cõmitti non potest; sed debet requiri Iudex illius.*

27 *Nuncius potest citationem exequi extra Territorium. Sed de hac conclusione Author dubitat; quia tũc videtur turbari alterius iurisdictio.*

28 *Nuncius citans vbi non est in possessione citandi non arctat citatum, & nuncius publicus vnius loci censetur priuatus respectu alterius loci, & Nuncio priuato quis non tenetur credere sine litteris.*

29 *Territorij vnius Iudex an possit citare suum subditum in alieno territorio, est passus valdè dubius.*

Iudex vnius territorij potest scribere Iudici alterius territorij, vt citet suum subditum ibi existentem.

Iudex vnius territorij non potest subditum in alieno territorio capi facere, nisi requisito Iudice eiusdem territorij.

30 *Iudex vnius territorij non potest citare in alieno territorio per Nuncium, quando territoria sunt separata, & non sunt sub eodem Domino: secus si dependēt ab vno Domino.*

31 *Nuncius, seù Viator quando citat aliquem in alio territorio verbaliter, propriè non dicitur citare, sed intimare, secùs per litteras.*

32 *Citandi actus, prout explicatur à Nuncio, nõ est actus Iudicis, & potest fieri vbique. Fratres vbique possunt capere apostatam. Prout autem explicatur per Iudicem, hoc est per litteras Iudicis non potest fieri vbique, nisi requisito Iudice alterius territorij.*

33 *Decretũ citationis debet fieri in proprio territorio, quando adhibetur causa cognitio.*

Executio citationis potest fieri extra

extra territorium; quia præceptum executoris confertur in locum congruum.
Citatio non potest fieri ad comparendum extra territorium.

34 *In territorio alieno quis debet citari per litteras requisitorias Iudicis.*

35 *Executor solo verbo potest citare in diuerso territorio supposito eidem Domino.*

36 *Requirere si Iudex nolit alium pro citatione facienda, tenetur ad interesse parti, & potest cogi per superiorem.*

37 *Requisitus, si nolit citare, cogitur per superiorem, & tenetur parti ad interesse.*
Declara quando inferior requirit; secùs quādo superior.

38 *Sine litteris subsidiarijs valet processus factus de consensu Iudicis alterius territorij.*

39 *Volūtaria iurisdictio in alieno territorio potest exerceri, dummodò non disponat de loco, vel de rebus sibi non subditis.*

40 *In his, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, non potest quidquam fieri altero inuito.*

41 *Iurisdictionem voluntariam habens ab alio, quàm à Principe, potest eam exercere extra territorium.*
Exemplum de Notario.

42 *Iurisdictionis voluntariæ quæ sunt, possunt fieri quolibet tempore.*

43 *Iurisdictio voluntaria, & contentiosa, quæ sit.*

44 *Iurisdictionis voluntariæ actus fit iurisdictionis contentiosæ, quando quis pro suo interesse se opponit.*

45 *Iurisdictio triplex est, contentiosa, voluntaria, & statutaria; secundum Bald.*

46 *Consuetudo dat iurisdictionem voluntariam, quæ extenditur ad forenses: vide exemplum.*

47 *Consuetudo, vt det iurisdictionem contentiosam, requiritur tempus immemorabile.*
Sed vt det iurisdictionem voluntariam, sufficit longum tempus.

48 *Mare, ratione iurisdictionis, dicitur vel territorium, vel districtus.*

49 *In mari iurisdictio pertinet ad Ciuitatem vicinam intra centum milliaria in mare.*

50 *Sed si duæ Ciuitates essent æquè vicinæ mari, delictum in mari diceretur commissū in confinio, & cognitio pertineret*

neret ad vtranque, & esset locus præuentioni.

51 *Præueniße dicitur is, qui cœpisset delinquentem in mari, licet alius eum verbaliter citasset prius.*

52 *In mari quis habet iurisdictionem vsque ad centũ milliaria & milliaria centum in mari, intelliguntur vt sint minus duabus dietis.*

53 *Papa si moreretur in mari, electio fieri deberet in loco cui mare subesset, vel alias in loco viciniori.*

54 *Extra territorium citãdi iurisdictio potest dari per consuetudinem, siue Iudici, siue Nuncio.*

55 *Consuetudo potest dare iurisdictionem priuato. Item & priuilegium.*

56 *Citationem decernere, etiam in suo territorio, Iudex aliquando non potest.*
Quando scilicet vnus habet iurisdictionem priuatiuè quoad alios.
Item quando inter habentes iurisdictionẽ cumulatiuè vnus præuenit.
Item vbi causa est alteri delegata.

57 *Iudicium integrum est quod plurium sententijs confirmatur.*

58 *Delegatus vnus sine alio citationem decernere non potest, quando causa duabus est commissa simpliciter.*
Item quando est commissa tribus; quia altero absente duo nequeunt citare, nec procedere.
Item si plures sint delegati, cum clausula, quod si omnes, &c. quia nisi appareat, quod tertius se excusauerit, alij non possunt procedere.

59 *Delegati vbi sunt plures insolidum, quilibet potest per se negocium incboare.*
Sed vbi quis præoccupauerit, alter non potest se intromittere, nisi is, qui præoccupauerit, vel iusta causa impediretur, vel malitiosè recusaret.
Et licet posteà impedimentum cessauerit, non tamen causa reassumitur.

60 *Procuratores, vbi sunt duo simul constituti, vnus sine altero, non admittitur; sed vbi sunt constituti insolidum, melior est conditio occupantis; nisi clausula esset apposita, quod non fieret melior conditio occupantis.*

61 *Citatio facta ab vno ex delegatis nulla est, quando sunt delegati coniunctim.*

Vel

Vel quando sunt delegati in-solidum, & vnus citat propter assertum impedimentum alterius.

62 *Sanari non potest ex tacito partium consensu nullitas, quæ ex defectu iurisdictionis prouenit.*

63 *Delegati duo, si asserunt citare de consensu tertij; an citatus teneatur comparere.*

64 *Impedimentum vnius excõiudicibus, an probetur sola aliorum coniudicum assertione.*

65 *Citatio facta per duos ex delegatis de asserta licentia tertij, si reuera licentiam non habebant, est nulla.*
Quæ nullitas non sanatur, siuè per ratihabitionem, siuè per consensum partium.

66 *Delegatus quoad certas personas expressas, non potest citationem decernere quo ad alias non expressas.*
Et nullus esset processus.
Nec sanaretur de consensu partium.

67 *Delegatus citat nulliter, postquam pronunciauit se non habere iurisdictionem.*
Nec illam potest de consensu partium reasumere.

68 *Delegatus nulliter decernit citationem, quando eius iurisdictio expirauit.*
Vel per mortẽ vnius ex pluribus delegatis.
Vel per mortem delegantis,

69 *Delegata iurisdictio perpetuatur, si delegatus decreuit citationem ante mortem delegantis, licet non fuerit executa per nuncium; nisi post mortem.*

70 *Delegatus potest citare, etiamsi in commissione non sit apposita facultas citandi.*

71 *Delegatus in curia, non potest citare extra curiam, quando in cõmissione expressè datur facultas citandi in curia.*

72 *Delegatus extra curiam non potest decernere citationem vltra duas dietas, nisi addatur clausula, dummodò non vltra tres.*
Secùs in delegato in curia.
Cap nonnulli, de rescript. non habere locum in curia, sentiũt Doct.

73 *Delegata iurisdictio per citationem in vna causa factam viuente delegante non perpetuatur quoad alias.*
Sed mortuo mandante expirat iurisdictio, quoad eas, pro quibus citatio facta non fuit.

74 *Delegata iurisdictio non perpetuatur quo ad res declarãdas, vel alias personas citandas, si declaratio, vel citatio non sit facta ante mortem delegantis.*

75 *Delegata iurisdictio expirat, quando delegans deponitur. Secùs autem quando excommunicatur.*

76 *Delegata iurisdictio ad tempus expirat finito tempore, nisi consensu partium prorogetur.*

77 *Delegata iurisdictio expirat, quando per delegantem remouetur delegans, & alter subrogatur.*

78 *Delegata iurisdictio expirat, quando delegatus vti suspectus recusatur.*

79 *Delegata iurisdictio expirat per mortem delegati, quando delegatio non est facta dignitati; quia tunc transit ad successorem.*

80 *Delegata iurisdictio expirat per diffinitiuam sententiam executioni demandatam.*

81 *Delegatus potest per se suam sententiam exequi, quando ad eius mandatum Iudex ordinarius non vult, aut alijs resistentibus, non potest exequi.*

82 *Delegatus à Papa potest suã sententiam exequi, vsque ad integrum annum.*

83 *Delegata iurisdictio expirat, quando formam in rescripto datam delegatus non seruauit.*
Citatio decreta, non seruata forma rescripti, est nulla. Item, quando fuit decreta ante præsentationem rescripti.

84 *Iurisdictio est apud quemlibet in solidum, quando plures sunt Domini, vtputà vnius comitis plures sunt filij, vel hæredes.*

85 *Iurisdictio est indiuisibilis. Sed eius exercitium diuidi potest per loca, & tempora.*

86 *Citatio decreta per comitem de tempore, quo non habet exercitium iurisdictionis, est nulla.*

87 *Vicarij per Episcopum si sint plures constituti, in diuersis tamen locis, & causis; tunc vnus non citat in causis alterius: secùs si sint constituti simpliciter, absque diuisione locorum, vel causarum.*

88 *Capitulum mortuo Episcopo succedit in iurisdictione spirituali, & temporali.*
Capitulum sede vacante, de iure communi potest per se iuris-

iurisdictionem exercere.
Vtilius tamen est, vt constituat Vicarium.
90 *Capitulum de iure communi sede vacante potest cōstituere plures Vicarios.*
Sed ex dispositione Conc. Trid. debet vnum deputare, plures autem non.
91 *Capitulum sede vacante non potest conferre beneficia spectantia ad collationem Episcopi.*
Potest tamen facere concursum de parochialibus, iuxta formam Constitutionis Pij Quinti.
92 *Cōcursum facere iurisdictionis est.*
93 *Capitulum sede vacante, si constituit plures Vicarios, & illi fecerunt concursum, nulliter factus censetur.*
94 *Cōmunis error facit ius tunc, quando causam habet ab habente iurisdictionem.*
95 *Vicarij duo vbi essent ex legitima consuetudine constituti, si vnus proposuit edictum pro concursu coram se, mentione alterius non facta, si alter facit concursū, nullus est ex defectu citationis, seu edicti.*
96 *Iudex pedaneus potest citationem decernere; quia habet iurisdictionem.*
Item & delegatus ab inferiore.
Per Nuncium, siuè per Epistolam.
Non tamen per edictum.
97 *Arbiter non potest citare, sed intimare, & requirere partes, vti carens iurisdictione. Sed si arbitri sint electi necessitate iuris, vel statuti, omnes debent citationem committere.*
98 *Par non potest parem citare.*
99 *Citationes, quæ fiunt Canonicis pro electione, sunt propriè denunciationes.*
100 *Iurisdictionis quasi possessio probatur ex citationibus effectuatis per comparitionem, aliàs non.*
101 *Decisio 36. part. 6. diuersor. declaratur.*
102 *Citationes, quæ emanant in principio iudicij, possunt fieri extra territorium.*
Intellige verum de solis citationibus extraiudicialibus, non autem de iudicialibus.
103 *Citatio, quando decernitur in cōtradictorio partium, requirit causæ cognitionem.*
Et etiam est actus iudicialis.

Sed quando fit in absentia partis est actus extraiudicialis, & tunc etiam aliqualis causæ cognitio requiritur.

104 *Citationes, quæ fiunt in principio iudicij possunt esse iudiciales, & extraiudiciales.*

105 *Citatio parte absente decernitur à Iudice extra tribunal.*

106 *Extra territorium primæ citationes quando fieri possint.*

107 *Delegatus non habet territorium, sed potest procedere in toto territorio delegantis. In eo tamen, quod id possit fieri sine incommodo partiũ, vel vbi partes consentiant.*

108 *Ordinarius habet suum territorium, & illius fines excedere nequit.*

100 *Executor merus non habet iurisdictionem, neque territorium.*

Et non citat, sed intimat; denunciat, seù requirit.

110 *Locus citationis vbi est decreta non attenditur, sed locus ad quem.*

111 *Citationem extra territoriũ Iudex existens potest decernere contra suum subditum exequendam in suo territorio.*

112 *Nuncius, si reperitur in alterius territorio, potest exequi citationem ad comparendum in territorio sui Iudicis.*

113 *Citationem exequendam in alieno territorio Iudex decernere nõ potest sine licentia Iudicis illius territorij.*

114 *Citatio realis fieri nequit extra territorium.*

115 *Citatio verbalis fieri non potest extra territorium.*

Limitatur decem modis, quos vide.

116 *Nuncius si citat aliquem extra territorium, non præsumitur executio facta de mandato Iudicis.*

Commissio generalis citandi non potest extendi vltra territorium mandantis.

117 *Iudex loci contractus, seù delicti, an possit citare extra territorium existẽtem. distingue, & limita duobus modis.*

118 *Executio citationis realis nõ potest fieri extra territorium citantis.*

119 *Executio citationis verbalis, an possit fieri extra territorium.*

120 *Præconis missio est quodam signum iurisdictionis, & non potest fieri in territorio alieno.*

121 *Iudex ratione domicilij potest citare existentem in alieno territorio.*

122 *Iudex ratione delicti, vel con-*

contractus in alieno territorio, quod non est eiusdem iurisdictionis vniuersalis, non potest citare.

123 *Imperator non potest citare in terris de temporali iurisdictione Ecclesiæ.*

124 *Papa potest citare in terris Imperij.*

125 *Iudex ratione delicti, vel contractus in territorio alieno, quando vtrunque subest eidem imperio, potest citare ad finem adstringendi bona.*

Et ad finem adstringendi personam, propter cõtumaciam, & ad finem excommunicandi contumacem; secùs autem ad finem & effectum puniendi proprium delictum.

126 *Citatio ad effectum imponendi pœnam afflictiuam potest notificari in alieno territorio.*

Quando illa pœna imponitur à iure communi.

Item quando sententia habet executionem paratam; secùs si requirit hominis executionem.

127 *Excommunicatio trahit secum executionem, quæ transit inuisibiliter.*

128 *Executio sententiæ quando debet fieri actualiter, nõ potest fieri in alieno territorio, quia turbaretur iurisdictio alterius*

Secùs quando non debet fieri actualiter prout executio sententiæ excommunicationis.

129 *Episcopus an possit excommunicare extra diœcesim distingue.*

130 *Episcopus si fecit statutũ, vt fur excõmunicetur, non ligat furantem extra Diœcesim.*

131 *Episcopus potest delinquentem in sua Diœcesi excommunicare existentem in aliena Diœcesi, si ante fugam illum citauit.*

Aliàs debet requirere Episcopum Diœcesis loci vbi citandus reperitur, vt eum citet.

132 *Episcopus in aliena Diœcesi existens potest excommunicare suum subditum, si procedit extraiudicialiter per modũ voluntariæ iurisdictionis, secùs si per modum contentiosæ iurisdictionis.*

133 *Excommunicatio, an possit incurri absque citatione, distingue.*

Quod ad effectum, vt separetur à Deo, citatio non requiritur; secùs ad effectum, vt separetur ab Ecclesia, & communione fidelium, quia requiritur declaratoria, & causa cognitio.

134 *Excõmunicationis sententia lata sine citatione tenet.*

135 *Declaratoria incursus excõmunicationis sine citatione est nulla, nec sufficit factum notorium; nisi tale sit, vt excusari non possit.*

136 *Absolutoria ab excommunicatione fieri nequit sine citatione, quando fuit excommunicatio lata ad fauorem partis, & iudicialiter; secùs si non ad fauorem partis, & extraiudicialiter.*

137 *Absolutus ab excommunicatione absque partis citatione valet, sed parti pro suo interesse debet satisfieri.*

138 *Reductio in excõmunicationem potest fieri sine citatione partis, quando excommunicatio processit à Canone.*
Secùs si ab homine.
Quia tunc requiritur citatio; non tamen personalis.

139 *Citationes, quæ exigant causæ cognitionem, & sine decreto Iudicis fieri nequeant.*

140 *Citatio sub pœna excommunicationis requirit causæ cognitionem, & speciale decretum.*
Excõmunicare nequeunt laici, nisi ex priuilegio.
Excommunicãdi facultatem Iudices inferiores nequeunt laicis committere.

141 *Excommunicatio est ipso iure nulla, quando quis citatur à non suo Iudice.*
Nisi in citatione exprimeretur causa, ex qua sit Iudex.

142 *Excommunicationis sententia ferenda non est, quando prauideretur inutilem fore.*

143 *Citatio ad totam causam requirit causæ cognitionem, & commissionem Iudicis.*

144 *Intimatio cessionis fieri debet debitori cum authoritate Iudicis, aliàs nihil operatur.*

145 *Citatio ad totam causam ad effectum contumaciæ requirit causæ cognitionem; & debet fieri cum peremptorio, vel cũ comminatione.*

146 *Citatio sub pœna pecuniaria requirit causæ cognitionem, & fit potius ad terrorem.*

147 *Citatio ad comparendũ personaliter non potest decerni, nisi ex iuxta causa.*
Et è conuerso non potest quis arctari ad comparendum per procuratorem, quando expedit magis per se comparere. aliàs tenetur mittere procuratorem.

148 *Citari ad comparendum personaliter non potest persona illustris. Item nec mulier.*

149 *Citatus ad comparendum in ciuilibus intelligitur, vel per se, vel per procuratorem.*

Ci-

150 *Citatus ad respondendum positionibus potest cōparere, & respondere etiam per procuratorem, cum speciali tamen mandato ad respondendum, sic & sic.*
Idem de citato ad cōparendū, & iurandum de calumnia.

151 *In criminalibus citatus ad cōparendum debet personaliter comparere, si veniat imponēda pœna corporalis.*
Secùs si pœna relegationis, vel priuationis officij.
Item secùs si agatur ciuiliter pro interesse.
In casibus, in quibus, in criminalibus, potest admitti procurator, potest nihilominus Iudex ex causa citare ad personaliter comparendum.

152 *Procurator in rem propriam, an sufficiat, quod ipse compareat, an verò debeat cedens cogi ad personaliter comparendum.*

153 *Coniunctus citatus ad præstādum consensum requisitum ex forma statuti in contractibus, an debeat per se cōparere.*

154 *Vniuersitas, Capitulū, seù Collegium non potest citari ad personaliter comparendum.*
Sed sufficit, vt cōpareat Syndicus.

155 *Papa, Imperator, & Princeps possunt ad libitum citare, vt quis compareat personaliter, ad locum tamen tutum, aliàs secùs. Et eandem facultatem ita citandi alteri concedere possunt.*

156 *In extraiudicialibus potest quis citare ad personaliter cōparendum: exempla vide.*

157 *Citatus ad personaliter comparendum si non vult venire, potest capi.*
Etiam in domo, si neget venire in contemptum, vel si fuit citatus sub pœna Fisco applicanda.

158 *Citatio quādo fit ad personaliter comparendum debet exprimi facultas, & causa.*
Et ita obseruat Rom. Curia.

159 *Captura requirit causæ cognitionem, & decretū Iudicis, nisi periculū esset in mora.*

160 *Ordo est ordinē nō seruare, vbi adest periculum in mora.*

161 *Citatio eius, qui in ius vocari non potest sine venia, requirit motū Iudicis, & commissionem.*

162 *In decernenda forma citandi personaliter, vel domi, vel per edictum, seù per proclama, requiritur causæ cognitio.*

163 *Citationes, quæ nō exigāt causæ cognitionē, & fieri possint absque speciali commissione.*

Ci-

164 *Citatio facta semel de commissione Iudicis, sed nulliter, potest reiterari absque alia commissione.*

165 *Citatio simplex ad comparendum, non requirit causæ cognitionem, nec Iudicis commissionem.*

166 *Citationes, quæ fiunt post cœptum iudicium ad effectum probandi, & seruandi telam iudiciariam, fiunt in vim generalis commissionis per nuncios.*

167 *Citationes etiam primæ, quãdo citandus propè est, & agitur de modico præiudicio, fiũt in vim generalis commissionis.*
Nisi esset illustris persona.

168 *Citationes, quæ fiunt in iudicijs, quibus proceditur summariè, fieri possunt absque Iudicis decreto, quando sunt iuris ciuilis.*
Solemnitas præcedentis cõmissionis citationis est de iure ciuili, & ideò tolli potest.

169 *Decretum citationis, an præsumatur.*

170 *Commissio de examinandis testibus facta notario debet probari ex actis, nisi stylus sit in contrarium.*

171 *Commissio Iudicis facta nuncio de citando de iure debet apparere in actis.*

172 *Commissio citationis an probetur ex sola relatione, & enunciatione in actis facta per Nuncium est quæstio controuersa, quam author examinat.*

173 *Cap. quoniam contra, de probation. intelligitur quod Citatio debet scribi in actis, sed non commissio citandi.*

174 *Commissio citandi non est de actis litis.*

175 *Nuncij officium non est circa hoc, vt dicat Iudicem sibi cõmisisse, & ideò illi non creditur.*

176 *Asserenti habuisse mãdatum non creditur, nisi probet.*
Fallit in persona publica, & in spectantibus ad eius officium.

177 *Mandatum nũquã præsumitur, etiam per cursum mille annorum, fallit quando est enunciatum, & concurrunt coniecturæ.*

178 *Solemnitas extrinseca non præsumitur, & quæ sit.*
Solemnitas intrinseca præsumitur, & quæ sit.

179 *Solemnitas extrinseca quando est modici præiudicij verisimiliter potuit adhiberi.*

180 *Extremis probatis media non præsumuntur, quando sunt de so-*

ſolemnitate, niſi ſolemnitas ſit modici præiudicij,& veriſimilis.

181 *Nuncio referenti apud acta citaſſe de mãdato Iudicis videtur credendum, tanquam in pertinentibus ad eius officium.*

Sed contra, quia citationem committere pertinet ad Iudicem.

182 *Nuncio creditur in connexis ſuo officio.*

Sed committere citationem negatur eſſe de connexis officio Nuncij.

183 *De conſuetudine commiſsiones citationum nõ ſcribuntur in actis.*

Sed huiuſmodi conſuetudo eſſet probanda.

184 *Decretum citationis de iure communi non præſumitur.*

De conſuetudine præſumitur in ciuilibus, non autem in criminalibus.

185 *Probationes ſunt iuris gentium, & eas Iudex nõ poteſt alterare.*

186 *Decretum citationis in ſcriptis probatur ex eiſdem litteris citatorijs.*

187 *Commiſsionis vigore citatio obtenta per actorem inducit litem, quoad illum etiam ante eius executionem, & ad effectum attentatorum.*

Monitoriũ obtenens ab A.C. etiam ante eius executionem non poteſt poſteà obtinere cõmiſſionem in Rota, quia eſſet attentata.

188 *Decretum citationis verbalis non præſumitur, quando ea fieri non poteſt ſine cauſæ cognitione, niſi coniecturæ eſſent vrgentes.*

Vtputà ſi Iudex mandaret procedi ad vlteriora.

Si pars comparuiſſet. &

Si à ſententia non appellaſſet.

189 *Ex conſuetudine, ſeù ſtylo decretum præſumitur, quando citationes fieri poſsunt ſine cauſæ cognitione,& talis conſuetudo, ſeù ſtylus poteſt probari ex inſpectione proceſsuũ.*

190 *De ſtylo Rotæ creditur Nuncio referenti citaſſe de mãdato Iudicis.*

Et idem de Notario atteſtantĩ de ſua deputatione.

DECRETVM CITATIOnis an fiat in ſcriptis, vel ſine ſcriptis & an, & quando expiret.

191 *Citatio decerni debet in ſcriptis, ita ut ex actis conſtet.*

Sine ſcriptis autem committi poteſt, quando ex conſuetudine præſumitur decretum.

De-

DE-

DECRETVM CITAtionis, quando sit nullum.

212 *Decretum citationis est nullum ex parte Iudicis, quando non habet iurisdictionem, eiusue exercitium.*
Vtputà si decernit citationem tempore feriarum, vel ante præsentationem rescripti, si esset delegatus; vel quando non est cõpetens inter partes.

213 *Decretum citationis est nullum, quando qui decernit est incompetens ratione territorij.*

214 *Decretum citationis est nullũ, quando Iudex est incompetens ratione fori.*

215 *Decretum citationis est nullum, quando Iudex est incõpetens ratione exemptionis.*

216 *Decretum citationis esse potest nullũ ex defectu propriæ personæ Iudicis, vt si esset de prohibitis dari in Iudicem.*

217 *Decretum citationis potest esse nullum ex defectu causæ citandi, vel quia non esset legitima, vel incerta, & obscura, vel erronea, & iniusta esset.*

218 *Præsumitur pro citatione, quod sit iusta, si emanat à Principe, secùs si ab inferiore, etiam circumspecto.*

219 *Præsumitur pro persona qualificata; sed non in præiudicium tertij.*

220 *Decretum citationis potest esse nullum ex parte citandi, quando vel eius nomen non esset benè specificatum.*
Vel esset de prohibitis citari.
Vel esset impeditus tempore, carcere, vel infirmitate, vel officio publico.

221 *Decretum citationis potest esse nullum ex parte instantis, aut propter impedimentum iuris, vt quia sit pupillus, vel minor.*
Vel periurus,
Vel publicè excõmunicatus.
Aut propter impedimentum facti.
Vt quia non habet interesse.
Vel si instet vti cessionarius, tutor, vel procurator, non docet se esse talem.

222 *Decretum citationis potest etiam esse nullum.*
Ratione loci non tuti.

223 *Item ratione temporis feriati.*

224 *Item ratione termini incongrui.*

225 *Item ratione formæ, ordinisue iuris non seruati.*

226 *A decreto citationis nullo non est necesse appellare; sed vtile.*
Appellans à decreto nullo non dicitur illud approbare.

Ordo

227 *Ordo iuris in citando est, vt Primo in personam.*
Secundo, ea non reperta, domi.
Tertio, vt non habens domicilium citetur in locis publicis.

228 *Ordinem hunc Iudex peruertens suspectus sit, vel de malitia, vel de calumnia; & processus non valet.*

229 *Personalis citatio debet decerni in principio, seù in introductione causæ.*
Nedum in ciuilibus; sed etiã in criminalibus.

230 *Bannum, non seruato hoc ordine, an sit nullum.*

231 *Iudex criminalis si habet facultatem à Principe procedẽdi absque citatione personali; processus valet.*

232 *Gubernator Vrbis, an, & quando habeat facultatem procedendi cum sola citatione ad domum.*

233 *Omisso ordine iuris, Princeps potest citare per edictum illũ, qui nũquam personaliter fuit citatus.*

234 *Personalis citatio requiritur etiam in medio iudicij, quando agitur de actu valdè præiudiciali illi, qui nunquam fuit personaliter citatus.*

235 *Citatio ad videndum iurare testes, debet fieri personaliter, non autem domi.*
Fallit, quando quis semel fuit citatus personaliter ad causam, & posteà vel non reperitur, vel difficulter citari potest.

236 *Citatio personalis debet fieri in medio litis, quando ita citari mandat Iudex, etiam si aliàs idem fuisset personaliter citatus.*

237 *Personalis citatio requiritur etiam in fine iudicij, quando nec in principio, nec in medio fuit facta, vel non cõparuit; maximè si de tempore sententiæ reperiretur.*

238 *Personaliter ad sententiam debet citari, qui reperiri potest.*

239 *Stylo potest induci, vt ad sententiam sufficiat citatio domi.*

240 *Personaliter is, qui debet citari, non sufficit si domi citetur; nisi fuerit facta perquisitio personæ.*

241 *Personalis citatio nõ requiritur, quando statutum contra forenses, & alibi degentes admitteret citationem per edictum.*

242 *Forma citandi per statutum tradita debet seruari; aliàs actus est nullus.*

Nec

Nec attenditur ius commune.

243 *Alternatiua, quod quis citetur vel ad faciem, vel ad domum, contra dispositionem iuris communis, est alternatiua ordinis, non autem electionis.*

244 *Statutum disponens idem, quod ius commune, vt quis citetur vel in personam, vel ad domum, an alternatiua sit ordinis, an autem electionis.*

Et an statutum debeat intelligi secundum ius cõmune, an verò, vt illi aliquid addat, latè disputatur; vide.

245 *Interpretatio vel est correctiua, restrictiua, ampliatiua, vel declaratiua.*

246 *Correctio non inducitur, nisi in eo, quod expressum sit.*

247 *Dubia res vbi est, standum est verbis legis.*

248 *Statutum disponens idem, quod ius commune debet secundum ius commune interpretari.*

249 *Statutum disponens idem, quod ius commune satis dicitur operari, tanquam emanatum ad excludendam iuris communis ignorantiam, vel ad tollendam eius ambiguitatem.*

250 *Statutum cõforme iuri communi, censetur ius commune, & attenditur tanquam lex, non tanquam statutum. Et tunc plus solet timeri. An autem sublata lege censeatur sublatum statutum, remissiuè.*

251 *Statutum, quod debeat intelligi, vt aliquid addat iuri communi, est verum, nisi ita intelligendo quis indebitè dãnum pateretur.*

252 *Statutum semper debet intelligi, vt reddatur rationabile.*

Malitia in citando excludenda est.

253 *Author in proposita quæstione distinguendo, concludit.*

254 *Statutum quando admittit citationem domi, ea tamen non operatur effectus citationis personalis, vt censeatur contumax verus.*

255 *Contumax fictus appellat à die intimationis sententiæ. Etiam si procurator habuisset notitiam citationis ad sententiam, protestando.*

Quia non infertur, quod sciuerit sententiam fuisse latam.

256 *Personaliter qui non fuit interpellatus, seù citatus, non constituitur in mora.*

Nec

Nec censetur verus contumax.
Nec iure suo priuari potest.
257 *Priuandus suo beneficio ob non promotionem intra annũ, debet personaliter citari.*
258 *Priuandus beneficio ob non residentiam, præsens personaliter, absens per edictum debet citari, & expectari per sex menses.*
Idem de vassallo feudo priuandus.
259 *Excommunicari nequit qui personaliter non est citatus, & competenter admonitus,*
Fallit quando pro eo comparuisset procurator cũ speciali mandato.
Item quando ad eum non pateret tutus accessus, attestante nuncio.
Item quando dolosè latitaret, & subterfugeret citationem.
260 *Excommunicatus, & malè absolutus, quando agitur de eo reducendo in excommunicationem, nõ requiritur citatio personalis.*
261 *Excõmunicatio, quando imponitur pro sola contumacia, quando valeat sine citatione.*
262 *Alternatiua est ordinis non electionis, quãdo Iudex mãdat aliquem citari vel in personam, vel ad domum.*
263 *Perquisitio personæ citãdę præmitti debet antequã domi citetur, aliàs processus est nullus.*
264 *Citatio debet esse certa respectu personæ citandæ.*
265 *Nũcius quomodo debeat habere notam personam citandam.*
266 *Persona quando est certa, citatio debet fieri nominatim.*
& certa vbi non est persona citãda debet fieri diligentia, vt certificetur.
Specificãdæ sunt personæ in citatione.

PERQVISITIO PERSONÆ vbi fieri debeat.

267 *Forũ quis sortitur in loco originis, ciuilitatis, contractus, destinatæ solutionis, & domicilij, & rei gestæ, & delicti.*
268 *In loco originis propriæ, vel paternæ, non potest quis conueniri nisi ibi reperiatur.*
269 *In loco ciuilitatis conueniri potest, si ibi inueniatur, alias non.*
270 *In loco contractus non potest conueniri nisi ibi inueniatur.*
271 *Idem in loco quasi cõtractus.*
272 *In loco destinatæ solutionis potest quis conueniri, siue ibi reperiatur, siue non.*

Per-

273 *Perquiſitio perſonæ debet fieri vel in loco domicilij, vel in alio loco, vbi notum eſt illum reperiri.*

274 *Qui promiſit certo loco ſe ſoluturum, poteſt ibi, vel in loco domicilij, vel in alio vbi reperitur, conueniri.*
Et quando non ſatisfecit in loco deſtinatæ ſolutionis, intrat actio arbitraria pro intereſſe.

275 *Perquiſitio eius, qui eſt obligatus in forma Cameræ, quādo conuenitur coram A.C. non eſt facienda.*
Citationes A.C. fiunt domi.
Secùs quando agitur pro cenſuris.
Et tunc diligentiæ fiunt in loco deſtinatæ ſolutionis.
Et etiam in Curia, quando ſolutio in Curia fieri debet.
Quando ſolutio eſt facienda extra Curiam, quomodo relaxentur cenſuræ.

276 *Citatio contra obligatum in forma Cameræ ſatis eſt, quod fiat in loco deſtinatæ ſolutionis, abſque eo, quod fiat in loco domicilij.*
Qui promiſit certa die, & certo loco ſoluere, ſi ibi nō venerit, cenſetur contumax, & abeſſe doloſè.
Maxime ſi promiſit cum iuramentò, & quando renunciauit foro.
Obligatio in forma Cam. continet iuramentum.
Et renunciationem fori.

277 *Obligatus ſoluere certo loco, ſi alibi conueniatur; tamen conſuetudo loci deſtinatæ ſolutionis debet attendi, non autem loci iudicij.*

278 *In loco deſtinato ſolutioni non poteſt debitor cōueniri, vt alibi ſoluat. Fallit ſi iuſta cauſa ſuadeat.*

279 *Bannitus à loco deſtinatæ ſolutionis an poſſit cogere ſuum debitorem, vt alibi ſoluat.*

280 *Loca plura ſolutionis, ſi ſunt deſtinata copulatiuè, rata ſoluenda eſt quolibet loco.*
Si indefinitè, tunc totum in vno loco ſoluendum eſt.
Si alternatiuè, totum debetur vno loco.
Electio autem eſt creditoris, vbi petat, & debitoris vbi ſoluat.

281 *Perquiſitio perſonæ, vbi ſunt deſtinata plura loca ſolutionis, & inter alia locus domicilij, debet fieri in loco domicilij, tanquam principaliori.*
Et ſi inter plura loca non eſt deſtinata ſolutio in loco domicilij, ſed Romæ: ibi debe-

ret persona perquisitio fieri.

282 *In loco domicilij quis potest conueniri, & ibi persona debitoris debet perquiri.*

283 *Iudex domicilij semper est competens.*

284 *Perquisitio debet fieri nedum in ciuitate, sed etiam extra Ciuitatem, & in eo loco vbi notum est illum commorari.*

285 *Et etiam in quolibet domicilio, si plura haberet.*
Nisi magis assiduè in vno, quàm in alio conuersetur.
Et in quo pro maiori parte soleret habitare.

286 *Domicilium si debitor mutauit, ibi est perquirendus, si sit certum, & locus sit tutus.*

287 *Promittens soluere ad domũ creditoris non tenetur ire ad nouam habitationem, si vltra quã prius grauaretur.*

288 *Animus mutandi domiciliũ ex quibus cognoscatur remissiuè.*

289 *In loco rei sita potest quis cõueniri, & ibi, & etiam in loco domicilij perquirenda est persona.*

290 *Citatus quando non habet propriam habitationem, & agitur de prædio, citatio potest in illo affigi.*

291 *In loco gesta administrationis, quando quis conuenitur, ibi perquirenda est persona, vel in loco domicilij, vel vbi reperiri potest.*

292 *Ratio administrationis reddi debet vbi gesta est.*
In loco delicti, vel domicilij perquirenda est persona, quãdo personaliter citari debet.

293 *Personalis citatio in criminalibus de consuetudine non requiritur; sed sufficit ad domum.*

294 *Præsens in Ciuitate si personaliter est citandus, debet eius persona perquiri in ciuitate, in suburbijs, & etiam in comitatu.*
Et vbi solet commorari siuè sit castrum, vel vicus.

295 *Absens à ciuitate quãdo personaliter est citandus, si certum est vbi sit, ibi debet perquiri.*

296 *At si nescitur, perquiri debet in prouincia, vel satis est, vt Iudex mittat Nuncium ad domum, ad se informandum.*

297 *Nuncius quomodo ad domũ debet facere diligentiam de perquirendo eum, quem debet personaliter citare.*

PER-

PERQVISITIO PROcuratoris, quando fieri debeat.

298 *Procurator quando certus est, debet perquiri.*

299 *Si non est certus procurator constitutus, debet principalis citari ad domum, secundum opinionem Bar.*

Sed debet fieri perquisitio secundum opinionem Imolæ.

Et author amplectitur, & latè comprobat opinionem Bar. ponderando plures text. vide.

DE DECRETO CITAtionis ad domum.

300 *Latitans domi ad domum sufficit vt citetur.*

301 *Latitans extra domum satis est, vt ad domum citetur.*

302 *Latitans in Ecclesia capi non potest, tamen verbaliter per Nuncium in Ecclesia citari potest.*

303 *Clerici, vt citentur in eorum Ecclesijs, & in Cathedrali iure canonico dispositum est.*

304 *Clerici sæculares possunt habere plura domicilia.*

305 *Clericus habens particulare domicilium in eo est requirendus, & citandus.*

306 *Clericus in loco iudicij non habens domum particularē, sed beneficium non requirens residentiam, citandus est in Ecclesia cathedrali, & etiam in eodem beneficio.*

Et si alibi habeat domicilium, ibi debet perquiri, dommodò non sit in remotis.

307 *Clericus habens beneficium residentiæ ibi debet citari.*

Et eiusdem loci censetur ciuis.

308 *Domicilium clerici in loco residentiæ, est ad instar domicilij vxoris in domo mariti.*

309 *Clericus in domicilio residentiæ sufficit vt citetur absque alia citatione in Cathedrali.*

310 *Clericus habens duo beneficia residentiæ, & in vno seruiat per se, & in alio per Vicariū, debet citari vbi residet per se.*

311 *Clericus habens beneficium residentiæ in vno loco, & in alio domicilium, & patrimonium debet citari in loco residentiæ si agatur de re Ecclesiæ.*

Sed si de alia re, debet citari in loco domicilij, si ibi existat.

312 *Parrochus ratione residentiæ debet in parrochiali citari.*

etiam si esset intrusus : dummodò de tẽpore citationis constaret de intrusione.

313 *Super parochia quando litigatur, sufficit citatio in ea. Et si Iudex mandaret citari etiam in alia parochiali viciniori sufficeret facta in cathedrali.*

314 *Parochus pacificus possessor absens satis est, vt citetur in eadem Ecclesia, & in Cathedrali, propter præsumptam scientiam, etiam si resideret per Vicarium.*

315 *Canonicus personaliter citandus, si non reperiatur, sufficit quod citetur in domo solitæ habitationis, & ad valuas Ecclesiæ Cathedralis.*

316 *Citatio, quæ debet fieri ad valuas Ecclesiæ Cathedralis non sufficit facta ad valuas Palatij.*

317 *Regularis non alibi quærendus, citandusue est, quàm in suo Monasterio.*

318 *Monachus non habet domicilium, nisi in Monasterio vbi degit.*
Intellige, quo ad incommoda, secùs quo ad commoda. Non enim desinit esse ciuis, maximè quo ad successionem.

319 *Monachi non possunt citari, sed solùm eorum Prælati, & Superiores.*

320 *Carceratus in carcere secreto citari non potest.*

321 *Carceratus existens in publico carcere potest vel ibi, vel domi solitæ habitationis citari, nisi citandus esset personaliter, quia esset citandus ad faciem, & in eodem carcere publico.*

322 *Bannitus pro vno delicto potest pro alio citari.*

323 *Expulsi à Ciuitate, an sint vocandi, quãdo agitur de nouo statuto condendo.*

324 *Bannitus an pro debito ciuili possit citari: distingue. Confiscatis enim omnibus bonis non potest conueniri; secùs si aliquibus.*

325 *Relegatus domicilium habere potest in loco suæ relegationis, & ibi debet citari.*

326 *Bannitus ab vno loco, si habeat certam habitationem in alio, ibi perquiri, & citari debet.*
Sed si retineret familiã in loco banni, ibi posset citari.

327 *Bannitus non habens familiam, neque habitationem in certo loco, debet citari, tanquam vagabundus, vbi reperitur.*

Sed

Sed si nullibi reperitur, debet perquiri, & citari, vel in loco delicti, vel contractus, vel destinatæ solutionis, vel in loco vbi magis consueuit conuersari.

Et etiam requirendi sunt amici, & agnati, vt eum defendant.

328 *Latitans, & solo dolo impediens se citari nō habetur pro personaliter citato; nisi etiam domi, post perquisitionem factam, citetur.*

329 *Executoriales sufficit domi intimare, quādo intimandus dolosè latitat.*

330 *Impediens se citari adhibita violentia per se, vel per alium, habetur pro personaliter citato, absque alia citatione domi.*

331 *Nuncius si citat apparentem in fenestra, licet recedat, habetur tamen pro legitimè citato.*

332 *Impedientes executiones citationum Romanæ Curiæ, in quas pœnas incidant.*

333 *Nuncio creditur, quod citandus non reperiatur, vel latitet, vel impediat se citari.*

334 *Impedimentum præstitum nuncio ne faceret suā relationem formalē, probatur per iura minus sufficiētia, ac etiam per testes minus idoneos.*

Probationis difficultate stante adhibetur fides iuribus, & testibus, quibus aliàs non adhiberetur.

335 *Nuncius expedire non potest sine decreto Iudicis ea, quæ exigunt aliquam causæ cognitionem.*

336 *Nuncio solet ab initio cōmitti, vt personaliter, si fieri possit, citet; sin autem domi solitæ habitationis.*

Qui facta perquisitione citat domi, & id exprimere debet in relatione.

Aliàs citatio non valeret, si obscurè referret citasse, prout habuit in mandatis.

CITATIO AD DOMVM an, & quando fieri possit sine perquisitione personæ.

337 *Primæ citationes de iure communi debent fieri ad faciem, & in subsidium ad domum.*

338 *Citationes successiuæ, quæ sunt magni præiudicij, fieri nequeunt ad domum; nisi in subsidium, siuè in medio, siuè in fine iudicij.*

339 *Citationes etiam magni præiudicij, quando valeant factæ ad*

ad domum, absque diligentia de reperiendo personam.

340 *Princeps potest tollere ordinem iudiciarium.*

341 *Princeps si rescribit cũ clausula manu regia, & simil. Iudex potest, omissa citatione personali citare domi.*

A. C. citationes exequuntur domi.

Qui modus citandi nõ omninò deuiat à iure communi.

342 *Citatio domi à principio de iure valet, quando causa requirit celerem expeditionem.*

Item in causis pijs, & in quibus de apicibus iuris non est disputandum.

343 *A.C. quando procedit ad censuras, debet adhibere citationem personalem.*

344 *Citatio domi valet, quando in commissione id fuisset petitum, & in signatura non cassatum.*

345 *Citatio domi valet ab initio, quãdo statutũ ita mandaret.*

346 *Citatio ab initio valet, quãdo talis est stylus præscriptus per decennium.*

347 *Citatio à principio domi valet vbi forensis elegit domicilium.*

348 *Citatio domi valet, quando prima citatio fuit facta personaliter.*

349 *Citatio domi valet, quando quis anteà etiam personaliter non citatus comparuit in iudicio.*

350 *Citatio domi fieri potest, quãdo fuit facta perquisitio personæ, & non fuit reperta.*

Etiam si non latitet, nec impediuerit se citari.

351 *Latitare an præsumatur ille, qui semel fuit in iudicio, si postea non appareat.*

352 *Iudex an, & quando debeat inuestigare vbi absens reperiatur.*

353 *Citatio domi fieri potest, quãdo agitur de damno dato.*

Item quando sunt examinandi testes, de quorum morte, vel diuturna absentia timetur.

354 *Citatio domi à principio valet in criminalibus.*

CITATIO IN QVA
domo fieri debeat.

355 *Citatio domi, quando de iure permittitur, intelligitur de domo habitationis, de tempore citationis.*

356 *Domi solitæ habitationis, quod sit facta citatio statur relationi Nuncij, nisi contrarium probetur.*

357 *Citatio facta ad domũ, quam citan-*

citandus non habitabat de tempore citationis, non valet.
Idem si eam de eo tempore non habitabat vxor, vel familia.
Etiam si ante tempus citationis moraretur.

358 *Habitare in aliqua domo, quando quis dicatur.*

359 *Habitationes duas, duoue domicilia, an possit quis insimul habere.*

360 *Præsens citari debet vbi habitat.*

361 *Absens citari debet in loco vltimæ habitationis.*

362 *Domus vltimæ habitationis qualis sit nuncius debet se informare.*

363 *Clem. causam de elect. quod quis debeat citari in loco, vbi anteà communiter consueuit habitare, quomodo intelligenda sit.*

364 *Lex libertus, §. præscriptio, ff. ad municipal. quod potior sit locus originis, quàm domicilij, quomodo intelligenda sit.*

365 *In domo habitationis de tempore citationis debet quis citari, etiam si non habitasset vltra tres dies.*

366 *An quis habitet in domo propria, vel aliena, differentia non est.*
Habitare quomodo sumatur.

367 *Coniugum alter quando est citandus non attenditur cuius sit domus, an vxoris, an mariti, dummodò ibi constet vnũ habitare.*
In ciuitate dicitur manere, qui in ea habet familiam.

368 *In Fundaco, seù Apotheca, an possit fieri citatio, controuersia est: vide.*
Surdi dicta declarantur.

369 *In Hospitio, seù Diuersorio & vbi paulisper quis hospitatur, non potest fieri citatio.*

370 *Ad vineam citatio facta, quando valeat.*

371 *In domo defuncti citatio facta contra hæredem, quando valeat.*

372 *In domicilio electo citatio debet fieri.*
Citatus in aliqua domo si cõparuit, censetur ibi elegisse domicilium.

373 *Domicilium non habens citari debet ad illud eligendum, aliàs parte non instante, per Iudicem non cogeretur.*

374 *Domicilium eligere quando quis recusat, quid Iudex agere debeat: vide.*

375 *Domicilium qui elegit in vna causa, an per alium, & in alia causa possit ibi citari: distingue.*

376 *Domicilium si quis elegit, & post ea abesse cœperit, non tamen potest citari per contradictas.*

377 *Distingue, quando domiciliũ eligens in vna causa, in eo posset citari in alia.*

378 *Domicilium, si citatus non elegit in termino citationis, decernitur processus per contradictas, & apud acta non est vlterius quærendum.*

379 *Termino elapso, qui elegit domicilium, debet intimare. Aliàs processus per contradictas validè fit.*

380 *In termino citationis debet fieri id, ad quod terminus requirit.*

381 *Intimatio facta in loco per partes conuento, an afficiat hæredes ignorantes.*

382 *Mors procuratoris in curia nõ est intimanda principali in partibus, sed contra eum proceditur per contradictas.*

383 *Scholaris potest citari in domo, quam habitat. Licet ibi non censeatur domicilium constituisse.*

384 *Vniuersitas, an possit citari ad eius domum. Et quando sufficiat citare rectores, vel Syndicũ; vide latè.*

385 *In domo procuratoris, an principalis posfit citari.*

386 CITARE PER EDICTUM quid sit.

387 *Per edictum citatio non fit, nisi in subsidium; aliàs daretur appellatio.*

388 *Citatio per edictum censetur famosa.*

389 *Citatio per edictũ intelligitur cõmissa iuxta formam iuris.*

390 *Absens, qui stat in loco propinquo, vel scitur vbi sit, non potest citari per edictum. Est enim citatio exorbitans, & rigorosa.*

391 *Personaliter citatus habet indubitatam notitiam.*

392 *Domi citatus habet notitiam præsumptam.*

393 *Edicto citatus habet solam notitiam verisimilem.*

394 *Edictum debet decerni, vt affigatur, non enim sufficit, vt legatur. Vox præconis paucis ĩnotescit.*

395 *Edictũ, quando affigitur, præsumptio est, quod debito tẽpore steterit, & non præsumitur sublatum.*

396 *Edictum si probaretur statim ablatum fuisse, citatio non haberetur pro legitima.*

397 *Edictum debet decerni cum termino competenti, aliàs non valeret.*

398 *Edictum debet habere specificatum nomen citati.*

Edi-

Pro-

418 *Proceſſus per contradictas nõ decernitur contra citatum cum conditione quatenus ſua putauerit intereſſe.*
Citatus quatenus ſua intereſſe putauerit, ſi comparet, poteſt contra actorem petere proceſſum per contradictas.

419 *Proceſſus per contradictas, an vitietur omiſſa, vel executa nulliter aliqua citatione: vide.*

420 *Contumax de iure non eſt vlterius citandus.*
Et ad ſui praeiudicium habetur pro praeſente.

421 *Citatus, qui dixit nolle venire, nihilominus vlterius eſt citandus.*
Quia poteſt pœnitere.
Ac perinde eſſet, ac ſi recuſaſſet iuriſdictionem niſi ſi & in quantum.

422 *Citatus reſpondens nolle contradicere, non cenſetur approbare actum per Iudicem gerendum.*
Denunciatio eſt ſtrictè interpretanda, vt minus praeiudicet, quàm poſſibile ſit.

423 *Contumax notoriè non eſt vlterius citandus, in eo ſcilicet ad quod fuit contumax, ſecùs in alio.*

424 *Contumax non cenſetur is, qui non comparuit; niſi eius contumacia fuerit accuſata.*

425 *Contumax debet citari, ſi ita pars velit.*

426 *Contra contumacem, de iure Iudex poteſt procedere, eo aliter non citato.*
Ex vrbanitate tamen poteſt eum expectare, etiam actore inuito.

427 *Iudex decernens aliquid contra contumacem, poteſt decernere cum intimatione, qua non facta corruit decretum.*

428 *Vt contumax citetur poteſt Iudex mandare ex vrbanitate.*

429 *Iudex quãdo declarauit nolle vti poteſtate procedendi ſine citatione contra cõtumacem, niſi citaretur, actus non valeret eo non citato.*

430 *Author putat eſſe verũ, quod Iudex poſſit ex vrbanitate mandare, vt contumax iterum citetur, tunc quando cõtumax poſſet facilè citari; aliàs ſecùs quando longè abeſſet.*

431 *Author pariter opinatur, quod proceſſus per contradictas in Romana Curia fiat ex vrbanitate; ſed non ad fauorem contumacis: vide rationes.*

432 *Probationes non ſunt de ſubſtantia Iudicij; ſed de iuſtitia, quibus ommiſſis ſententia*

non

non est nulla, sed iniusta.

433 *Dilationes siuè petitæ sint, siuè non, non sunt de substantia iudicij, sed de iustitia.*
Et possunt per Iudicem reuocari.

434 *Ex stylo Rotæ, ante publicationem sententiæ, omnes dilationes censentur reuocatæ, ad effectum validitatis sententiæ.*

435 *Citationis solemnitas est necessaria, vt actus, qui petitur fieri, deueniat ad notitiam citati, vt possit se defendere.*

436 *Citationes, quæ fiunt per contradictas, non possunt deuenire ad notitiam citati: & vide rationem.*

437 *Nullitas ex defectu citationis cessat, quando præcessit citatio ad totam causam: vide rationem.*

438 *Stylus potest inducere modũ, & formam citandi, qua non obseruata actus redditur nullus.*
Author hoc intelligit, verum quãdo stylus inducit formam citationis, quæ sit profutura: vide rationes.

439 *Iudex potest mandare, vt contumax iterum citetur, quando id commodè fieri potest.*

440 *Citationes, quæ fiunt per contradictas non sunt de substantia causæ; sed ad bene esse.*
Et fiunt potius de quadam vrbanitate, quàm de necessitate, & rigore iuris.
Et sunt potius declarationes primarum citationum, quàm propriè sint citationes.
Termini per contradictas non sunt necessariò seruandi.

441 *Decis. Crescentij 11. de dol. & cont. declaratur per authorem.*

442 *Per contradictas, quod termini substantiales sint seruandi, inualuit vsus.*

443 *Stylus fori sequendus est.*

444 *Decis. Bellam. 55. declaratur per authorem.*

445 *Rota modernis tẽporibus annullauit sententias, & decreta, latas, & facta per contradictas, ex quo citationes nulliter fuerunt facta: rationes vide.*

446 *Author autem est contrariæ opinionis, nempe quod processus factus per contradictas non possit sententiam, decretumue annullare: rationes vide.*

447 *Citatio, quando non est necessaria, non arctat, nec facit nullitatem.*

448 *Citationes per contradictas non sunt necessariæ, sed ad bene*

bene esse; & fiunt ex vrbanitate, & non sunt proprie citationes.

449 *Iudex ordinarius existētem in loco non tuti accessus, si causa agitur extra curiam, citat per edictum affigendum in loco publico intra limites suæ iurisdictionis.*

450 *In curia verò si causa agitur, decernitur edictum legendum in officio contradictarum, & affigendum in alijs locis publicis in curia.*

Et extra curiam in alijs duobus locis vicinis loco, vbi citandus degit.

451 *Citandi modus per edictum ob non tutum accessum, competit soli Papæ, & cui ipse committit.*

Et quæ sit ratio: vide.

452 *Iudex ordinarius extra suū territorium citare non potest.*

Et in suo territorio non potest considerari non tutus accessus.

Extra suum territorium non potest considerari non tutus accessus, sed defectus iurisdictionis.

453 *Papa solus potest citare per edictum ob non tutum non accessum: vide rationem.*

Et hanc facultatem non censetur alteri demandare, nisi expressè committat.

454 *Citandi modus per edictum ob non tutum accessum, est rigorosus.*

Et ideò non adhibetur, nisi contra illos, qui impediunt se citari, vel stant in loco, vbi non possunt tutè, liberèuè citari.

455 *Legatus de latere non potest citare eodem modo, quo Papa per edictum ob non tutum accessum.*

456 *Papa, quando concedit huiusmodi facultatem citandi per edictum, apponit clausulam constito summariè de non tuto accessu.*

457 *Clausula, constito summariè, & extraiudicialiter de non tuto accessu, debet iustificari per testes, absque citatione partis, non tamen sufficit sola Nuncij relatio, & requiruntur duo testes examinati separatim, & sufficiunt testes de credulitate.*

458 *Testes quando probent sine citatione partis examinati.*

459 *Clausula constito, quando non requirat partis citationem.*

460 *Extraiudicialiter procedens, quando possit citationem omittere.*

461 *Vnus testis nō sufficit, sed duo saltem requiruntur ad probādum non tutum accessum.*

Te-

462 *Testes debent separatim examinari, siue examen fiat iudicialiter, siue extraiudicialiter.*

463 *Non tutũ accessum, vt testes probent sufficit, vt dicant de credulitate.*

464 *Accessus non tutus quãdo cõsiderari possit ratione loci.*

465 *Et quãdo accessus nõ tutus possit cõsiderari ratione personæ.*

466 *Mulier quando est citanda, an possit allegari non tutus accessus.*

467 *Mulieris iratæ quanta sit audacia.*

468 *Testes singulares an, & quãdo probent.*

469 *Accessus non tutus probatus quo ad vnum, an sufficiat quo ad alios citandos vigore clausulæ, omnesque alios.*

470 *Citatio per edictũ, qua forma decernatur remissiuè.*

1 VT citatio valida sit quinque requiri videtur, videlicet Iudicis Decretũ, Instantia Partis, Nuncij Executio, eiusdemque Relatio, & citationis Reproductio, de quibus in hoc, & sequentibus capitibus sigillatim dicemus.

DE DECRETO Citationis.

2 Quia multi Doctores dicunt, quod ex generali consuetudine valet citatio sine Iudicis decreto: multi etiam ex practicis existimant huiusmodi decretum minimè necessarium esse, & recessisse ab Aula; sed isti multi multum errant. Ex his.n. quæ supra diximus in *cap.* 9. cõstat, quod vltra nomen Iudicis, partis citandæ, & partis instantis, debet etiam exprimi causa, locus, & tempus; quæ non solius executoris factum, sed Iudicis authoritatem exigunt, & decretum: & ex alijs superius dictis in *cap.* 8. certum est citationes domi, vel per edicta, vel ad totam causam, vel cum comminatione pęnarum fieri non posse; nisi per Iudicem, & ex causa decernantur: non erit igitur inutilis labor in hoc capite primo loco de citationis decreto loqui.

3 Citationem fieri non posse sine Iudicis commissione: *text. est in l. neminem, C. de exhiben reis*, ibi *neminem in Iuditio exhibendum esse pracipimus; nisi de cuius exhibitione Iudex pronunciauit*; qui loquitur de citatione reali, seu captura, & in criminalibus.

Et de citatione verbali, & in ciuilibus est *tex. in l. sed & hac*

hac lege, §. *Prætor ait*, *ff. de in ius voc.* ibi *Prætor ait in ius sine permissu meo, ne quis vocet*; & in §. *sed furti*, *instit. de act.* ibi *vsque quo iussu Magistratuum conueniatur*; & in *cap. ex parte* 12. *de rescr.* ibi *cũque authoritate prædictorum Iudicũ esset vocatus*.

4 Ex eo quod in *cap. quoniam contra. de probationibus*; dicitur citationes per actuarios deputatos esse describendas; dubitant ibi *Doct.* an sint describendæ citationes, idest relationes executorum, an verò præcepta, & decreta Iudicum de citando: & *Innoc. n.* 3. sentit illum *tex.* intelligi debere, vt scribatur citatio, idest responsio, seù relatio Nuncij; & si sit Nuncius priuatus, debet scribi etiam in actis littera Iudicis, per quam datur potestas citandi, quæ littera sufficit, quod sit sigillata sigillo Iudicis; quia non est de actis iudicij propriè; sed ante iudicium. At si esset Nuncius publicus, qui esset generaliter constitutus ad omnes citationes, dicit solam eius relationem esse scribendam.

5 Et *Angel. Aret. in d.* §. *sed furti, instit. de action.* refert quod quando ipse fuit assessor, statim prima vice, qua ius reddebat, concedebat generalem facultatem, & licentiam omnibus, & singulis Nuncijs, durante suo officio, faciendi quascunque citationes, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus: vndè secundum eum sine alia speciali commissione valebant citationes: *Arg. cap. qui ad agendum, de procur. in* 6. sed de dicto *Innoc.* nullam facit mentionem, quem tamen refert, & sequitur *Io. Andr. in d. cap. quoniam contra, nu.* 15. dicens relationes Nunciorum esse describendas; non autem præcepta Iudicum, propter eandem rationem *Innoc.*

Sed *Abbas ibidem num.* 10. *vers. quid ergo debet scribere Notarius*; dicit obseruari, vt non scribantur pręcepta de citando; sed malè, quia Nuncius non potest aliquem citare, nisi receperit specialem commissionem, & nõ sufficere generalem cõmissionem, qua fuit officium sibi commissum.

Dicta per *Innocent. vbi supra* reprobat *Bar. in d. l. neminem*, *C. de exhib. reis*, *nu.* 1. dicens, quod nulla potest fieri citatio realis, vel personalis; nisi Iudex hoc permiserit; quod est verum; sed quod tenet *Innoc.* sufficere, quod Nũcius

cius

cius sit generaliter cōstitutus, dicit idem *Bar.* non esse verum; quia ista generalis commissio nihil releuat; & in *l.1. C.de iure dom.impetr.idem Bar.* notat illam legem facere contra eos, qui faciunt concedi licentiam à Iudicibus nuncijs citandi omnes suos debitores, quod non valet; nisi exprimantur nomina debitorum.

Hanc *Bar.* rationem secutus *Iason. in d. §. sed furti*, seù in *§. omnes autem, in vers. quadrupli item num.15. instit. de act.* reprobat prædictam *Aretini* practicam, & dicit illum errasse quoties ita faciebat.

Notat *Bald.in l. cùm clericis, C.de Episcop. & Cleric. num.3.* quod ad petitionem creditoris non debet citari reus; nisi præcipiat Iudex: quod dicit benè seruari in causis criminalibus; secùs autem in ciuilibus: sed subiungit, quod malè faciunt secūdum *Iacob. Butrig. & Cyn.*

Amplius loquitur idē *Bal. in d. l. neminem, num.2. & 3. C.de exhib. reis*; dicens, quod Nuncius non potest citare aliquem; nisi præcedente Iudicis mandato, de quo debet constare. Et dato, quod nuncio credatur de citatione, non tamen creditur de commissione; quod verum dicit *Iac. Butrig.* esse in criminali, quod debet constare aliter, quàm per relationem nuncij; sed in ciuili sufficit si nuncius refert se citasse de Iudicis mandato, & commissione: *Arg. l. magis puto, §. ne tamen, ff. de rebus eorum, & l. omnes qui, C de Episc. & Cleric.* & ita de consuetudine seruari attestatur. Subiūgens, quod siuè in criminali, siuè in ciuili prima pars est verior; quia nuncio creditur de actu suo, non de alieno, & quia ad suum officium non pertinet, & quia de officio alicui iniuncto ille idem non est bonus testis; vt not. *Innoc. in cap. quoniam contra falsam, de probat.* dicit tandem, quod in contrarium facit: *l. ex sententia, ff. de testam. tut. & l. vxori, §.1. ff. de fals.* & quod pro prima parte facit, *l. vnic. C.de mand. princ. cum gloss.* in verbo *à priuato, in fin.*

Sed melius hanc rem nititur explicare idem *Bald. in l. si quando inuitos, C.de test. nu.12.* vbi quærens an citatio possit fieri per nuncium sine speciali commissione: refert *Innoc. Io. Andr. & alios* dixisse, quod Nuncius publicus generalis po-

potest citare sine speciali mādato; & subiungit *Cynum*, cōtrarium dixisse: ipse autem conciliando opiniones, dicit quod in citatione reali, qualis est captura, requiritur cōmissio: vt *d.l.neminem*. Sed in citatione verbali distinguit, aut requirit causæ cognitionem, & Iudicis motum; aut non: primo casu Nuncius non potest citare sine speciali cōmissione, seù decreto: secundo casu, si non requirit causæ cognitionem, sicut est citatio simplex ad comparendum coram Iudice, & potest tunc seruari opinio *Inn.* vt sufficiat generalis authoritas Nuncij, sine speciali commissione: & ita dicit seruari Florentiæ; & quod ita communiter seruatur in Regno Neapolitano, vt scilicet Nuncij citēt in ciuilibus ad solā instantiam partis, absq; alia Iudicis cōmissione: refert *Marant. in spec. par.6. vers. rectè concipiatur citatio, num.* 52. & ita etiam Paduæ seruari, testatur *Peregrin. in tract.var.lib.2.de Iud.ad cap.1. sub num.*23. & quod præscripta *Baldi* distinctio in Curia seruetur, refert *Vant.de nullit. ex defectu citationis, num.39. in fin.*

6 Mihi videtur rem hanc latiori indigere explicatione, ideò distinctè procedendo ponam plures conclusiones, cum earum declarationibus, seù fallentijs.

Prima est, quod de iure communi citatio realis, seù per capturam personæ, non potest fieri per Nuncium sine speciali Iudicis mandato: & ita procedit *tex.in dict.l.neminem, C.de exhiben. reis*.

6 Fallit quādo delinquens reperitur inflagranti; quia tunc potest capi per quemlibet sine mandato Iudicis; quia lex ipsa committit: sic fur cū furto potest à quouis capi: *l.3. ff. de furtis*; vbi dicitur furē manifestum appellari, qui deprehenditur cum furto, siuè in loco vbi furtum cōmisit, siuè in alio; cum re tamen furtiua, antequā ad locū destinatū peruenerit, & siuè capiatur ab eo cuius res est, siuè ab alio; idem habetur in *l.si quis in seruitute, ff.eodē tit.de furtis*, ibi, *sed Celsus deprehensioni hoc etiā adijcit, si cùm vidisses eum suscipientem, & ad comprehendendum eum occurrisses, abiecto furto effugit, furem manifestum esse, paruique referre putat; Dominus, an vicinus, aut quilibet transiens ap-*

apprehendat; & in *l.fin. C. de malefic. & matemat.* dicitur, *Quicunque maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupauerit; illicò ad publicum protrahat, & Iudicum oculis communis hostem salutis ostẽdat*. Et lex Iulia permisit marito nedùm capere adulterum, sed etiam occidere, repertum scilicet in vxore sua: *l.marito, ff. ad l.Iul. de adult.* ibi *marito quoque adulterũ vxoris suæ occidere permittit*; *& l.sequenti*, ibi *capite quinto legis Iuliæ ita cauetur, viro adulterum in vxore sua deprehensum, quem aut nolit, aut non liceat occidere, retinere per horas diurnas nocturnasque continuas: non plus quam viginti, testandæ eius rei causa, vt vti sine fraude, suo iure liceat*; & de raptoribus virginum, quod possint in flagranti capi, & etiam à coniunctis interfici: *tex.est in l.Raptores, C.de Episc. & Cleric.* ibi *raptores virginum, vel viduarũ, vel diaconissarum, quæ Deo fuerint dedicatæ, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos esse decernimus, quod nõ solùm ad iniuriam hominum, sed ad ipsius Dei irreuerentiam committitur; qui itaque huiusmodi crimen commiserint, & qui eis auxilium tempore inuasionis prabuerint, vbi inuenti fuerint in ipsa rapina, & adhuc flagrante crimine comprehensi à parentibus sanctimonialiũ virginum, vel viduarum, vel diaconissarum, aut earum consanguineis, vel tutoribus, seu curatoribus conuicti, interficiantur*.

Item fallit, quando debitor reperitur in fuga; quia potest per creditorem capi, quasi ex legis cõmissione: *l. ait Prætor, §.si debitorem meum, ff. de his, quæ in fraudem credit*, ibi *si debitorem meum, & complurium creditorum consecutus essem fugientem, & pecuniam secũ ferẽtem*; vbi *gloss.* in verbo *locum fore* circa mediũ dicit, quod sine authoritate Iudicis in illo casu captus fuit, quia fugiebat & Iudicis tàm citò copia haberi non poterat; secùs autem, quando non est in actu fugæ; sed dumtaxat suspectus est de fuga; quia tunc non potest capi sine authoritate Iudicis; *tex. est in l.extat, ff. de eo, quod met. caus.* ibi *Cæsar dixit, tu vim putas esse solum si homines vulnerentur, Vis etiã est & tũc, quoties quis, id quod deberi sibi putat, non per Iudicem reposcit*; & in *l.res, C. de vi bon. rapt.* ibi *res*

obligatas sibi creditorem vi rapientem, non rem licitam facere; sed crimen committere cõuenit.

Et hãc differentiam, quod debitor fugitiuus in actu fugæ possit per creditorem, & etiam per Iudicem incompetentem capi, propter periculũ in mora; non autem quando est solum suspectus de fuga; quia tũc debet præcedere causæ cognitio, & constare debet de credito, de deterioratione, & de suspicione: latiùs probauimus *supra cap.7.num.163. & 167. cum seqq.*

7 Secũda conclusio est, quod etiã in causis ciuilibus, de iure cõmuni, non potest Nuncius ad solam requisitionem partis sine speciali Iudicis cõmissione citare; & ita loquitur *tex. in d.l. sed si hac lege, ff. de in ius voc.* & in *§. furti, instit. de act.* & ideò quis agere non potest, nisi authoritatẽ citandi petat à Iudice: *l.4. §. hoc autẽ Iud. de damno infect.* ibi *qui nõ postulabit, experiri nõ potest: postulare autem hoc propriè dicitur pro tribunali petere, & nõ alibi*; & quod citatio nõ valeat, nisi fiat authoritate Iudicis: not. *Bar. in l. ad peremptoriũ, ff. de Iud.* & in *d.l. neminẽ, C. de exhib. reis; Specul. in titul. de citat. §. sequitur, vers. illud autem, num.21.*

8 Tertia Conclusio est, quod cõsuetudo, seù statutũ inducere potest, vt Nũcius publicus possit in vim generalis cõmissionis aliquè in ciuilibus citare ad solã instantiam partis, absq; alia speciali cõmissione; & ita procedũt dicta per *Innoc. in d. cap. quoniã cõtra, n.3. de probat.*

Et etiam potest inducere, vt Nuncio publico referente se citasse de mandato Iudicis, ei credatur absque alia exhibitione mandati, & talis consuetudo valet: *l. minimè, ff. de legib.* & ita procedunt dicta per *Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.41. in fin.* quod scilicet consuetudo non potest inducere, vt fiat citatio sine authoritate Iudicis; sed benè vt authoritas, seù decretum Iudicis præsumatur; & ita etiã intellexit *Rot. vt post cons. Farin. par.2. dec.355. n.1. & 363. n.3.*

9 Declara 1. quod cõsuetudo valet, vt decretũ præsumatur, quãdo citatio est facta per Nũciũ publicum, & iuratum cõmunitatis, non autem quando facta est vel per partem, vel per aliam priuatam personã: *Arg. l. magis, §. tamen, ff. de reb. corũ, cap. prudẽtiam, de off. deleg. Bartholom. Brunat. in sua praxi tit.*

de

*de modo citãdi,n.*11.*& dictũ est supra cap.*7.*nu.*23.*de citat. per Nuncium priuatum, & nu.*38.*de citat. per Nuncium publicũ.*

10 Declara secundo, quod talis consuetudo habet locũ,quãdo citatio fit in foro citantis; non autem quando extra forum, vt quando requiritur, vel requirendus est Iudex alterius territorij per litteras subsidiales, vt citetur quis existens,& domicilium tenẽs in sua iurisdictione:ita *Rol.vol.*1.*consil.*32.*n.*21. & sequitur *Ant.Piagg. in tract.de consuetudine,quæst.*11.*nu.*57. itaut quando quis est citandus ad requisitionem Iudicis, non potest Nuncius citare absque expressa Iudicis cõmissione;non obstante consuetudine citandi absque speciali commissione; quia cùm consuetudo sit cõtra ius, omnis recessus à iure cõmuni est odiosus: *Crauett.cons.*170.*n.*3 Et ideò strictè debet intelligi: *l.quod verè, ff. de legib.* & ideò trahenda non venit extra proprios terminos: *l.*1.*§.Iulianus, ff.de itin.actuque priuato, Dec. cons.*483.*col. pen.*

11 Et ideò, si requisito Iudice ad citandum aliquẽ,is nõ citaretur ex speciali Iudicis requisiti mãdato; sed ad requisitionẽ partis,per Nuncium vigore suę facultatis generalis,citatio esset nulla,nec valeret processus cõtra illum absentẽ factus: *Mars. in pract. crim.§.quando, nu.*30. *Bal.in authen.si omnes, col.fin.C.si vt ab hæred.se abstin. Rol.cons.*32.*nu.*23.*lib.*1.

12 Declara tertio vt etiã stante cõsuetudine,ex sola relatione nuncij nõ probaretur cõmissio Iudicis ad effectũ,vt diceretur eũ traxisse Clericum ad forum sæcularem; vt dictũ est supra *cap.*5.*nu.*95.*pag.*203.

13 Declara quarto,quod prædicta cõsuetudo valeret, quãdo citatio esset talis, quæ non requiriret aliquã causæ cognitionem,seù aliquem motũ Iudicis, prout sunt citationes, quę fiũt vel ad simpliciter cõparendum, vel pro tela iudiciaria, seù ad actus post litem motam iudicialiter agendos; secùs in alijs, quæ exigũt causæ cognitionẽ, & pendent ab authoritate, & motu Iudicis, vt sunt primæ citationes ad comparendum cum terminis pœnæne præfixione, & cum expresione loci,& tẽporis,& citationes domi, & per edicta; & ita procedit distinctio *Baldi in l.quando inuitos,nu.*2. *C.de testibus*; quam seruat praxis

vt per *Maran. Peregr. & Vant. supra relat. sub numer. 5. in fine.*

14 Quarta conclusio est, quod quando Nuncius ex cõsuetudine citat sine cõmissione speciali, non potest citare die feriata, & pro die non feriata, sicut nec Iudex potest die feriata committere citationem; nàm tunc Nuncius ex consuetudine vtitur quadam iurisdictione: vnde impeditur propter diem feriatam: *Bald. in l. cùm Clericis, C. de Episc. & Cleric.* sed *Rom.* tenet contrarium in *l. 1. §. nunciatio, ff. de oper. nou. nunciat.* de qua re latissimè dictum est in *cap. præcedent.*

Ex prædictis itaque firmũ remanet decretum citationis esse omninò necessarium de iure cõmuni; sed ex statuto, vel ex consuetudine induci posse, vt sufficiat generale, seù præsumptum.

15 Et ratio est quia citãdi facultas dependet à iurisdictione: *gloss. magna in cap. cum causa, in vers. item qualiter, de off. deleg. Gemin. cons. 76. num. 8.*

16 Et quamuis Cursor, seù Nuncius citet; tamen Iudex dicitur citare; quia eius commissione Nuncius citat: *gloss. in authen. de hæredib. & Falcid. §. illud*, in verbo *decreto: Rebuff. de citationib. in præfat. num. 59.*

17 Vndè dicitur citationem habere duas partes, vnam iurisdictionis, quæ est Iudicis mandantis citari; & alteram facti, quæ est Nuncij, seù alterius exequentis: *cap. 1. §. contrahentes*, ibi *si eorum authoritate citati, de for. competen. lib. 6.* & ibidem notant *Doctor. Socin. de citation. art. 4. num. 1.*

18 Et ideò actus citationis dicitur actus iurisdictionis: *l. 1. ff. de in ius voc. §. final. instit. de pœna temerè, litig. Guido Pap. quæstione 275. num. 2.* Iurisdictionis scilicet voluntariæ; quia Iudex etiam extra suum territorium potest facere citationis decretum, vt scilicet quis, in suo tamen territorio, citetur: *Bellam. decision. 649. numer 4. & 7.* sed hoc verum esse intellige, quando citationis commissio fieret parte absente, & nemine contradicente; secùs si fieret partibus præsentibus, & contradicentibus, quia tunc Iudex adhiberet causæ cognitionem, & interloqui videretur: vt declarat *Bellam. ibi-*

ibidem numer. 5. & tunc censeretur facere actum iurisdictionis contentiosæ, quam Iudex extra suum territoriū, etiā quando reperitur in alieno territorio, nō potest exercere; etiam inter suos subditos, & etiā de rebus in suo territorio gestis: *l. vlt.* & ibi *Castr. n.* 8. *ff. de iur. omn. Iud.* iurisdictio enim Iudicis ordinarij cohęret territorio, & ideò extra illud eā exercere non potest, sine consensu Iudicis illius territorij, quia aliàs extra suum territorium censetur vti priuatus; *Abb. in cap. p. & g.* 40. *num.* 15 *vers. aut volunt partes, de offic. & pot. Iud. deleg.*

19 Et decretum citationis reputatur sentētia interlocutoria, quia Iudex, vel eius executor præcipit, vt citatus veniat ad causam: *gloss. in l. cùm Clericis*, in verbo *sententiarum, C. de Episc. & Cleric. Bar. in l. quod iussit, num.* 3. *ff. de re iud.* & sententia interlocutoria aliquando etiam vna parte absente potest ferri; vt per *gloss. in l. sed interpellatur*, in verbo *per epistolam, ff. de recept. arbitr.*

20 Vt autem Iudex decernere possit citationem, & in ius vocare, necesse est, vt habeat iurisdictionem in eum, quem mandat citari; aliàs citatio commissa à Iudice carente iurisdictione in citatum, est omninò nulla: *Abb. in cap. cùm causam, num.* 3. *& in cap. prudentiam, nu.* 6. *de off. deleg. Vant. de nullitat. ex defect. citationis, nu.* 27. *Honded. cons.* 26. *nu.* 24. *lib.* 2. & debet euidenter constare Iudicem citantem habere iurisdictionem: *Specul. in tit. de citat. §. contra, vers. item quod euidens, nu.* 12. *Soc. de cit. art.* 4. *num.* 1. & si non constet euidenter, non tenetur citatus comparere: *Alex. cons.* 77. *numer.* 3. *lib.* 3. *Afflict. decis.* 2. *num.* 8. adde *gloss. in cap. si duobus, de appellat.* in verbo *nisi Iudex cognouerit, dicens. ergò si notum illi erat, quod non esset de sua iurisdictione, non tenet sententia, & ille non tenebatur venire, ex quo sciebat Iudicem hoc scire.*

21 Et non sufficeret, si Iudex haberet solam iurisdictionem in habitu, & non in actu: *Soc. de citationibus, art.* 4. *num.* 5. *in fine, vers. vlterius etiam nota*; qui exemplificando dicit, si sunt tres Iudices delegati, citatio facta ex cōmissione duorum non tenet, quia ex pluribus delegatis quilibet

habet iurisdictionem in solidum, attamen exercitium, & in actu nō habet quilibet; sed omnes insimul; vt in *cap. prudentiam, cum alijs per eum allegatis.*

22 Et citantis iurisdictio inspicitur de tempore citationis, vt tunc potuerit citare: *Valasc. decis.* 57. *Giurb. decis.* 82. *num.* 11. & est *text. in l. si quis postea quam, ff. de Iud.* vbi habetur, quod si de tempore citationis citatus erat de iurisdictione citantis, si fiat miles, vel alterius fori, non potest declinare forum, tanquam præuentus: & quando Iudex de tempore citationis iurisdictionem non habebat; sed postea superuenit iurisdictio, tūc illa citatio non conualidatur; sed opus est noua citatione: *l. edictum, ff. de Iud.* & declarat *Bald. cons.* 4. *num.* 3. *lib.* 5. sic etiam citans, & procedens tāquam delegatus, cùm talis nō esset, si postea superueniat delegatio, vel ratificatio, non tamen retrotrahitur ad confirmandū citationem, & processum: *gloss. in l. instar, C. de iure Fisci, lib.* 10. *& in l. licet, ff. de Iud. Guid. Papæ, q.* 286. *num.* 2.

23 Sed pone, quod Iudex de tempore citationis erat incōpetens, & postea pars citata coram eodem Iudice reconuenit citantem, an citatio prima à sententia lata conualidetur; *vide Afflictum, decis.* 27. *numer.* 3. vbi dicit, quod per reconuentionē fuit prorogata iurisdictio, & processus tenet.

24 Quod si Iudex esset talis, cui non competeret exercitiū iurisdictionis, prout Iudex delegatus, quādo vel rescriptum esset obreptitium, vel subreptitium, citationem decernere non posset: *Vant. de nullit. ex defectu citation. num.* 27. *Eugen. cons.* 40. *nu.* 30. *lib.* 2. vel quando delegatus nondum acquisiuit exercitium iurisdictionis; iuxta ea, quæ latiùs dicta sunt *cap.* 8. *num.* 240. *cum pluribus seqq.* vel etiam quando tempore feriarum esset suspēsum iurisdictionis exercitiū: *Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.* 46. *& plura diximus supra in cap. præcedenti, de ferijs.*

25 Vel etiam quando delegatus non fecit fidem suæ facultatis, sed citauit absque insertione suæ commissionis: *Achill. decis.* 16. *de dol. & contum. Rota in Lauretana bonorū,* 19. *Aprilis* 1630. *coram Coccino, post tract.*

nath. Posti. de manuten. decis. 275. nu. 9. & citatio, quæ decreta esset ante præsentationem rescripti non valeret, licet postea fieret præsentatio: *Bald. in l. eum qui, quæst. 4. ff. de iurisdict. omn. Iud. Guid. Papæ quæst. 286. sub num. 2.* sed an & quando delegatus teneatur inserere suam commissionem, latiùs dictum est supra *cap. 8. num. 244. cum seqq.* & alia de hac materia *dicta sunt supra capit. 9. vers. de nomine Iudicis exprimendo.*

26 Cum igitur citandi facultas pendeat à iurisdictione, sequitur quod cum Iudex extra suum territorium iurisdictionem non habeat, non possit extra illud citationem cõmittere: *l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud. & cap. 2. de const. lib. 6.* sed debet requirere Iudicem illius loci, vt citet: *§. si verò quis comprehensorum. in auth. vt nulli Iudices, cap. pastoralis, §. 1. de off. deleg. Rebuff. de cit. in præf. nu. 60.* de qua re aliqua *diximus supra in cap. 5. num. 19. & & plura in cap. 6. n. 47.* & quãdo Iudex ratione territorij sit competens, vel incompetens, explicauimus *supra in cap. 9. num. 30. vsque 34.*

27 Sed quando Iudex citationem committeret, quod posset Nuncius eam exequi extra territoriũ; ait *Soc. de cit. art. 4. num. 3.* quæ tamen conclusio dubitationem apud me habet; quia non videtur, quod Nuncius vnius territorij possit in alieno territorio exequi citationem non impetrata licentia à Iudice illius territorij, cuius iurisdictio per alium nõ debet turbari, & fit iniuria Iudici, quando absque eius requisitione, & licentia quis citaretur verbaliter, vel realiter in suo territorio: *cap. ex parte, il 1. de verb. signific. & dictum est supra cap. 6. nu. 48.*

28 Atque quando citatio fit per Nuncium, qui non est in possessione citandi, non arctat citatum, & illi non teneretur citatus credere: *Bar. in extrauag. ad reprim. in verbo per Nũcium, num. 7. gloss. & Doct. in cap. cùm parati, de appellat.* & etiam Nũcius publicus vnius loci censetur Nuncius priuatus respectu alterius loci, vbi non est deputatus: *l. 2. §. fin. ff. de off. Proconf. & leg Bal. in l. fin. num. 5. in princ. ff. de iurisdictione omn. Iud.* & Nuncio priuato pars non tenetur credere sine litteris: *gloss. in cap. prudentiam*, in verbo *per certũ*

Nūcium, de off. deleg. & in cap. cùm parati, in verbo *suus nuncius, de appellat. & dictum est supra cap. 7. num.* 53. & Nuncius citans sine litteris debet esse talis, vt citatus teneatur credere illum esse Nuncium: *Bar. in d. extrauag. ad repimendum. ver. per litteras, nu. 2. & supra cap. 7. num.* 210.

29 Quid ergò dicemus? placet, vt dicamus vnà cum *Ias. in l. fin. num. 24. ff. de iurisdict. omn. Iud.* quod an Iudex vnius territorij possit citare suum subditum existentem in alieno territorio: est passus valdè dubius, adeò quod *Angel.* ibidem dicit, quod egeret decisione Cæsarea: & vnà cum eodem *Ias.* cōsideremus tres casus, aut. n. quærimus, an possit citare scribendo Iudici illius territorij, quod eum citet, & clarum est, quod sic: *l. 1. ff. de requir. reis*; aut quærimus, an possit eum realiter citare, faciendo eum personaliter capi: & clarū est, quod non: *l. quis sit fugitiuus, §. itē Celius scribit*, & ibi *gloss* in verbo *abduci ff. de edil. edict. Bar. in l. si cui, §. cùm sacrilegium, ff. de accusat.* & est *tex. in cap. ex parte, il 1. de verborum signific.* & hic addo, quod dicit *Bald. in d. l. fin. sub num. 5 ff. de iurisdict. omn. Iud.* quod talis captus prius debet relaxari, antequam procedatur vlterius; quia cùm sit spoliatus, quasi libertate, debet ante omnia restitui.

30 Aut quærimus de citatione verbali, an Iudex possit mittere suum nuncium, vel seruitorem extra territorium; & in hoc dicit *Ias. ibidem num. 24.* esse difficultatem propter varias opiniones: & distinctionē *Bart. in l. 1. §. præsides, num. 3. ff. de requirendis reis*: communiter teneri; & mihi etiam placet: & est hæc, quandoque sunt plures Iudices habētes iurisdictiones separatas, tamen illę iurisdictiones habent dependentiam ab vno Principe, vel ab vno Rege, tunc vnus potest citare in territorio alterius verbo. Quidam sunt habētes iurisdictiones separatas, & distinctas ita quod vna ab alia non dependet, nec sunt in eodem dominio, vt Papa & Imperator, tunc vnus non potest citare in territorio alterius, siuè per nuncium verbo, siuè per litteras, siuè per edictum; vt in *Clem. pastoralis, de sententia, & re iud.* ibi *nec citatio si quā for-*

forsan, de ipso intra imperij fines fecit, citatum extra imperium constitutum arctauit. Nos quoq; Regis ordinarius Iudex, quod ad Imperatoris iudicium citaremus, vel citari aut remitti faceremus eundem, nequaquam fuimus requisiti.

Sed quæ est ratio, quare in primo membro distinctionis possit quis citare per Nũcium verbo in territorio alterius, quando duo territoria vni superiori subiacent mediatè, vel immediatè? dic eam videri.

31 Quia quando Nuncius, seù Viator citat aliquem in alio territorio verbaliter, propriè non dicitur citare; sed intimare, & non est actus iudicialis; prout esset si citaret per litteras; & propterea dicamus vnà cum *Bald. in d. l. fin. num. 5 ff. de iurisd. omn. Iud.*

32 Quod actus citandi, prout explicatur à Nuncio, non est actus iudicialis: ergò potest fieri vbique, sicut vbi Dominus rimatur pro suo seruo fugitiuo; & fratres vbique capiunt Apostatam; & ista citatio, prout est quædam intimatio, & non requirit partium informationem, potest extra territoriũ fieri. Quod autem est explicandum per Iudicem, vel per partem coram Iudice, non potest extra territorium explicari: & data est certa forma à iure, quod ad litteras Iudicis cognoscentis trãsmissas ad Iudicem vbi degit, per illum Iudicem citetur, vt ex iuribus per eum adductis.

33 Placet etiam, vt vnà cum *Oldrado cons. 88. nu. 2.* distinguamus, & consideremus tria loca; primum scilicet vbi Iudex facit præceptum de citando; secundum vbi executor citat; tertium ad quem citat. Quoad primum locum Iudex decernere debet citationem in suo territorio, & non extra: cùm citare sit iurisdictionem exercere; quoad secundum executor potest citare extra territorium; quia præceptum quod facit executor confert effectum in locum cõgruum. Quoad tertium, non potest siuè Iudex decernere citationem, siuè Nuncius citare aliquem ad comparendum extra territorium citantis, ex iuribus per eum adductis.

34 Iudex igitur, qui vult citare aliquem suæ iurisdictioni subiectũ, & in territorio alieno existentem, debet Iudicem illius territorij requirere per lit-

litteras, quas subsidiales vocant, vt illum citet: *l. 1. ff. de req. reis, §. si quis verò cõprehensorum, in auth. vt nulli Iud. cap. pastoralis, §. 1. de off. deleg. & cap. 1. de Iud. Clar. in §. fin. q. 31 num. 18. & 19.*

35 Et executor si vult citare aliũ in territorio alieno, subiacenti tamen eidem principi, posset citare verbo; iuxta dicta per *Bar. in d. l. 1. §. præsides, ff. de req. reis, Maran. par. 6. vers. rectè concipiatur citatio, nu. 40.*

Sed si Iudex nollet requirere aliũ pro citatione facienda teneretur parti ad interesse, & posset per superiorem cogi, & puniri: *Bar. in l. à diuo Pio, § sententia, n. 5. ff. de re iud.* & ibi *Ias. n. 5.* & dictũ est *sup. cap. 5. n. 14*

37 Et pariter si Iudex requisitus nollet citare, posset adiri superior, vt illũ cõpellat: *Butr. in cap. postulasti, de for. compet. Aufrer. ad Cappell. Tholos. decis. 412. nu. 2.* & dictum est supra *eod. cap. 5. nu. 15.* & teneretur etiã parti ad interesse: *Bar. in d. l. à diuo Pio, §. sententiam, nu. 15. ff. de re iud.* cum alijs alleg. per *Gratian. cap. 146. nu. 1.* sed hæc procedunt, quãdo is, qui requirit alium sit inferior, vel par. sed quando superior requirit inferiorem sibi subiectum: ipse potius dicitur præcipere, quàm requirere: & inferior requisitus tenetur superiori requirenti obedire: *cap. pastoralis, de off. deleg.* aliàs posset per eum puniri: *cap. fin. 14. q. 1. cap. si quando, de rescr.* & dictum est *supra cap. 6. nu. 47.*

38 Sin autem Iudex vnius territorij cõsentiret, vt Iudex alterius territorij exerceret iurisdictionẽ contentiosã in suo territorio, & partes cõsentirẽt vtiq; processus valeret absq; alijs litteris subsidialibus: *gloss. in cap. vt litigãtes,* in verb. *de cõsuetudine, de offic. ord. lib. 6. Io. And. in cap. nouit. nu. 10. de off. legati.*

39 Ita etiã voluntaria iurisdictio inter subditos, extra locũ, & territoriũ, potest exerceri per Iudicem dũmodò non disponat de loco, vel de rebus sibi subditis; *Bal. in l. 1. C. de iur. aureorum anul. nu. 5.*

40 Et dummodò pars consentiat, in his. n. quæ sunt voluntariæ iurisdictionis non potest quid fieri altero inuito: vt per *gloss. in §. generaliter, autem*, in verbo *permisitũ in auth. quibus modis nat. effic. sui.*

41 Et dummodò iurisdictionẽ habeat à Principe, quando. n. quis habet iurisdictionem vo-

voluntariam ab alio, quàm à Principe, non poteſt eam exercere extra territorium; & ideò tabellio factus à Rege, nō poteſt extra regnum condere inſtrumentum, & tabellio factus à pópulo, extra illum populum nō poteſt conficere inſtrumentū: vt declarat *Bar. in l. apud Proconſulem, ff. de manū vind.*

42 Et quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis, ſicut poſſunt fieri quolibet loco, iuxta tamen prædicta, ita poſſunt fieri quolibet tēpore: ad *l. actus, C. de fer.* eo tamen modo, quo declarauimus *ſupra cap. 10. nu. 71. cū plurib. ſeq.* & alia dicta ſunt *ſupra cap. 9. nu. 31.*

43 Et quæ ſit iuriſdictio voluntaria, & quę cōtentioſa explicat *gloſſ. 1. in l. 2. ff. de off. procōſ. & legati*; ibi *contentioſa dicitur quæ redditur in inuitū, volūtaria verò, quæ inter volentes tantum*; & dictū eſt *ſup. cap. 4. n. 26*

44 Et quod actus, qui ſunt voluntariæ iuriſdictionis, fiant iuriſdictionis cōtentioſę, quādo ſcilicet aliquis pro ſuo intereſſe ſe opponit, & cōtradicit: dictū eſt *ſup. cap. 10. n. 74.*

45 Sed hic adduco diſtinctionē, quam ponit *Bal. in l. 1. C. de emanc. liber.* nempè, quod triplex eſt iuriſdictio cōtentioſa fori contentioſi, quædam voluntaria fori voluntarij, quædam ſtatutaria faciendi leges, & ſtatuta.

46 Et notat, quod conſuetudo dat iuriſdictionē voluntariam, quæ extenditur ad forenſes, ſeù nō ſubditos conſentiētes; & ponit caſum in Ciuitate Peruſij, vbi per conſuetudinem, & per ſtatutum ſunt Iudices quidam, qui appellantur Iudices communis, qui habent iuriſdictionem ſuper emancipationibus liberorum, & alijs actibus legitimis.

Quidam Florentinus venit in Ciuitate Peruſij cū filio, & volebat eum coram illis emācipare: quærebatur nunquid poſſent, & videbatur quod nō; quia non ſunt illorum iuriſdictioni ſuppoſiti; ſed dicit cōtrarium eſſe verum; quia cùm actus ſit volūtariæ iuriſdictionis, ſi eligant ſibi eum Iudicē, poteſt actus coram illo Iudice explicari.

47 Et notat, quod vt conſuetudo det iuriſdictionem contentioſam, requirit tempus immemorabile: ſed vt det iuriſdictionem volūtariam, ſufficit longum tempus; ex iuribus per eum allegatis.

Hic

48 Hic non prętereo, quod iurisdictio datur etiã in mari; & ratione iurisdictionis mare dicitur vel territorium, vel districtus: *Bal. in rubr. quæ sint regalia, in vsibus feudorum.* sed quomodo sumatur territorium, & districtus latè declarat: *Felin. in cap. Rodulphus, num. 15. de rescr.*

49 Pertinet autem iurisdictio in mari ad Ciuitatem vicinam mari, intra centum milliaria in mare: *Bart. in tract. Tiberiad. par. 2. de Insula, §. nullius enim esse, num. 1. Angel. in l. insulæ, ff. de iud. Corset. in singular. in verbo iurisdictio. Cæpol. in tract. de seruit. rustic. præd. in tit. de mari, vers. quid autem de mari, nu. 11.* & ideò habentes iurisdictionẽ in territorio cohęrenti mari, dicuntur etiam habere iurisdictionem in mari & insulis existentibus infra centum milliaria, & possunt capere, & punire delinquentes, ibi, in mari, & in insulis, sicut in territorio: *Corset. & Cæpol. vbi supra: Hier. de Monte, in tract. de fin. regundis, cap. 11. in fin. & cap. 39. per tot.* Et siuè delinquentes, siuè contrahentes in mari sortiuntur forum illius Ciuitatis, de cuius districtu, & iurisdictione esset mare.

50 Quod si delictũ perpetratum, vel contractus initus fuisset in mari, & duæ Ciuitates essent vicinæ, & æquè distantes; tunc diceretur fuisse delictum commissum, & initus contractus in confinio, quod esset vtriusque Ciuitatis cõmune, & cognitio ad vtranque Ciuitatem pertineret, & inter illarum Iudices locus esset præuentioni. *Cæpol. vbi supra nu. 20. & Hier. à Monte, de fin. regun. cap. 7. nu. 10.*

51 Et præuenisse diceretur is, qui cępisset delinquentem in mari; licet alius eum verbaliter prius citasset: *Angel. in l. sanè si maris, ff. de iniur. Cæpol. vbi supra, num. 21. Hier. de Monte d. cap. 7. num. 11.*

52 Et in quãtum supra dictum est, habentem iurisdictionem in territorio, vel districtu mari cohærenti, habere etiam iurisdictionem in mari vsque ad centum milliaria: sciendum est *Doctores* intelligere, vt centũ milliaria in mari sint minus duabus dietis: *Bar. in tract. Tiberiadis, de insula, in d. §. nullius, num. 1. Castr. in l. insulæ, num. 2. ff. de Iud. Felin. in cap. olim, num. 7. de except.*

53 Et in hac materia notat *gloss.*

in cap. vbi periculũ, §. porrò, in verbo *territorio, de elect. lib. 6.* quod si Papa moreretur in mari, electio fieri deberet in loco, cui mare subesset; at si per neminem distringeretur locus ille, electio fieret in loco viciniori, siuè in territorio cui mare esset propinquum: *Hier. de Monte, d. tract. de fin. regun. d. cap. 7. nu. 14.*

54 Prædictis addo, quod consuetudo posset dare iurisdictionem siuè Iudici, siuè Nuncio citandi extra territorium: *Florian. in l. 1. §. fin. ff. de test lib. Surd. consf. 465. nu. 6.*

55 Et quod consuetudo possit dare iurisdictionem priuato; declarat *Felin. in cap. cùm contingat, num. 2. de for. competen.* & ibidem *Io. Andr.* dicit hoc alibi non reperiri, quod consuetudo tribuat iurisdictionẽ alicui priuato; & ibi *Abb. nu. 5.* ait duo esse, quæ priuato conferunt iurisdictionem; priuilegium scilicet, & consuetudo.

56 De iure igitur non solum Iudex non potest citare aliquem extra suum territorium existentem: sed aliquando etiam in suo territorio citationem decernere non potest, in casu scilicet quo deficit eius iurisdictio, vel exercitium.

Exemplum est vbi quis habet iurisdictionem priuatiuè quoad alios; sic enim Iudex laicus non potest citationem decernere contra Clericos in causis Ecclesiasticis, licet persona sit in suo territorio: sũt. n. duo diuersa iudicia ecclesiasticum, & sęculare: *Marant. in speculo 4 par. distinct. 11. vers. sæculare, vel ecclesiasticum*; & quod laici sint omninò incapaces iurisdictionis in laicos, ac nec contra eos possint citationem decernere; latè *dictum est supra cap. 5. num. 20. cum pluribus seqq. & nu. 96.*

Sic etiam Iudex ciuilis non potest citare in causa criminali cùm distinctum sit iudiciũ ciuile à criminali: *Maran. in d. speculo par. 4. dist. 1.* & quod Iudex criminalis in suis causis inhibeat ciuili, & è conuerso; *dictum est supra d. cap 3. nu. 37. cum pluribus seqq.* sic in pari iurisdictione vbi vnus pręuenit, alter citationem decernere nequit: præueniens enim dicitur solus exercere iurisdictionem: *l. si quis postea quã, ff. de Iud. cap. proposuisti, de for. compet.* sed quando vnus censeatur alterum pręuenisse, dicemus infra suo loco in *cap. fin.*

Sic

Sic & in causa alteri delegata ordinarius citare etiã in suo territorio nõ potest: delegata enim iurisdictio derogat ordinariæ; *cap. studuisti, de off. legat, & cap. sanè, de off. deleg.* & aliud est iudicium ordinariũ, & aliud delegatum: *Maran. in d. spec. par. 4. dist. 5. vers. an sit iudicium ordinariũ, vel delegatũ*

Sic etiã vbi sunt plures delegati aliquando vnus potest citare, & aliquando non sine alijs; vt mox explicabimus.

57 Integrum est iudiciũ, quod pluriũ sententijs confirmatur, vndè expedit, vt duobus potius quã vni, & tribus potius quàm duobus, causarum cognitiones demandentur: *cap. prudentiam, §. illa quippe fuit, de off. deleg.*

58 Quando causa committitur duobus simpliciter, tunc vnus sine alio citare, nec procedere potest: *cap. causam matrimonij, de off. deleg.* ibi *quia cùm causa duobus committitur, sententia vnius non tenet.*

Et quando ambo citant insimul, & procedũt, tũc si vnus pronũciat vno, & alter diuerso modo, tunc vtraq; sententia stat in pendenti, donec Iudex cõpetens vnam illarũ confirmauerit; *l. duo Iudic. ff. de re iud.*

Et quãdo causa cõmittitur tribus simpliciter, tunc duo ex tribus altero absẽte citare, & iudicare non possunt; quia omnes Iudices iudicare iussi sunt; sed si vnus adsit, & cõtra sentiat, stabitur duorum sententiæ; tunc enim verum est omnes iudicasse: *l. duo ex tribus, ff. de re iud.*

Sed si causa cõmittitur tribus, cũ clausula, quod si omnes interesse nequiuerint, duo nihilominus in causa procedãt, & exequantur; tunc duo non possunt citare, nec procedere; nisi appareat, quod tertius se excusauerit, vel per certũ nũcium, seù excusatorẽ litteratoriè destinatũ, non ostẽderit se interesse non posse, vel aliàs de eodem canonicè constare non poterit, residui procedere ad causæ cognitionẽ non debẽt: quod si processerint nihil reputabuntur egisse.

59 Cùm autem plures deputãtur sub hac forma, vt omnes aut duo, aut vnus cognoscat, seù exequatur; tunc censentur; insolidum delegati, itaut quilibet potest per se libere absque alio, id, quod demandatum est adimplere; & postquam negocium commissum inchoauit, reliqui non possunt

vl-

vlterius se in commisso negocio intromittere; nisi quando is qui præoccupauit, vel infirmitate, vel iusta causa impediretur: vel quando nolet, vel malitiosè recusasset: *tex.est in cap.cùm plures,de off.deleg.lib.6.* vbi *gloss.*in verbo *recusaret*,notat. quod si vnus ex delegatis insolidum inchoauit citando scilicet, deindè alio impedito alter cœpit procedere, licet posteà impedimentum cessauerit, non tamen ipse, qui inchoauit, potest causam reasumere,nisi & alter impediretur, vel procedere nolet.

60 Sic etiam quando sunt duo procuratores simul constituti, non autem insolidum,vnus sine altero non debet admitti; sed quando sunt constituti insolidum, tunc melior est conditio occupantis, & post occupationem huiusmodi alter se intromittere vlterius nequit, nisi apposita esset clausula, quod non fieret melior cōditio occupantis; sed quod vnus cœpit, alter perficere valeat: tunc enim si is,qui occupauit, vel infirmetur, vel moriatur, vel absens fiat, vel si prosequi nolit,poterit alter negocium suscipere, & perficere; dum autem impeditus alium nō substituerit, quando enim alium nō substituit alter Procurator prosequitur, & cessante impedimento is, qui primus occupauit negocium, reasumere nequit, nisi forsan illum contingeret impediri; quia tunc reasumere poterit, nec alter substitutum dare posset, cùm litem contestatus non fuisset: vt in *cap.si duo;*& in *§.cæterum*, vbi *gloss.* in verbo *impediri*, *de procurat. in 6.*

61 Citatio itaque nulla esset ex defectu iurisdictionis,quādo fieret ab vno ex delegatis coniunctim, vel quando fieret ab altero propter assertum impedimentum infirmitatis, vel absentiæ primi: *d. cap. cum plures*, vbi not.*Doctores, de off. deleg.in 6. Rot.in recent. par.2. decis.451. nu12.*

62 Et huiusmodi citationis nullitas non posset sanari ex tacito partis consensu,& comparitione coram secundo Iudice: cùm non sit in eius facultate dare iurisdictionem non habenti: *Butr. post alios in cap. cùm olim, il 1.nu.9. de off. deleg. Felin. in cap.1. & 2. num.11. eodem tit. Guid. Pap. quæst. 285.num.2. M obed. decis.3. nu.1. de appellat.*

Sed

63 Sed quid si duo citent, asserentes citare de licētia tertij, an citatus teneatur credere, & comparere: *gloss.* hanc quæstionem examinauit in *cap. prudentiā*, in verbo *teneatur. de off. delegati*, & illam tangit *Specul. de cit. §. iam de citatione*, vers. *hoc autem nota:* & resumit *Soc. de citation. artic. 4. num. 6.* breuiter dicens, quod si ex ipsa citatione apparet aliqua causa probabilis, propter quam citatus tenetur comparere, vt quia facta est delegatio cū clausula, quod si omnes, vel simili, & in citatione dicitur, quod tertius est impeditus: & tunc tenetur comparere, aut non exprimitur causa probabilis, & non tenetur comparere.

Cœterū hæc distinctio mihi omninò non satisfacit, cùm enim delegatus debeat citare cum insertione suæ commissionis, qua potest constare, qua forma, quibusuè clausulis sit facta delegatio: *cap. cùm in iure peritus, de off. deleg.* non videtur posse cadere prædicta distinctio, aut exprimitur causa probabilis, aut non.

Sed quidquid sit, aliter dicamus inhęrentes dictis *gloss. & Specul. supra alleg.* quod si plures sunt Iudices ordinarij, vno absente, reliqui possunt procedere, cùm quilibet per se insolidum habeat iurisdictionem: & ex quacunque causa ad Prætorem, vel alios Pręsides, qui iurisdictioni pręsunt, in ius vocatus venire debet, vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictionis eius sit: *l. 2. ff. si quis in ius voc. non ier.* si quis ex aliena iurisdictione ad Prętorem vocetur, debet venire: Prætoris. n. est existimare an sua sit iurisdictio, vocati autem est non contemnere authoritatem Prætoris; *l. si quis ex aliena, ff. de Iud.*

Si verò plures sunt Iudices delegati, ex quibus vnus solus citare non potest sine alijs; iuxta formam rescripti, non valet processus duorum, tertio in consulto; *ad tex. in cap. cùm causa, quæst. 22. de offic. deleg.* si vnus, vel duo citant de licentia tertij, tunc consilium est, vt citatus compareat ad effectum videndi, an habeant huiusmodi licentiam, seù aliàs authoritatem procedēdi: *Specul. de citat. §. iam, de citation. vers. hoc autem nota, nu. 15.*

64 Sed verum est, quod sola assertio cōiudicum, de licentia, vel impedimento tertij non pro-

probat impedimentum, seù licentiam, cùm Iudicis assertioni non stetur pro iustificatione facti; ad *not. per Doct. in d.cap. prudentiam, de off. deleg. Franc. in d.cap. cùm plures nu. 3. vers. sed vbi, de off. deleg. lib. 6. Felin. in cap. quoniam contra, nu. 34. de prob. Rot. in recent. par. 2. d. decis. 451. nu. 12.*

65 Sed verum est etiam, quod si reuera haberent licentiam, & extaret impedimentum reale, procederent in contumaciam citati: si verò licentiam non haberent, citatio remaneret nulla: vt per *gloss. in d.cap. prudentiam,* in verbo *teneatur, post medium, vers. tutius est ire;* quæ subiungit, quod si duo procederent contra citatum ab ipsis sine licentia, vel impedimento tertij; tunc processus nō conualidaretur; siue per ratihabitionem eiusdem tertij, cùm id quod nullum est ab initio, ratificari non possit: *l. quod ab initio, ff. de reg. iur.* Siuè etiam per consensum partium, vt soli duo, absque tertio procederent, cùm partes nequeant iurisdictionem dare; quandoquidem priuatorum cōsensus Iudicem non facit eum, qui nulli præest iudicio: nec quod is statuit rei iudicatæ continet authoritatem: *l. priuatorum, C. de iurisd. omn. Iud.*

66 At si vnus delegatus esset, quoad certas personas expressas, tunc si alias non expressas mādaret citari, decretum citationis esset nullum: nec de ipsarum personarum non expressarū consensu posset iurisdictio prorogari: *cap. p. & g. de off. deleg.* ibi, *quia in dictum I. nullam iurisdictionem habebas, iurisdictionis prorogatio nulla noscitur extitisse; cùm huiusmodi delegata iurisdictio ad alias personas nequeat prorogari.*

67 Alij sunt casus, quibus Iudex delegatus nulliter decernit citationem, vtpotè si Iudex delegatus pronunciauerit se non habere iurisdictionem; quia etiam de partium consensu illam posteà non potest resumere: *cap. significantibus, 38. de off. deleg.*

68 Item quando delegati iurisdictio expirasset; exemplum est quando ex pluribus delegatis vnus moritur: tunc enim aliorum etiam expirat officium, quando sunt dati simpliciter: *cap. vno delegatorum, 42. de off. deleg.* licet aliud sit in pluribus tutoribus, seù execu-

tutoribus datis simpliciter per testatorem: quia vno eorum mortuo, vel in remotis agente, aut id exequi fortè nolente, ne voluntatem testatoris impediri, vel differri omninò contingat; poterit alius officium tutelæ, siuè executionis liberè adimplere; nisi testator aliud expresserit, vt quia vetuit, ne alter sine altero procederet: *cap. fin. §. fin. cum gloss.* in verbo *expresserit, de testam. in 6.* vel quia deputauerit plures cũ clausula simul, & communiter *Rot. coram Buratto, decis.* 348. *num. 6.*

Expirat etiam delegata iurisdictio per mortem delegantis re integra, nisi fuerit perpetuata eius iurisdictio: *cap. licet vndique* 30. *de off. delegat.* & ibi *gloss.* in verbo *re integra, cap. relatum,* 19. & ibi *gloss.* in verbo *contestata. eodem tit. de off. deleg.*

69 Perpetuatur autem iurisdictio si delegatus citauit ante mortem delegantis: *cap. gratum,* 20. *de off. deleg.* ibi *respondemus, quod cùm in casu priori citatione facta, negociũ sit quasi cœptum, & maximè delegatus non sit certus, de obitu delegantis, potest & debet in causa procedi: teneblitque, quod iustitia fuerit præuia diffinitum.*

Ad hoc autem, vt delegata iurisdictio non expiret per mortẽ delegãtis, sufficit, vt eo viuẽte fuerit citatio per delegatum decreta, licet nondum contra partem, per Nuncium fuerit executa: *Rot. in ant. decis. 9. num.* 1. *de dol. & contum. Bisign. decis.* 1. *de off. deleg. nu.* 1. *Felin. post Abbatem, & alios in d. cap. gratum, col.* 2. *vers. quæritur ergò, de off. deleg. Caput. decis.* 115. *par.* 1. *Rot. diuersor. decis.* 41. *nu.* 1. *par.* 4.

70 Delegatus autem potest citare, etiam si in commissione non esset apposita facultas citandi: *cap. præterea,* 5. *de offic. deleg.* ibi *quia ex eo, quod causa sibi committitur super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem;* & quod ei, cui iurisdictio data est, ea quoque cõcessa esse videantur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit: dicitur in *l. 2. ff. de iurisd. omni. Iud.*

71 Sed si in commissione in Curia apponeretur facultas sola citandi in Curia, non autem adderetur etiã extra Curiam, tunc Papa censeretur restrinxisse facultatem citandi in Curia tãtum: *Cassad. dec.* 4. *nu.* 4.

num.4.de rescr. & *Vestr.lib.4. cap.2. num.1.*

72 Delegatus extra Curiam non potest vltra duas dietas citationem decernere: *cap. nonnulli, de rescript.* cui Papa solet in commissionibus extra Curiam derogare, dummodò non vltra tres, vt in formula posita per *Marches. de cõmiss. par.1. cap.6. in princ. fol.247.* ibi *constit. & ordinat. Apostolicis, stylo Palatij, & Curiæ, illa præsertim Bonifacij octaui S. V. prædecessoris de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò non vltra tres;* & *in fin. d. cap. num.217.*

Sed in commissionibus in Curia non apponitur hæc derogatio, quia de stylo Curiæ: *d. cap. nonnulli, de rescript.* non habet locum in Curia, vt ibidem not. *Felin. num.33. vers. nonus casus est,* post alios, quos allegat.

73 Contingit aliquando, vt in vno rescripto committantur plures causæ, ideò quæritur, an per citationem factam in vna causa, viuente adhuc delegante, censeatur prorogata iurisdictio, quoad alias causas, itaut mortuo delegante possit in illis citare: *gloss. in cap. licet vndique* 30. in verbo *re integra, de off. deleg.* adducit iura pro vtraque parte, & cõcludit verum esse, quod non est perpetuata iurisdictio; nisi in causa illa, pro qua facta est citatio: vndè mortuo mandatore expirat iurisdictio quantum ad alias.

74 Contingit etiam aliquãdo, quod causæ committantur, vel super alijs rebus declarandis, vel etiam contra alias personas exprimendas: iuxta *text. in cap. pastoralis,* §. *quoniam autem, de rescript.* vndè quæritur, an facta citatione, si delegatus moriatur ante factam declarationem aliarum rerũ, vel expressionem aliarum personarum, sit perpetuata iurisdictio, quoad res non declaratas, & personas non expressas: & eadem *gloss. in d. cap. licet vndique,* in verbo *re integra:* respondet, quod non; quia plures causæ intelliguntur.

75 Et vlterius notat duo in fine, nempè quod si delegans non moritur, sed deponitur; nihilominus delegatus non procedit; sed si delegans excommunicatur, vtique delegatus procedit, quia differẽtia est inter mortẽ naturalem, & ciuilem; & ideò morte naturali confirmatur donatio, non

Ii 2 autem

autem ciuili; vt per eam.

76 Si cōmiſſio facta ſit vſque ad certum tempus, tunc per lapſum temporis expirat iuriſdictio delegati; niſi dies præfixus de communi conſenſu partium prorogetur: *cap. de cauſis*, 4. *de off. deleg.*

77 Expirat etiā iuriſdictio delegata, quando per delegantem remouetur delegatus, & alter ſubrogatur; iuxta *tex. in cap. inſinuante*, 25. *de off. deleg.*

78 Expirat etiam iuriſdictio delegata per recuſationem, & propterea ſi duo ſunt delegati cum clauſula, quod ſi ambo, &c. vno recuſato, alter ſolus procedere poteſt: nec tenet proceſſus, ſi cum recuſato procedat: *cap. cùm ſuper Abbatia*, 23. *de off. deleg.*

79 Prout etiam delegata iuriſdictio expirat per mortem delegati, quando delegatio non eſt facta dignitati; quia tunc tranſit ad ſucceſſorem: ſecùs quando nomine proprio: *cap. quoniam Abbas*, 14. *vbi gloſſ. & Doct. de off. deleg.*

80 Expirat tandem delegati iuriſdictio poſt diffinitiuam executioni demandatam: *cap. in litteris*, 9. *de off. deleg.* ibi, *ex quo Iudex delegatus per ſe, vel per alium ſententiam executioni mandauit, vel mandari præcepit, eius authoritas, & iuriſdictio ceſſat; quia ſemel eſt officio ſuo functus.*

81 Sed ſi Iudex ordinarius, ad mandatum Iudicis delegati à Sede Apoſtolica, aut nō vult, aut non poteſt, alijs reſiſtentibus, ſententiam exequi, poteſt tunc delegatus per ſe illam executioni demandare; & reſiſtentes eccleſiaſtica cēſura coercere: *cap. ſignificaſti nobis*, 7. *de offic. delegat.*

82 Et quod delegatus à Papa ſuam ſententiam exequi poſſit, vſque ad integrum annum: *tex. eſt in cap. quærenti*, 26. *de off. deleg.* ibi *Statuimus, vt delegatus à nobis, non ſolum vſque ad quadrimeſtre tempus, quod ad ſoluendum debitum à lege reo conceditur; ſed vſque ad integrum annum iuriſdictionem ſibi commiſſam ad exequendū ſententiam valeat exercere, ſicut obſeruatur in illo, qui ante litis conteſtationem contumax inuenitur.*

83 Itē deficit iuriſdictio delegata, quādo in reſcripto eſt data certa forma; & ſi delegatus citaret nō ſeruata conditione, ſeù forma reſcripti, citatio eſſet nulla: *cap. cùm dilecta, de reſcr.* ibi *propter quod proceſſum ipſo-*

ipsorum contra nostri formam rescripti, ac iuris ordinem attentatum; irritum decernimus, & inanem: sunt .n. mandati fines custodiendi; *cap. prudentiam,* 21. §. *illa quippe, de offic. delegat.* ibi *mandati si quidem excedere fines probaretur, si quis citra formam rescripti accepti præsumeret iudicare:* & quod delegatus nō possit decernere citationem antequam sibi fuerit pręsentatum rescriptum, & certus sit de sua iurisdictione; *dictū est sup. cap. 8. n. 247. & seq*

84 Quando sunt plures Domini, seù Comites, tunc iurisdictio est apud quemlibet insolidum. exemplum est de pluribus filijs, & hæredibus: *Bar. in l. fin. ff. de rer. diuis.*

85 Quæ iurisdictio inter plures licet diuidi nō possit: *gloss. 2 in cap. prudentiam, de off. deleg.* potest tamē diuidi illius exercitium, seù administratio per loca, & tempora: *Bar. in d. l. fin. ff. de rerum diuis.* & in *cons. 189. primo quæritur, an iurisdic. lib. 1. Hieron. de Monte, de fin. regun. cap. 11. nu. 8. & seqq.*

86 Et propterea si citaret ille Comes qui non habet exercitiū iurisdictionis, seù administrationē in illo loco, vel tempore, citatio non valeret;

87 Item quādo Episcopus sibi cōstituit plures vicarios, in diuersis tamen locis, & causis; tunc vnus non citat in causis, vel locis alterius; secùs si cōstituit plures, vel simpliciter, vel insolidum absque diuisione locorum, vel causarum; quia tunc vnus vel præuenit, vel non, potest citare sine alijs, eo modo, quo supra dictum est de delegato.

Sicut enim possunt dari plures Procuratores, Actores, Tutores, Curatores, & Administratores; ita etiā possunt dari plures Iudices, & plures Vicarij, siuè generales, siuè foranei, & tàm insolidū creari possunt, quàm simpliciter, & pro parte: *gloss. 2. in Clem. & si principalis, de rescr.* & ibi *Card. nu. 3.* cū alijs adductis per *Sbrozz. de off. vic. lib. 1. q. 50. per tot.*

88 Mortuo Episcopo Capitulū succedit in iurisdictione spirituali, & temporali: *cap. si Episcopus, & cap. fin. de supplen. neglig. prælat. cap. vn. de maior. & obed. in 6. Io. Franc. Leo in thesauro fori ecclesiast. par. 1. c. 10. de Vicarijs, num. 7.*

89 De iure cōmuni Capitulū Sede vacante non tenetur cōstituere Vicarium; sed per se potest iurisdictionē exercere,

est tamen vtile constituere vnum Vicarium, propter cōtradictionem, & absentiam multorum: vt declarant *Doct. in cap. irrefragabili, de off. ordin.* vbi *Abb. col. 2.* & in *cap. cùm olim, de maior. & obed. vbi Felin. num. 9.*

90 Et pariter de iure communi Capitulum Sede vacante potest constituere plures Vicarios æquè principales, siuè vnum generalem, & alium foraneum; seù vnum principalem, & alterum inferiorem; *Pauin. de off. & pot. Capit. sede vac. part 2. quæst. 10. num. 6. Io. And. in cap. tua, de off. deleg. Steph. Quaran. in suo compend. Bullarij,* in verbo *Capitulum Sede vacan. num. 9. Sbrozz. de off. Vic. lib. 1. quæst. 50. nu. 3.*

Sed ex dispositione *Sacr. Conc. Trid. cap. 16. Sess. 24. de reform.* Capitulum Sede vacante debet officialem, seù Vicarium, intra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare, qui sit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs idoneus: etsi secùs factū fuerit, huiusmodi deputatio deuoluitur ad Metropolitanum; vt in eo.

Et quod vnum debeat deputare, & non plures, sæpiùs respondit *Sac. Congr. Concilij*; quæ etiam declarauit non tollere consuetudinem, præsertim immemorabilem deputādi duos, aut plures.

91 Hic nota vnum, quod capitulum Sede vacante nō potest conferre beneficia spectātia ad collationem Episcopi; quia illorum dispositio est reseruata futuro Episcopo: *cap. vnico, §. cùm. verò, nè Sede vacante, in 6.* & hodie Sedi Apostolicæ, vsque ad diem pacificæ possessionis Episcopatus, est reseruata per *reg. 2. Cancel.*

Sed quia contingit Sede Episcopali vacante, vt debeat parochialium vacantium, & reseruatarum fieri concursus, & transmitti ad Sedem Apostolicam iuxta *constitution. Pij Quinti.*

92 Quæro in casu, quo duo essent constituti Vicarij per Capitulum, an talis concursus valeret, an verò parochialis posset impetrari ab alio, ob non factum concursum iuxta *Constitutionem Pij Quinti*; respondeo dubium non esse, quin de iure Capitulum, seù Vicarius posset facere huiusmodi concursum; quia concursū facere iurisdictionis est: *gloss. in cap. dilectus,* in verbo de

de lege iurisdictionis, & ibi *Doctores, de off. ord. Rot. in recent. decis. 632. nu. 4. par. 2.*

93 Sed punctus staret, quia ex quo Capitulum deputauit plures Vicarios, nulliter egit; & deputatio vnius deuoluta esset ad Metropolitanum: iuxta prædictam Concilij dispositionem. Sed ex quo dicti Vicarij fuerunt habiti, & reputati pro legitimis Vicarijs, nónè intraret dispositio *l. Barbarius, ff. de off. Præt.* quod cõmunis error facit ius, & præfertur veritati?

94 Et puto quod non; quia communis error debet habere causam ab habente iurisdictionem: *Couar. var. pract. quæst. cap. 19. nu. 5. Seraph. decis. 147. nu. 1.* sic enim ille Barbarius seruus fuit deputatus Prætor, tanquam liber, à Magistratu, qui officium conferre potuerat; sed in hoc casu error haberet causam à Capitulo non habente facultatem deputandi plures, quàm vnũ: & deputando plures facultas deputandi deuoluta fuisset ad superiorem.

95 Aliud nota, quod si duo Vicarij essent, vel per Episcopum deputati, vel per Capitulum, stante immemorabili consuetudine, quod si vnus, absque mẽtione aliorum proposuisset edictum pro cõcursu ad comparendum coram eo, & postcà fuisset factus cõcursus coram alio, talis concursus esset nullus ex defectu edicti; quando enim ex pluribus delegatis vnus citat ad comparendum coram se, & collega, si comparet coram collega, processus est nullus; quia ille non citauit *Rot. in nou. decis. 2. de off. deleg. & dixi supra cap. 8. num. 253.*

96 Decretum igitur citationis fieri nequit ab eo, qui non habet iurisdictionẽ, & eius exercitium; & ideò quilibet Iudex etiam pedaneus, & delegatus ab inferiore, potest citare, quia habet iurisdictionem, licet nõ habeat merum, neque mixtum imperium, iuxta modum tamen suæ iurisdictionis, videlicet per se, vel per Nuncium, siuè verbo, siuè per Epistolam, non autem per edictũ, vel realiter per capturã: *l. sancimus*, & ibi *gloss.* in verbo *non citati, C. de iud.* & ibidem not. *Doct. Soc. de cit. art. 4. sub n. 5. versi. tu verò dic, quod quilibet Iudex pedaneus.*

97 Arbiter autem, quia non habet iurisdictionem, ideò nõ

potest citare, sed quodammodò intimare, & requirere partes. *Bal. in l. 2. C. quom. & quando Iud. nu. 8. Soc. de citat. dicto art. 4. sub num. 5. vers. idem etiam de arbitris compromissarijs*; ad *text. in l. sicuti tribus, ff. de recept. arbitr.* vbi notat *Bal. reprobata sententia glossa ibidem. Blanc. de comprom. q. 8. num. 4. vsque 8.* sed quod arbitri statutarij habeant iurisdictionem, & dicantur propriè citare, vide *Blanc. d. quæst. 8. nu. 13.* adde *Bal. in l. 2. C. quom. & quando Iud. num. 8.* & quia non habent territorium citãt vel in loco cõpromissi, vel in loco electo per partes, vel in loco propinquo: *l. si cùm dies, §. si arbiter, ff. de arbitr.*

98 Sic etiam par nõ potest citare parem; quia par in parem non habet imperium: *cap. innotuit, de elect. l. ille à quo, §. tempestiuũ, ff. ad Trebell.* & is qui citat debet esse superior; quia citatio præsupponit iurisdictionem, & superioritatem; & ideò par non citare, sed requirere dicitur parẽ, & admonere vt veniat; vt not. *Doct. in cap. cũ causa, de off. deleg.* vbi *gloss. 1 vers. item qualiter*, dicit quod vnus delegatus non potest citare condelegatũ: sed admonere, & rogare, vt veniat.

99 Sic etiam citationes, quæ fiunt Canonicis, vt intersint electioni, non sunt citationes; sed denunciationes: *Innoc. in cap. cùm nobis, sub num. 2. de elect.* & dictũ est supra *cap. 10. n. 560.* sed latiùs in *cap. 1. n. 9.* vbi quod requisitio adiuncti non est citatio, & hac eadem ratione, si iurisdictio est insolidum apud plures filios, & hæredes vnius Domini, seù comitis, vnus non potest alterũ punire delinquentem: *Bar. in l. fin. nu. 3. ff. de rer. diuis.*

100 Et in tantũ citatio pendet à iurisdictione, quod per citationem factam in tali loco, secuta post modum citatorum comparitione, probatur quasi possessio, & finis iurisdictionis: *Felin. in cap. cùm causã, de probat. per cap. licet. eod. tit. & cap. dilecto, de offic. Archid. Hieron. de Monte, de fin. regun. cap. 52. nu. 4.* sed quando non doceretur de citationum, seu monitionum executione, & citatorum comparitione, tales citationes censerẽtur actus turbatiui, ex quibus nullatenus quasi possessio iurisdictionis probaretur: *Rot. post consil. Farinac. decis. 105. nu. 4. & 5. part. 1.*

Hic

101 Hic aduerte ad vnam decisionem nouiter impressam in *par.6.diuers.* quæ est *dec.36.* quia in ea ponuntur tres conclusiones; quæ si absolutè, & indistinctè intelligerentur, cōfunderent plura, quæ hactenus firmauimus: prima est sub *num.13.* vbi dicitur, quod citationes, quæ fiunt in principio iudicij, non requirunt causæ cognitionem, & quod possunt fieri etiam ab illo, qui non haberet iurisdictionem: alleg. *Innoc. in cap. cùm contingat, de rescript.* & *cap. prudentiam, de off. deleg. & cap. licet, de accusat.*

102 Secunda conclusio est *sub nu.14.* vbi dicitur, quod eædē citationes, quę emanāt in principio iudicij, possūt fieri extra territorium argumēto eorum, quæ notat *Domin. de S. Gemin. in cap. nouit, de off. deleg.* & dicit, quod ita cōcludit *Calder. cōs. 2. in fi. de elec. vers. itē in talibus,* & quod benefaciūt not. per *Bar. in l.1. §. nunciatio, nu.30. ff. de nou. oper. nunc. & in cons. 164. lib.1.* & successiuè allegat *Rot. decis. 1. de fer. in nou. & Cassad. decis. 5. de dol. & contum.*

Tertia cōclusio est sub *n.15* vbi dicitur, quod citatio, quæ est decreta extra territorium valet; quia non attenditur locus vbi est decreta; sed locus pro quo fit ad comparendum; & allegat *Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.39. & 61.*

Aduerte, inquā, quia prima conclusio verificatur solùm in citationibus extraiudicialibus, non autem in iudicialibus, quæ valdè differunt; vt supra declarauimus in *cap.7. num.106. vers. de citatione iudiciali, & extraiudiciali*; nàm *Innoc. in alleg. cap. cùm contingat, sub n.4.* dū dicit, quod in dandis dilationibus exigitur causæ cognitiō; secùs in citationibus. intelligit de citationibus impropriè: loquitur. n. de executoribus, quorum proprium non est citare; sed intimare, inhibere, & exequi; pro quibus agendis causæ cognitio non exigitur; sed citare solius est Iudicis: *Ioan. And. in cap. statutum, nu.10. de rescr. lib.6. & notaui supra cap.1 num.10.* & sanè si citatio fieri posset à nō habēte iurisdictionem esset actus frustatorius, qui non comparentem reddere contumacem, eumque citās mulctare nequiret; quod est cōtra iuris dispositionem: *l.2. ff. si quis in ius vocatus non ierit.*

Eodem modo loquitur *Innocent.* de citatione impropriè sumpta: *in alleg. cap. prudentiam, in princ.* dùm dicit in hęc verba. *Sed hac ratio non placet, quia ibi non loquitur de citatione, quae benè fit sine causa cognitione, sed de dilatione danda ad testes recipiendos.* noto enim illud relatiuum, quæ, quod nō semper declarat; sed aliquando restringit, secundum quod qualitas relatoria, vel omnibus competit, vel non: *l. ea tamen. adiectio, ff. de leg. 3. Doct. in §. ius autem ciuile, instit. de iure naturali gent. & ciu.* vndè non potest ex dictis verbis *Innoc.* colligi declaratiuè, quod omnis citatio fiat sine causæ cognitione; sed restrictiuè, quod ea citatio, quæ fit sine causæ cognitione, sit quid diuersum ab ea dilatione, quæ non datur sine causæ cognitione.

103 Citatio. n. quando fit in præsentia, & in contradictione partium, tunc requirit causæ cognitionem; & ideò tunc fieri non potest die feriato, tanquam sit actus iudicialis, & contentiosæ iurisdictionis: *Cyn. in l. dies festos,* & in *l. à procedente, ff. de fer. Bellam. decis. 649. num. 5.* & latiùs *dictum est supra cap. 10. num. 200.*

Sed quando fit in absentia partis, & sine altercatione, tunc est actus extraiudicialis, & voluntariæ iurisdictionis, & fieri potest extra territorium, & in die feriato, & non requirit causæ cognitionem; *l. actus, C. de ferijs, Rot. in nou. decis. vn. de fer.* & dictum est supra *dict. cap. 10. sub num. 200.* sed quod tunc etiam ex parte Iudicis in decernenda citatione contra absentem requiratur aliqua causæ cognitio; nempè an talis citatio cum tali termino, & ad talem locum, & contra talem, sit decernenda; declarāt *Doct. in cap. fin. de ferijs,* vbi *Butr. & Abb. sub num. 20.* & dictum est supra *dict. cap. 10. num. 217.*

104 Secunda pariter cōclusio in *dicta decis.* posita, quod eædem citationes, quæ emanant in principio iudicij, possunt fieri extra territorium, verificatur dumtaxat in citationibus extraiudicialibus; nàm *Calderin.* in eadem *decis.* alleg. in *dict. cons. 2. de elect.* loquitur in casu, quo Plebanus cōmisit edictum super Ecclesia sita in suo plebanatu; & electionem confirmauit in Ecclesia Cathedrali sine Diœcesani licen-

centia; & distinguendo inter actus iurisdictionis contentiosæ, & voluntariæ; dicit istos fieri posse in alieno territorio, alios autem non; & nos etiam superiùs diximus hoc eodem capite, & non dicit absolutè citationes in principio iudicij posse fieri extra territorium; sed declarat, quod citationes, quæ fiunt in principio iudicij, possunt esse iudiciales, & non iudiciales, & quod istæ non requirũt causæ cognitionem, & fieri possunt extra territorium, & etiam à non habente iurisdictionem; illæ autem nõ; vt latiùs per eum.

Et *Bar.* in eadem *decis. alleg. in d.l. 1. §. nunciatio, sub nu. 30. ff. de nou. oper. nunc.* non dicit citationem fieri posse in territorio alieno; sed loquitur strictè de citatione facienda in vim commissionis, quæ aliam causæ cognitionem nõ requirit; & ideò potest fieri in die feriata in honorem hominum non autem in honorem Dei, de qua 1e latiùs diximus supra *cap. 10.*

105 Et idem *Bar.* in eadem *decis.* allegatus in *dicto cons. 164.* loquitur de citatione, quæ fit parte absente, & dicit necessarium non esse, vt committatur à Iudice sedente pro tribunali: interlocutoria .n. quę non requirit causæ cognitionem, potest proferri etiam parte absente; *l. diem proferre, in princip. ff. de arbitr.* & quod interlocutoria de citãdo possit fieri parte absente; dicitur in *l. sed interpellatur, §. arbiter, ff. eodem tit. de arbitr.* non autem dicit, quod possit fieri interlocutoria de citando, in territorio alieno.

Et *Rot. in decis. vn. de fer. in nou. alleg. in d. decis.* de qua agimus, pariter distinguit inter citationem, quæ debet fieri cum causæ cognitione, & dicit, quod tunc est actus iudicialis, & fieri non potest die feriato, & inter citationem, quæ potest fieri sine causæ cognitione, & dicit quod, tanquam actus extraiudicialis, potest fieri quocunque tempore, sed non dicit posse fieri quocunque loco, & extra territorium.

Tandem *Caßad. decis. 5. de dol. & cont. alleg. in eadem dec.* nullum verbum facit, quod citatio possit fieri extra territorium; sed hoc tantùm dicit, quod citatio decreta tempore audientiarum: potest etiam exequi tempore vacãtiarum;

&

& quod si sit decreta tempore vacantiarum, potest exequi tempore audientiarum; vt per eum.

106 Itaque pro intelligentia huius secundæ conclusionis, quod primę citationes possint fieri extra territorium, distinguendum est, inter Iudicem delegatum, & ordinarium, et executorem.

107 Delegatus .n. non habet territorium; sed suam iurisdictionem potest exercere in toto territorio delegãtis, cuius vices gerit: *Felin. in cap. fin. nu.* 1. *de for. compet.* et dictum est supra *cap.* 9. *num.* 33. & in eo loco per delegantem iussus censetur iudicare, quo solet iudicari sine incommodo partium: *l. si locus. ff. de Iud.* quod si delegatus sit in certo loco, non potest extra illum locum citare partes, neque de causa sibi commissa cognoscere; nisi ad id expressus earundem partium consensus accesserit: *cap. statutũ, §. in nullo, de rescr. in* 6. & si cõmittatur, potest etiam delegatus Papæ citare vltra duas dictas, extra prouinciã; est .n. Papa Vicarius illius, cuius est terra, & plenitudo eius: *gloss. in Clem.* 1. *de Iud.* in verbo *vndecunque*.

108 Ordinarius verò habet suũ territorium, & illius fines non potest excedere; *l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud.* aliàs. n. esset turbare alterius iurisdictionẽ; ad dicta supra *in cap.* 6. *nu.* 48. *& seqq.*

109 Sed executor merus non habet iurisdictionem; nec territorium, neque citare dicitur; sed intimare, denũciare, & requirere; ideò in quouis territorio id faciat non, censetur iurisdictionis actum exercere, nec alienam iurisdictionem perturbare; addicta supra *in cap.* 1. *num.* 10. *& hoc eodem capite*.

110 Tertia, & vltima eiusdem decisionis conclusio est, quod citatio decreta extra territorium valet: quia non attenditur locus vbi decreta est; sed locus, pro quo fit ad comparendum: & allegatur *Vant. de nullit. ex defect. citat. nu.* 39. & 61. qui reuera ibidem nihil dicit de hoc.

111 Pro intelligẽtia igitur huius cõclusionis distinguendum est, si Iudex vnius territorij reperitur in alieno territorio, potest committere citationẽ cõtra suum subditũ exequendam in suo territorio; quia tunc facit actum voluntariæ iuris-

iurisdictionis, quando fit absque partium contradictione; secùs si in contradictorio; quia tunc est actus iurisdictionis contentiosæ: *Bellam. dec.649. nu.4. 5. & 7.* & dictum est supra *hoc eodem capite*.

112 Sic etiam si Nuncius reperitur in alterius territorio, potest citationem ad comparendum in territorio sui Iudicis, exequi; quia facit actum extraiudicialem, qui valere debet, cùm sit collatus in locum congruum, ad dicta per *Oldradum conf. 88. num.2. & tex.est in l. fin. C.de off Praefect. vrb. & in l. omnes, 31. §. executoribus, vers. verum si apparitor, C.de Episc. & Cler.* & dictum est supra *cap.10.nu.210.*

113 Si verò Iudex existens in proprio territorio vult committere cõtra suum subditum citationem exequendam in alieno territorio, hoc facere non potest sine licentia Iudicis illius territorij: *Abb. in cap. P. & G. num.15. vers. aut volunt partes, de off. & potest. Iud. deleg.* & latè dictum est supra *cap.5. num.15. & cap.6. nu.48. & latiùs hoc eodem capite.*

114 Pro prædictorum confirmatione; addo *Felin. in cap. licet ratione delicti, de for. cõpet.* qui sub num. 1. sequens *Doctr. Angeli in sua disputat. incip. Bononiensis*; firmat regulam de reali citatione, vt fieri nequeat extra territorium: *cap. postulasti, de for. compet. l. cùm vnus, §. fin. ff. de bon. auth. Iud. possid.* & de citatione verbali ponit conclusionem, quod fieri non potest extra territorium, quã limitat decem modis.

115 Primo quãdo subditus est extra territorium, & vel latitat, vel ad locum non est tutus accessus; quia tunc potest citari per edictum; quæ citatio expeditur in territorio, & arctat existentem extra territorium.

Secundo, quãdo iurisdictio citantis non est coarctata certo loco, & ponit exemplum in Comitibus Palatinis, qui per totum Romanum imperiũ habent potestatem legitimandi naturales, & spurios; nam si Comes vult legitimare aliquẽ in sua Ciuitate, potest citare coniunctos existentes extra territorium illius Ciuitatis.

Tertio vbi iurisdictio citãtis nulli cohæret territorio, vt in Iudice delegato: *cap. cũcta, 9. quæst.3.* Sed mihi videtur, quod hæc fallentia sit eadem cum præcedenti, sed dũo

sunt

capturam personæ, dicit quod non potest fieri extra territorium citantis: *cap. si Episcopus, de off. ordin. in 6. & dict. cap. Romana, §. contrahentes, de for. compet. eodem lib. 6. Clem. pastoralis, de re iud. in princ.* ibi *si quando veniret in suam, & imperij fortiam*.

119 Sed quoad executionem citationis verbalis, ita distinguit, aut est talis, quæ designat citantem habere iurisdictionem in loco, vbi fit talis citatio, sicut est ea citatio, quæ fit per præconem cum tuba, & non potest fieri extra territorium.

120 Quia missio præconis est quoddam signum iurisdictionis: vt not. *gloss. in cap. quod Clerici, de for. competen. Innoc. in cap. dilectus, de cappell. monach.*

Si verò est talis, quæ non designat Iudicem habere iurisdictionem in loco, vtputà quia simpliciter vocatur, vt veniat ad Iudicem.

121 Et tunc si est Iudex ratione domicilij, potest citare extra territorium, & ratio est; quia iste non habet alium Iudicem, per quem possit citari.

122 Si verò est Iudex ex accidenti, ratione scilicet delicti, vel contractus; & tunc, Aut locus, in quo debet fieri citatio, non est eiusdem iurisdictionis vniuersalis; sed differunt ratione maioritatis, & tunc citare non poterit; sed debet requirere Iudicem illius territorij; & iste est proprius casus in *Clem. pastoralis, de re. iud.*

123 Nàm Imperator non potest citare in terris de temporali iurisdictione Ecclesiæ, quia sunt diuersæ iurisdictionis vniuersalis, & maioris, Aut differt in iurisdictione vniuersali, sed minori, & tunc posset.

124 Vndè Papa, qui est Vicarius Christi, cuius est vniuersus orbis: *cap. tua, de decim. lib. 6.* potest citare in terris imperij. conclusio est *Bar. in l. 1. ff. de req. reis, & in extrauag. ad reprim.*

125 Si autem nõ differunt iurisdictione vniuersali, vt quia vnus Episcopus vult citare in Diœcesi alterius, vel vnus Iudex sæcularis in iurisdictione alterius sæcularis, quorum quilibet subest imperio, & tũc si vult citare ad finem distringendi bona, quæ sunt in territorio citantis, potest citare: item si ad finem distringendi bona alterius territorij, & potest,

test, dùm tamen ipse decernat, & alius in possessionem mittat; vt in eodē §. *contrahentes*. At si vult citare in alieno territorio ad finem afficiendi personam, propter contumaciam, tunc si antequam reus de territorio exiret, fuit citatus; tunc Iudex quia præuenit in citando, poterit illum excommunicare, non obstante quod se absentauerit; vt notat *Innoc. in cap. fin. de foro competen.* & in *cap. prætereà, de dilat. in gloss. magna*; Si autem quis exiuit territorium antequam fuerit citatus; tunc Iudex illius territorij, quia non præuenit in citando, non poterit illum citare, neque excommunicare existētem in alieno territorio; quia tunc non esset contumax; & si non esset contumax nō potest excommunicari: *cap. sacro, de sentent. excom.*

Sed quando agitur ad effectum afficiēdi personam propter delictum tantū, vt ex eo puniatur; & tūc, si potest procedi ad sentētiam diffinitiuam in absentem, valebit citatio, ex quo territoria non differūt in iurisdictione vniuersali, licet differant in particulari, & iste est proprius casus extrauagantis ad reprimendū; & ita intelligit eam *Bart.* ibi, & facit *text. in cap. veritatis, de dolo, & cont.* quod si nō potest procedi ad sententiam diffinitiuā; nō prodest citatio, quoad hūc effectum: iuxta *not. in dict. cap. veritatis*; & hæc est distinctio *Gemin. in d. cap. Romana, §. contrahentes, num.* 14. *de for. compet. lib.* 6. quam ibidem ponit etiam, & sequitur *Franc. n.* 10. *& seqq.*

126 Adde quod citatio ad effectum imponendi pœnam afflictiuam, potest fieri, seù notificari in alieno territorio per Nuncium, quando illa pœna imponitur à iure communi, vt quia statim lex imponit pęnam infamiæ delinquenti; *cap. infames, 3. quæst.* 7. & ratio est; quia illa imponitur à iure cōmuni, cui omnes subsūt *cap.* 1. *de constit.*

Et idem si sentētia habet executionem à iure, quoad actū priuationis, sicut quādo propter delictum Clericus beneficio priuatur; *cap. tua, de Cleric. non residen.* quia quantum ad priuationē ipso iure trahit secum executionem facti; *cap. postulasti, de foro compet.*

127 Sed secùs esset si requireret executionē hominis minis

est tamen vtile constituere vnum Vicarium, propter cõtradictionem, & absentiam multorum: vt declarant *Doct. in cap. irrefragabili, de off. ordin.* vbi *Abb. col. 2.* & in *cap. cùm olim, de maior. & obed.* vbi *Felin. num. 9.*

90 Et pariter de iure communi Capitulum Sede vacante potest constituere plures Vicarios æquè principales, siuè vnum generalem, & alium foraneum; seù vnum principalem, & alterum inferiorem; *Pauin. de off. & pot. Capit. sede vac. part 2. quæst. 10. num. 6. Io. And. in cap. tua, de off. deleg. Steph. Quaran. in suo compend. Bullarij*, in verbo *Capitulum Sede vacan. num. 9. Sbrozz. de off. Vic. lib. 1. quæst. 50. nu. 3.*

Sed ex dispositione *Sacr. Conc. Trid. cap. 16. Sess. 24. de reform.* Capitulum Sede vacante debet officialem, seù Vicarium, intra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare, qui sit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs idoneus: etsi secùs factũ fuerit, huiusmodi deputatio deuoluitur ad Metropolitanum; vt in eo.

Et quod vnum debeat deputare, & non plures, sæpiùs respondit *Sac. Congr. Concilij*; quæ etiam declarauit non tollere consuetudinem, præsertim immemorabilem deputãdi duos, aut plures.

91 Hic nota vnum, quod capitulum Sede vacante nõ potest conferre beneficia spectãtia ad collationem Episcopi; quia illorum dispositio est reseruata futuro Episcopo: *cap. vnico, §. cùm. verò, nè Sede vacante, in 6.* & hodie Sedi Apostolicæ, vsque ad diem pacificæ possessionis Episcopatus, est reseruata per *reg. 2. Cancel.*

Sed quia contingit Sede Episcopali vacante, vt debeat parochialium vacantium, & reseruatarum fieri concursus, & transmitti ad Sedem Apostolicam: iuxta *constitution. Pij Quinti.*

92 Quæro in casu, quo duo essent constituti Vicarij per Capitulum, an talis concursus valeret, an verò parochialis posset impetrari ab alio, ob non factum concursum; iuxta *Constitutionem Pij Quinti*; respondeo dubium non esse, quin de iure Capitulum, seù Vicarius posset facere huiusmodi concursum; quia concursũ facere iurisdictionis est: *gloss. in cap. dilectus*, in verbo

de

de lege iurisdictionis, & ibi *Doctores, de off. ord. Rot. in recent. decis.632. nu.4. par.2.*

93 Sed punctus staret, quia ex quo Capitulum deputauit plures Vicarios, nulliter egit; & deputatio vnius deuoluta esset ad Metropolitanum: iuxta prædictam Concilij dispositionem. Sed ex quo dicti Vicarij fuerunt habiti, & reputati pro legitimis Vicarijs, nonne intraret dispositio *l. Barbarius, ff. de off. Præt.* quod communis error facit ius, & præfertur veritati?

94 Et puto quod non; quia communis error debet habere causam ab habente iurisdictionem: *Couar. var. pract. quæst. cap.19. nu.5. Seraph. decis.147. nu.1.* sic enim ille Barbarius seruus fuit deputatus Prætor, tanquam liber, à Magistratu, qui officium conferre potuerat; sed in hoc casu error haberet causam à Capitulo non habente facultatem deputandi plures, quàm vnũ: & deputando plures facultas deputandi deuoluta fuisset ad superiorem.

95 Aliud nota, quod si duo Vicarij essent, vel per Episcopum deputati, vel per Capitulum, stante immemorabili consuetudine, quod si vnus, absque mẽtione aliorum proposuisset edictum pro cõcursu ad comparendum coram eo, & posteà fuisset factus cõcursus coram alio, talis concursus esset nullus ex defectu edicti; quando enim ex pluribus delegatis vnus citat ad comparendum coram se, & collega, si comparet coram collega, processus est nullus; quia ille non citauit *Rot. in nou. decis.2. de off. deleg. & dixi supra cap.8. num.253.*

96 Decretum igitur citationis fieri nequit ab eo, qui non habet iurisdictionẽ, & eius exercitium; & ideò quilibet Iudex etiam pedaneus, & delegatus ab inferiore, potest citare, quia habet iurisdictionem, licet nõ habeat merum, neque mixtum imperium, iuxta modum tamen suæ iurisdictionis, videlicet per se, vel per Nuncium, siuè verbo, siuè per Epistolam, non autem per edictũ, vel realiter per capturã: *l. sanctimus*, & ibi *gloss.* in verbo *non citati, C. de iud.* & ibidem not. *Doct. Soc. de cit. art.4. sub n.5. vers. tu verò dic, quod quilibet Iudex pedaneus.*

97 Arbiter autem, quia non habet iurisdictionem, ideò nõ

 potest

potest citare, sed quodammodò intimare, & requirere partes. *Bal. in l. 2. C. quom. & quando Iud. nu. 8. Soc. de citat. dicto art. 4. sub num. 5. vers. idem etiam de arbitris compromissarijs*; ad *text. in l. sicuti tribus, ff. de recept. arbitr.* vbi notat *Bal. reprobata sententia glossa ibidem. Blanc. de comprom. q. 8. num. 4. vsque* 8. sed quod arbitri statutarij habeant iurisdictionem, & dicantur propriè citare, vide *Blanc. d. quæst. 8. nu. 13.* adde *Bal. in l. 2. C. quom. & quando Iud. num.* 8. & quia non habent territorium citāt vel in loco cōpromissi, vel in loco electo per partes, vel in loco propinquo: *l. si cùm dies, §. si arbiter, ff. de arbitr.*

98 Sic etiam par nō potest citare parem; quia par in parem non habet imperium: *cap. innotuit, de elect. l. ille à quo, §. tempestiuū, ff. ad Trebell.* & is qui citat debet esse superior; quia citatio præsupponit iurisdictionem, & superioritatem; & ideò par non citare, sed requirere dicitur parē, & admonere vt veniat; vt not. *Doct. in cap. cū causa, de off. deleg.* vbi *gloss. 1 vers. item qualiter*, dicit quod vnus delegatus non potest citare condelegatū; sed admonere, & rogare, vt veniat.

99 Sic etiam citationes, quæ fiunt Canonicis, vt intersint electioni, non sunt citationes; sed denunciationes: *Innoc. in cap. cùm nobis, sub num. 2. de elect.* & dictū est supra *cap. 10. n. 560.* sed latiùs in *cap. 1. n. 9.* vbi quod requisitio adiuncti non est citatio, & hac eadem ratione, si iurisdictio est insolidum apud plures filios, & hæredes vnius Domini, seù comitis, vnus non potest alterū punire delinquentem: *Bar. in l. fin. nu. 3. ff. de rer. diuis.*

100 Et in tantū citatio pendet à iurisdictione, quod per citationem factam in tali loco, secuta postmodum citatorum comparitione, probatur quasi possessio, & finis iurisdictionis: *Felin. in cap. cùm causā, de probat. per cap. licet. eod. tit. & cap. dilecto, de offic. Archid. Hieron. de Monte, de fin. regun. cap. 52. nu. 4.* sed quando non doceretur de citationum, seu monitionum executione, & citatorum comparitione, tales citationes censerētur actus turbatiui, ex quibus nullatenus quasi possessio iurisdictionis probaretur: *Rot. post consil. Farinac. decis. 105. nu. 4. & 5. part. 1.*

Hic

101 Hic aduerte ad vnam decisionem nouiter impressam in *par.6.diuers.* quæ est *dec.36.* quia in ea ponuntur tres conclusiones; quæ si absolutè, & indistinctè intelligerentur, cõfunderent plura, quæ hactenus firmauimus: prima est sub *num.13.* vbi dicitur, quod citationes, quæ fiunt in principio iudicij, non requirunt causæ cognitionem, & quod possunt fieri etiam ab illo, qui non haberet iurisdictionem: alleg. *Innoc. in cap.cùm contingat, de rescript.* & *cap. prudentiam, de off. deleg. & cap. licet, de accusat.*

102 Secunda conclusio est *sub nu.14.* vbi dicitur, quod eædẽ citationes, quę emanãt in principio iudicij, possũt fieri extra territorium argumẽto eorum, quæ notat *Domin.de S. Gemin. in cap.nouit, de off.deleg.* & dicit, quod ita cõcludit *Calder.cõs.2. in fi.de elec.vers.itẽ in talibus,* & quod benefaciũt not. per *Bar. in l.1. §.nunciatio, nu.30. ff. de nou. oper. nunc. & in cons.164. lib.1.* & successiuè allegat *Rot. decis.1.de fer.in nou. & Cassad. decis. 5.de dol. & contum.*

Tertia cõclusio est sub *n.15* vbi dicitur, quod citatio, quæ est decreta extra territorium valet; quia non attenditur locus vbi est decreta; sed locus pro quo fit ad cõmparendum; & allegat *Vant.de nullit.ex defect. citat. nu.39. & 61.*

Aduerte, inquã, quia prima conclusio verificatur solùm in citationibus extraiudicialibus, non autem in iudicialibus, quæ valdè differunt; vt supra declarauimus in *cap.7. num.106. vers. de citatione iudiciali, & extraiudiciali*; nàm *Innoc. in alleg. cap. cùm contingat, sub n.4.* dũ dicit, quod in dandis dilationibus exigitur causæ cognitiò; secùs in citationibus. intelligit de citationibus impropriè: loquitur. n. de executoribus, quorum proprium non est citare; sed intimare, inhibere, & exequi; pro quibus agendis causæ cognitio non exigitur; sed citare solius est Iudicis: *Ioan. And.in cap.statutum, nu.10.de rescr.lib.6.& notaui supra cap.1 num.10.* & sanè si citatio fieri posset à nõ habẽte iurisdictionem esset actus frustatorius, qui non comparentem reddere contumacem, eumque citãs mulctare nequiret; quod est cõtra iuris dispositionem: *l.2. ff.si quis in ius vocatus non ierit.*

Eo-

Eodem modo loquitur *Innocent.* de citatione impropriè sumpta: *in alleg. cap. prudentiam, in princ.* dùm dicit in hęc verba. *Sed hac ratio non placet, quia ibi non loquitur de citatione, quæ benè fit sine causa cognitione, sed de dilatione danda ad testes recipiendos.* noto enim illud relatiuum, quæ, quod nō semper declarat; sed aliquando restringit, secundum quod qualitas relatoria, vel omnibus competit, vel non: *l. ea tamen. adiectio, ff. de leg. 3. Doct. in §. ius autem ciuile, instit. de iure naturali gent. & ciu.* vndè non potest ex dictis verbis *Innoc.* colligi declaratiuè, quod omnis citatio fiat sine causæ cognitione; sed restrictiuè, quod ea citatio, quæ fit sine causæ cognitione, sit quid diuersum ab ea dilatione, quæ non datur sine causæ cognitione.

103 Citatio. n. quando fit in præsentia, & in contradictione partium, tunc requirit causæ cognitionem; & ideò tunc fieri non potest die feriato, tanquam sit actus iudicialis, & contentiosæ iurisdictionis: *Cyn. in l. dies festos*, & in *l. à procedente, ff. de fer. Bellam. decis. 649. num. 5.* & latiùs *dictum est supra cap. 10. num. 200.*

Sed quando fit in absentia partis, & sine altercatione, tunc est actus extraiudicialis, & voluntariæ iurisdictionis, & fieri potest extra territorium, & in die feriato, & non requirit causæ cognitionem; *l. actus, C. de ferijs, Rot. in nou. decis. vn. de fer.* & dictum est supra *dict. cap. 10. sub num. 200.* sed quod tunc etiam ex parte Iudicis in decernenda citatione contra absentem requiratur aliqua causæ cognitio; nempè an talis citatio cum tali termino, & ad talem locum, & contra talem, sit decernenda; declarāt *Doct. in cap. fin. de ferijs*, vbi *Butr. & Abb. sub num. 20.* & dictum est supra *dict. cap. 10. num. 217.*

104 Secunda pariter cōclusio in *dicta decis.* posita, quod eædem citationes, quæ emanant in principio iudicij, possunt fieri extra territorium, verificatur dumtaxat in citationibus extraiudicialibus; nàm *Calderin.* in eadem *decis.* alleg. in *dict. cons. 2. de elect.* loquitur in casu, quo Plebanus cōmisit edictum super Ecclesia sita in suo plebanatu; & electionem confirmauit in Ecclesia Cathedrali sine Diœcesani licen-

centia; & distinguendo inter actus iurisdictionis contentiosæ, & voluntariæ; dicit istos fieri posse in alieno territorio, alios autem non; & nos etiam superiùs diximus hoc eodem capite, & non dicit absolutè citationes in principio iudicij posse fieri extra territorium; sed declarat, quod citationes, quæ fiunt in principio iudicij, possunt esse iudiciales, & non iudiciales, & quod istæ non requirũt causæ cognitionem, & fieri possunt extra territorium, & etiam à non habente iurisdictionem; illæ autem nõ; vt latiùs per eum.

Et *Bar.* in eadem *decis. alleg. in d.l.1.§.nunciatio, sub nu.30. ff. de nou.oper. nunc.* non dicit citationem fieri posse in territorio alieno; sed loquitur strictè de citatione facienda in vim commissionis, quæ aliam causæ cognitionem nõ requirit; & ideò potest fieri in die feriata in honorem hominum non autem in honorem Dei, de qua re latiùs diximus supra *cap.10.*

105 Et idem *Bar.* in eadem *decis.* allegatus in *dicto cons.164.* loquitur de citatione, quæ fit parte absente, & dicit necessarium non esse, vt committatur à Iudice sedente pro tribunali: interlocutoria .n. quę non requirit causæ cognitionem, potest proferri etiam parte absente; *l.diem proferre, in princip. ff. de arbitr.* & quod interlocutoria de citãdo possit fieri parte absente; dicitur in *l.sed interpellatur, §. arbiter, ff. eodem tit. de arbitr.* non autem dicit, quod possit fieri interlocutoria de citando, in territorio alieno.

Et *Rot. in decis. vn. de fer. in nou. alleg. in d. decis.* de qua agimus, pariter distinguit inter citationem, quæ debet fieri cum causæ cognitione, & dicit, quod tunc est actus iudicialis, & fieri non potest die feriato, & inter citationem, quæ potest fieri sine causæ cognitione, & dicit quod, tanquam actus extraiudicialis, potest fieri quocunque tempore, sed non dicit posse fieri quocunque loco, & extra territorium.

Tandem *Cassad. decis. 5. de dol. & cont. alleg. in eadem dec.* nullum verbum facit, quod citatio possit fieri extra territorium; sed hoc tantùm dicit, quod citatio decreta tempore audientiarum: potest etiam exequi tempore vacãtiarum, &

& quod si sit decreta tempore vacantiarum, potest exequi tempore audientiarum; vt per eum.

106 Itaque pro intelligentia huius secundæ conclusionis, quod primę citationes possint fieri extra territorium, distinguendum est, inter Iudicem delegatum, & ordinarium, et executorem.

107 Delegatus .n. non habet territorium; sed suam iurisdictionem potest exercere in toto territorio delegātis, cuius vices gerit: *Felin. in cap. fin. nu. 1. de for. compet.* et dictum est supra *cap. 9. num. 33.* & in eo loco per delegantem iussus censetur iudicare, quo solet iudicari sine incommodo partium: *l. si locus. ff. de Iud.* quod si delegatus sit in certo loco, non potest extra illum locum citare partes, neque de causa sibi commissa cognoscere; nisi ad id expressus earundem partium consensus accesserit: *cap. statutū, §. in nullo, de rescr. in 6.* & si cōmittatur, potest etiam delegatus Papæ citare vltra duas dictas, extra prouinciā; est .n. Papa Vicarius illius, cuius est terra, & plenitudo eius: *gloss. in Clem. 1. de Iud.* in verbo *vndecunque*.

108 Ordinarius verò habet suū territorium, & illius fines non potest excedere; *l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud.* aliàs. n. esset turbare alterius iurisdictionē; ad dicta supra *in cap. 6. nu. 48. & seqq.*

109 Sed executor merus non habet iurisdictionem; nec territorium, neque citare dicitur; sed intimare, denūciare, & requirere; ideò in quouis territorio id faciat non, censetur iurisdictionis actum exercere, nec alienam iurisdictionem perturbare; ad dicta supra *in cap. 1. num. 10. & hoc eodem capite*.

110 Tertia, & vltima eiusdem decisionis conclusio est, quod citatio decreta extra territorium valet: quia non attenditur locus vbi decreta est; sed locus, pro quo fit ad comparendum: & allegatur *Vant. de nullit. ex defect. citat. nu. 39. & 61.* qui reuera ibidem nihil dicit de hoc.

111 Pro intelligētia igitur huius cōclusionis distinguendum est, si Iudex vnius territorij reperitur in alieno territorio, potest committere citationē cōtra suum subditū exequendam in suo territorio; quia tunc facit actum voluntariæ iuris-

iurisdictionis, quando fit absque partium contradictione; secùs si in contradictorio; quia tunc est actus iurisdictionis contentiosæ: *Bellam. dec.649. nu.4. 5. & 7.* & dictum est supra *hoc eodem capite*.

112 Sic etiam si Nuncius reperitur in alterius territorio, potest citationem ad comparendum in territorio sui Iudicis, exequi; quia facit actum extraiudicialem, qui valere debet, cùm sit collatus in locum congruum, ad dicta per *Oldradum consf. 88. num.2. & tex.est in l. fin. C.de off Præfect. vrb. & in l. omnes, 31. §. executoribus, vers. verum si apparitori, C.de Episc. & Cler.* & dictum est supra *cap.10.nu.210.*

113 Si verò Iudex existens in proprio territorio vult committere cōtra suum subditum citationem exequendam in alieno territorio, hoc facere non potest sine licentia Iudicis illius territorij: *Abb.in cap. P. & G. num.15. vers.aut volunt partes, de off. & potest. Iud. deleg.* & latè dictum est supra *cap.5. num.15. & cap.6. nu.48. & latiùs hoc eodem capite.*

114 Pro prædictorum confirmatione; addo *Felin. in cap. licet ratione delicti, de for. cōpet.* qui sub num.1. sequens *Doctr. Angeli in sua disputat. incip. Bononiensis*; firmat regulam de reali citatione, vt fieri nequeat extra territorium: *cap. postulasti, de for. compet. l. cùm vnus, §. fin. ff. de bon. auth. Iud. possid.* & de citatione verbali ponit conclusionem, quod fieri non potest extra territorium, quā limitat decem modis.

115 Primo quādo subditus est extra territorium, & vel latitat, vel ad locum non est tutus accessus; quia tunc potest citari per edictum; quæ citatio expeditur in territorio, & arctat existentem extra territorium.

Secundo, quādo iurisdictio citantis non est coarctata certo loco, & ponit exemplum in Comitibus Palatinis, qui per totum Romanum imperiū habent potestatem legitimandi naturales, & spurios; nam si Comes vult legitimare aliquē in sua Ciuitate, potest citare coniunctos existentes extra territorium illius Ciuitatis.

Tertio vbi iurisdictio citātis nulli cohæret territorio, vt in Iudice delegato: *cap. cūcta, 9 quæst.3.* Sed mihi videtur, quod hæc fallentia sit eadem cum precedenti, sed duo sunt

sunt diuersa exempla, vnum in Comite Palatino, & alterũ in delegato.

Quarto vbi citatio ordinatur principaliter non ad obligandum citatum, vt compareat, vel det, aut faciat; sed solùm ad effectum simplicis intimationis, ad deducendum aliquid ad notitiam: & ita Iudex, qui in suo tribunali sententiam tulit, potest illam vel per Nuncium, vel per Epistolam intimari facere: actus .n. intimationis non est pars iudicij, nec actorum; ideò quolibet tempore expeditur, & per quemcunque etiam sine mandato: *l. item veniunt, §. petitam, ff. de petit. haredit. gloss. magna in l. 1. ff. de act. empti*.

Quinto si citans omni caret iurisdictione; sed simpliciter habeat notionem: vt Arbiter. est .n. eadam ratio in eo, quæ in delegato carente territorio; *l. sed si interpellatis, & l. diem proferre, ff. de arbitris*.

Sexto vbi citatio non stat propriè in nomine citationis; sed requisitionis, vt illa, qua vtuntur Canonici volentes ad actum electionis procedere; *cap. cùm nobis olim, de elect.* & *cap. vlt. eodem tit. de elect. in 6*.

Septimo in citatione generali, quæ fit contra quoscunque sua interesse putantes, quę facta in proprio territorio extenditur etiam ad forenses: *Bald. in l. testamenta, ad fin. C. de testam.* qui dicit ita fuisse Perusij consultum per antiquos sapientes; quia potius sapit edictum, quàm citationem, & nullum terret, nec astringit, & ita citati requiruntur potius ad voluntatem exquirendam, quàm ad causam.

Octauo quando familia potestatis capit bannitum extra districtum, qui debet relaxari tanquam non legitimè captus; sed si posteà contra eũdem illegitimè captũ formetur processus, tenet quod factum est, nisi appelletur: *Bald. in l. requirendi, ad fin. C. de seru. fugit.*

Nono si prima citatio fuit facta in territorio, aliæ sequentes poterunt fieri extra territorium, & inter alios allegat *Card.* ad quem dicit recurrendum in hac materia in *Clem. pastoralis, §. vt illud, de re iud.* Decimo quando nescitur vbi reus latitet; quia in territorio ligat illum etiam extra territorium latitantem: ex *alleg. per eum*.

116 Et quia decretũ citationis ne-

nequit fieri sine iurisdictione, & ibidem Iudex nō potest citare extra territorium, cùm ibi deficiat eius iurisdictio; ideò si Nuncius contra aliquē extra territorium citationem exequeretur, non præsumeretur executio facta de mandato Iudicis, nec commissio generalis citandi posset extēdi vltra territorium, & iurisdictionem mandantis: *§. eos, in auth. de collat. Bar. in extrauag. ad reprimen.* in verbo *per Nuncium; & in l. 1. nu. 6. ff. de off. Consul. nu. 6. Rot. post tract. Cincij, de censibus, decision. 161. num. 7.*

117 Et quamuis forensis, siuè contrahens, siuè delinquens, in territorio alterius ibi forum sortiatur, tamen Iudex loci contractus, seù delicti non posset procedere, nisi requisito per litteras subsidiales Iudice loci, in quo vel cōtrahēs, vel delinquens reperiretur, vt eum vel citaret, vel caperet; qui si recusaret per superiorem esset cogendus; vt aliàs diximus. *Couar. practic. quæst. cap. 10. num. 7.* addo *Gemin. in cap. Romana, §. contrahentes, de for. competen. in 6.* qui sub *num. 12.* quærens, an Iudex contractus, vel delicti possit citare contrahentem, vel delinquentem existentes extra territorium; & relatis varijs opinionibus, sub *num. 13.* facit hanc distinctionem, quæ benè conuenit cum his, quæ supra firmauimus: Hoc.n. præmisso, quod citatio habet duo extrema, scilicet commissionem, seù interlocutoriam Iudicis de citando, quæ est iurisdictionis, & intimationem Nuncij, seù executionem, quæ est facti, dicit, quod commissio citationis nō potest fieri extra territorium, cùm ibi iudicium exercere non possit: *cap. 2. de constit. lib. 6.*

Et hoc limitat primo in casu; *Clem. quamuis, de for. cōpet.* vbi Episcopis, qui à suis sedibus proteruia impiorum sunt expulsi, indulgetur, vt in diœcesibus alienis possint contra eosdē expulsores suam iurisdictionem exercere.

Secundo limitat in citatione, quæ fit in principio iudicij, quæ potest fieri sine causæ cognitione: ad not. per *Innoc. in cap. cùm contingat, de rescr.* quando scilicet, vt supra declarauimus, fit in absentia partis, & sine contradictione.

118 Et quoad executionem citationis realis, quæ fit per

capturam personæ, dicit quod non potest fieri extra territorium citantis: *cap. si Episcopus, de off. ordin. in 6. & dict. cap. Romana, §. contrahentes, de for. compet. eodem lib. 6. Clem. pastoralis, de re iud. in princ.* ibi *si quando veniret in suam, & imperij fortiam.*

119 Sed quoad executionem citationis verbalis, ita distinguit, aut est talis, quæ designat citantem habere iurisdictionem in loco, vbi fit talis citatio, sicut est ea citatio, quæ fit per præconem cum tuba, & non potest fieri extra territorium.

120 Quia missio præconis est quoddam signum iurisdictionis: vt not. *gloss. in cap. quod Clerici, de for. competen. Innoc. in cap. dilectus, de cappell. monach.*

Si verò est talis, quæ non designat Iudicem habere iurisdictionem in loco, vtputà quia simpliciter vocatur, vt veniat ad Iudicem.

121 Et tunc si est Iudex ratione domicilij, potest citare extra territorium, & ratio est; quia iste non habet alium Iudicem, per quem possit citari.

122 Si verò est Iudex ex accidenti, ratione scilicet delicti, vel contractus; & tunc, Aut locus, in quo debet fieri citatio, non est eiusdem iurisdictionis vniuersalis; sed differunt ratione maioritatis, & tunc citare non poterit; sed debet requirere Iudicem illius territorij; & iste est proprius casus in *Clem. pastoralis, de re iud.*

123 Nàm Imperator non potest citare in terris de temporali iurisdictione Ecclesiæ, quia sunt diuersæ iurisdictionis vniuersalis, & maioris, Aut differt in iurisdictione vniuersali, sed minori, & tunc posset.

124 Vndè Papa, qui est Vicarius Christi, cuius est vniuersus orbis: *cap. tua, de decim. lib. 6.* potest citare in terris imperij. conclusio est *Bar. in l. 1. ff. de req. reis, & in extrauag. ad reprim.*

125 Si autem nō differunt iurisdictione vniuersali, vt quia vnus Episcopus vult citare in Diœcesi alterius, vel vnus Iudex sæcularis in iurisdictione alterius sæcularis, quorum quilibet subest imperio, & tūc si vult citare ad finem distringendi bona, quæ sunt in territorio citantis, potest citare: item si ad finem distringendi bona alterius territorij, & potest,

test, dùm tamen ipse decernat, & alius in possessionem mittat; vt in eodē §. *contrahentes*. At si vult citare in alieno territorio ad finem afficiendi personam, propter contumaciam, tunc si antequam reus de territorio exiret, fuit citatus; tunc Iudex quia præuenit in citando, poterit illum excommunicare, non obstante quod se absentauerit; vt notat *Innoc. in cap. fin. de foro competen.* & in *cap. præterea, de dilat. in gloss. magna*; Si autem quis exiuit territorium antequam fuerit citatus; tunc Iudex illius territorij, quia non præuenit in citando, non poterit illum citare, neque excommunicare existētem in alieno territorio; quia tunc non esset contumax; & si non esset contumax nō potest excommunicari: *cap. sacro, de sentent. excom.*

Sed quando agitur ad effectum afficiēdi personam propter delictum tantū, vt ex eo puniatur; & tūc, si potest procedi ad sentētiam diffinitiuam in absentem, valebit citatio, ex quo territoria non differūt in iurisdictione vniuersali, licet differant in particulari, & iste est proprius casus extrauagantis ad reprimendū; & ita intelligit eam *Bart.* ibi, & facit *text. in cap. veritatis, de dolo, & cont.* quod si nō potest procedi ad sententiam diffinitiuā; nō prodest citatio, quoad hūc effectum: iuxta *not. in dict. cap. veritatis*; & hæc est distinctio *Gemin. in d. cap. Romana, §. contrahentes, num. 14. de for. compet. lib. 6.* quam ibidem ponit etiam, & sequitur *Franc. n. 10. & seqq.*

126 Adde quod citatio ad effectum imponendi pœnam afflictiuam, potest fieri, seù notificari in alieno territorio per Nuncium, quando illa pœna imponitur à iure communi, vt quia statim lex imponit pęnam infamiæ delinquenti; *cap. infames, 3. quæst. 7.* & ratio est; quia illa imponitur à iure cōmuni, cui omnes subsūt *cap. 1. de constit.*

Et idem si sentētia habet executionem à iure, quoad actū priuationis, sicut quādo propter delictum Clericus beneficio priuatur; *cap. tuæ, de Cleric. non residen.* quia quantum ad priuationē ipso iure trahit secum executionem facti; *cap. postulasti, de foro compet.*

127 Sed secùs esset si requireret executionē hominis minis

terio; quia tunc nón poterit virtute huiusmodi citationis excommunicare subditũ existẽtem extra territorium: *cap. 2. de const. lib. 6.* & ratio est; quia cùm excommunicatio trahat secum executionem: *cap. pastoralis, de appellat.* ideò sicut non potest exequi actualiter in territorio alieno, ità nec ferri sententia, quæ secum traheret executionem; sed in contrarium facit; quia *Paul. Apost.* excommunicauit Corinthum absentem.

Hinc secundũ *Ant. de Butr. in cap. fin. de foro compet. lib. 6. sub num.* 14. distinguendum est, quod si executio debet fieri actualiter, tunc Iudex vnius territorij illam non potest facere in alieno territorio, quia turbaret alterius iurisdictionem.

128 Sed quando executio nõ debet fieri actualiter, prout est executio excommunicationis, quæ transit inuisibiliter, tunc fit in territorio alieno, quia adest potestas in Iudice, & iurisdictio non turbatur. atq; cùm excommunicatio trahat secum executionem, ea dicitur fieri ex dispositione iuris: *d. cap. pastoralis, de appellat.* prædicta ponit *Gemin. in d. cap. Romana, §. contrahentes, sub num. 14. de foro compet. lib. 6.*

129 Sed in hac materia, an Episcopus possit citare Clericum suæ Diœcesis existẽtem in alterius territorio; & Diœcesi, & illum excommunicare, distinguo tres casus.

130 Primus sit, si Episcopus fecit statutum, vt fur excommunicetur; & tunc pro furto extra Diœcesim commisso nõ potest excommunicare: *cap. 2 de constit. lib. 6.* ibi *statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtũ extra ipsius Diœcesim committentes minimè ligari noscuntur, cùm extra territoriũ ius dicenti nõ pareatur impune.*

131 Secundus sit, si Episcopus vult vel suum subditum, vel etiam exemptum; iuxta dispositionem *Cõc. Trid. Sess. 24. cap. 11.* excommunicare, quãdo recessit à loco delicti per eum commissi; & tunc si illum citauit antequam fugeret, poterit contra eum vti cõtumacem procedere, etiam ad excommunicationem, quamuis extra territorium existat: *Butr. in cap. fin. de foro competen. sub num. 11. vers. ex his patet, &* num.

*num.*18.vbi dicit, quod non turbatur alterius iurisdictio ex tali vinculi iniectione inuisibili; sequitur *Gemin. in d. cap. Romana*, §. *contrahentes*, *de foro compet. num.*14. *& Franc. ibidem*.

Sed si eum ante fugam non citauit, & non reddidit contumacem, non poterit illum ad effectum excõmunicationis citare in aliena Diœcęsi; sed requirẽdus est Episcopus illius loci, vt illum citet: *Couarr. pract.quaest.cap.*11. *nu.*7. *Paul. Fusc. de visitatione, lib.*2. *cap.*20. *num.*15.

132 Tertius sit casus, si Episcopus existens extra Diœcesim vult excommunicare, suum subditum in Diœcesi sua existentem, tunc si procedit extraiudicialiter, & per modum volũtariæ iurisdictionis, potest; secùs si iudicialiter per modum cõtentiosæ iurisdictionis: *Felin. in rubr. de sententia excommunicationis, n.*2. *circa fin. Bald. in l.*1. *C. de iur. annul. aureorum, sub num.*5. *& dictum est supra hoc capite*, *num.*39.

133 Modo quæro an & quãdo absque citatione possit incurri excommunicatio, & dico quod excommunicatio separat à Deo, separat ab Ecclesia, & separat à communione, & consortio fidelium; quoad Deum; dicit *Abbas in cap. veritati, de dolo, & contum. nu.*44. quod aut excõmunicatus meretur, & tunc is seipsum per peccatũ separauit à Deo: aut non meretur; & non separatur à Deo: vndè sequitur, vt quo ad hunc effectum excommunicationis nulla monitio, citatiouè sit necessaria, cùm per peccatum seipsum quis à Deo separet.

Quoad Ecclesiam verò nemo per se ipsum propter delictũ separat se ab ea, & quoad istum effectum dicitur potius declaratio excommunicationis, quam excommunicatio, & quãdo Ecclesia excommunicat, tunc declarat illum excommunicatum, & vti talem separat ab Ecclesia: *gloss. in capit. quodcunque*, in verbo *facit. Ecclesia*, 24. *quaestion.*1. *Abb. in d. cap. veritatis, nu.*44. *de dolo*, *& cont.* & ad hunc effectum separationis ab Ecclesia requiritur citatio, seù monitio: *cap. sacro, de sententia excommunicationis*, ibi *ne quis in aliquam excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis*

præsentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat; & competens monitio, seù citatio debet esse trina, vel vna pro omnibus cum termino cõpetenti: *cap. constitutionibus, de sentẽtia excommunicationis, in 6.* ibi *Iudices, siuè monitionibus tribus vtantur, siuè vna pro omnibus obseruent aliquorum dierum competentia interualla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda*.

Quo denique ad separationem à cõsortio, & communione fidelium pariter citatio requiritur: *cap. statuimus, & cap. constitutitionibus, de sententia excomm. in 6.* & quod ad hoc, vt quis censeatur excommunicatus requiratur declaratoria, & citatio partis, dictum est supra *latè in cap. 5. num. 68. cum seqq.*

134 Notat *Rota in ant. dec. 10. de sentent. excomm.* quod excõmunicatio debet fieri monitione præcedente; si tamen feratur nõ præcedente monitione tenet, quod ait esse verum si feratur per ordinariũ; secùs si per delegatum.

135 At *Felin. in cap. Rodulphus, num. 41. vers. citatur etiam pars, de rescr.* ait quod nihilominus sententia declaratoria incursus excommunicationis à iure latæ, si non præcessit citatio partis, est nulla; quia debet discuti factum, & præmitti causæ cognitio, & partis citatio, & non sufficeret factum esse notorium; quia nihilominus pars esset citanda; quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt, & factum deberet esse tale, vt nullatenus posset excusari; ex alleg. per eundẽ, & ex adductis per *Fanc. in cap. peruenit, num. 11. & seqq. de appellat.* & est *tex. in cap. cùm secundum, de hæretic. in 6.* ibi *antequam sentẽtia super eodem crimine fuerit promulgata*.

136 Quæro insuper an pro absolutione ab excõmunicatione requiratur citatio *gloss. in cap. excõmunicatos, 11. quæst. 3.* distinguit, si Iudex aliquem excommunicauit, ad querelam alterius; non absoluet eũ, antequam ab aduersario intelligatur; si non ad alterius querelã tunc superior potest ipsũ statim absoluere.

Sed plenius dicamus, quod excõmunicatio, quãdo fit extraiudicialiter; est quãdo cẽsura fertur iudicialiter est sentẽtia; non tamen diffinitiua; quia non est perpetua; sed interlocu-

cutoria; quia poteſt reuocari habet tamen vim diffinitiuè, quando fertur prçcedēte cauſæ cognitione: vt per *Put.deciſ.* *123.n.1.& deciſ.388.n.4.lib.2.* & ideò ſi fertur ad fauorē partis, abſque eius citatione reuocari nō poteſt; ſecùs ſi non ad partis fauorem; quia tunc citatio non eſt neceſſaria, & hæc probātur ex adduct. per *Felin. in rubr. de ſententia excomm. num.2.*

137 Quæro tādem in hac materia quid ſi quis fuerit ab excommmunicatione abſolutus parte nō citata; dic quod ſi abſolutio alias ſit iuſta, tenet, ſed quoad intereſſe partis debet illis ſatisfieri. exemplum, fuit quis excōmunicatus pro iniuria, vel offēſa, pro abſolutione eſt neceſſaria citatio offenſi, ea tamen omiſſa nihilominus abſolutio valeret; debet tamen ei ſatisfieri; vt per *Doct.in cap.qua fronte, de appell.* & ibi *Franc. num.22.*

138 Si verò aliàs fuit iniuſtè abſolutus, tunc debet in excommunicatione reduci, prçuia tamen canonica monitione, quaſi iterum eſſet excommunicandus; quando ſcilicet fuiſſet excommnnicatio lata ab homine; ſecùs ſi à iure ſeù canone, quæ tamen monitio, ſeù citatio pro reinductione in excommunicatione ſufficit, quod fiat domi, vel quod aliàs ad notitiam citati peruenerit, licet non fuerit perſonaliter citatus; ita declarauit *Rot. in nou. deciſ.7. per tot. de ſentent. excom.* & ſequitur *Felin.in cap.cùm ſit Romana, num.20. verſ. octauo nota, de appellat.*

QVAE CITATIONES ſine decreto Iudicis fieri nequeant.

139 Hactenus dictum eſt citationis decretum neceſſarium eſſe de iure, & illud fieri non poſſe abſque iuriſdictione, eiuſue exercitio; ſed de conſuetudine induci poſſe, vt per Nunciū citationes fieri poſſint abſque ſpeciali Iudicis decreto in vim generalis cōmiſſionis, quando ſcilicet citationes ſunt tales, quæ non exigunt aliquā cauſæ cognitionem, vel aliquem motum Iudicis; aliàs ſecùs; iuxta ſupra relatam diſtinctionem: *Bal.in l.ſi quādo in vlt. col.nu.12.verſ.quæro, C.de teſtibus.*

Modo ſupereſt, vt de citationibus, quæ cauſæ cognitio-

tione, Iudicisue motum exigunt, itaut fieri nequeant absque Iudicis speciali commissione. præcipua ponamus exempla.

140 Primum fit in citatione, quæ fit sub pœna excommunicationis, pro qua decernenda adhiberi debet causæ cognitio: *Geminian. in cap. cùm C. laicus, num. 5. de for. compet. lib. 6.* & illam non posse facere Nuncius absq; speciali Iudicis ecclesiastici decreto. laici enim nequeunt excõmunicare, nisi ex priuilegio: *cap. præter*, & ibi *gloss.* in verbo *duci*. 32. *distinct. Nauarr. consil. 1. de sententia excommunicationis, par. 2.* nec potest facultas excommunicandi committi laicis per Iudices ecclesiasticos: *cap. 2. de Iud.* sed benè per Papam: *cap. Mēnam, 2. quæst. 5. gloss. in d. cap. præter*, in verbo *duci*, 32. *distinct.*

141 Et Iudex ecclesiasticus debet animaduertere, an respectu citandi sit Iudex competens; quia excommunicatio est ipso iure nulla, quãdo quis citatur à non suo Iudice; quia tunc non tenetur comparere, esto quod aliquo casu posset esse suus Iudex, nisi in citatione exprimeretur causa, ex qua sit Iudex: *gloss. fin. in cap. veniens, de accusat. in fin. Gemin. in cap. 1. §. nec clericos, num. 3. de foro compet. lib. 6.*

142 Et quãdo Prælatus est Iudex competens, debet esse circumspectus, ne citet, præcipiatue sub pęna excommunicationis, neque excommunicationis sententiam ferat, quando præuideret eam futuram esse inutilem; non enim censura Ecclesiæ proijcienda est in vanum: *Hostien. & alij in cap. 1. de diuortio: Felin. in cap. Apostolicæ, num. 2. de except.* & quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticę disciplinę, & ad cõtinendos in officio populos, valdè salutaris, sobriè tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cùm experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quam salutem; vt dixit *Sac. Conc. Trid. cap. 3. sess. 25.* de qua re alia etiam diximus *supra in cap. 9. nu. 418. & seqq.*

143 Secundum exemplum fit in primis citationibus, quæ fiunt ad totam causam, & cum peremptorio, & cum appositione, seù cõminatione pęnæ

istæ

istę.n. fieri nequeunt per Nũcium in vim generalis commissionis, sed requiritur specialis commissio Iudicis, quam Iudex non debet decernere, nisi quãdo quis citandus esset de longinquo; *ad l.2. in princ. C. de exhib. reis*; & ea est ratio, quia nimis dispendiosum, & incommodum esset absentem de longinquo citare in quolibet actu: *cap. cùm dilecti, de dol. & cont.*

Quæ si fieret per Nuncium sine speciali Iudicis commissione, non arctaret ea ratione; quia Nuncius nihil potest dicere à se ipso; sed solùm quod audiuit Dominum loquẽtem; & hoc potest referre tãquam pica, & organum; vt dixit *Bal. cons. 63. num. 2. lib. 5.* & repetijt *Rolan. cons. 94. nu. 10. lib. 2.*

144 Et hic nota, quod si cessionarius census, vult etiam extraiudicialiter intimare debitori, ne de cœtero soluat cedenti, debet facere intimationem authoritate, & de mandato alicuius Iudicis; quia si per solum Nuncium illam faceret, non impediret, quin debitor census soluens cedẽti cõsequeretur liberationem; quia rectè solueret, etiam si Nuncius dimisisset copiam, non præcedente tamen Iudicis mandato; ita fuit decisum *in Ariminen. cẽsus, 9. Iun. 1599 coram Cardinali Pamphilio Seniore impressa post tract. Cincij, de censib. decis. 161. num. 3. & seqq.*

145 Vt autem citatus de longinquo ad totam causam efficiatur contumax debet fieri cum peremptorio, vel cum comminatione, quod procedetur ad sentẽtiam inclusiuè; vt supra latè dictum est *cap. 7. num. 113. cum seqq. & cap. 9. num. 409.* peremptorium autem non à Nuncio, sed à Iudice debet impetrari, cuius est dilationes dare, & datas moderari cum causæ cognitione: *l. nonnunquam, ff. de Iud.* ibi *hoc autem æstimare oportet eum qui ius dicit, pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis, & ita ordinem edictorum, vel compendium moderari.*

146 Sic etiam, vt pœnæ pecuniariæ comminatio afficiat, necesse est, vt fiat de mandato Iudicis, quod si solo Nuncij motu fieret, nihil valeret: non habenti enim iurisdictionem quis non tenetur parere; *l. fin. ff. de iurisdictione omn. Iud.* sed quod in citationibus, seù monitorijs pœnas

Iudices comminentur ad terrorem potius, quàm ad effectum eas exigendi; dictum est supra *cap. 9. numer. 416. & seqq.*

147 Tertium sit exemplum in citatione ad comparēdū personaliter, quę per Iudicem nō potest decerni; nisi ex iuxta causa: *l. fin. C. de procurat.* potest enim quis ad libitum, vel per se, vel per procuratorem agere, vel excipere: *l. 1. §. fin. ff. de procur. §. 1. instit. de ijs, per quos agere possumus*; & non solum, Iudex ordinarius; sed neque etiam delegatus, si non habeat speciale mandatum à Papa, non potest compellere partem, vt coram se personaliter compareat, nisi causa fuerit criminalis; vel nisi pro veritate dicenda, vel pro iuramento calumniæ præstādo, vel alia iuris necessitas partes coram eo exegerit personaliter præsentari; vt est *tex. in cap. 1. de Iud. lib. 6.* è conuerso autem si quis vult litigare, & comparere per se ob grauitatem causæ, non potest cogi ad litigandum, & comparendum per procuratorē; & ideò citatus ad comparendum, si fuit causa infirmitatis impeditus comparere, non potest condemnari, licet non comparuerit per alium; quia non potest quis cogi, nisi velit in grauibus causis procuratorem constituere; vt est *tex. in cap. quarelam, de procur.*

Sed quādo causa potest æquè bene agi per procuratorem, & quis fuerit citatus ad personaliter comparendum, si mittit procuratorem ad excusationes dandas, & probandas, nihilominus contra eum potest procedi per contradictas, nisi mittat procuratorem ad defendendum: *Rot. in ant. decis. 10. de dol. & cont.*

148 Atque quando ob grauitatem personæ quis nō potest decenter per se comparere in iudicio, tunc cogitur comparere per procuratorem; non autem per se ipsum: *Bald. in l. fin. num. 4. C. de procur.* & est *text. in l. quicunque, C. eodem, tit. de procur.* vbi enumerantur personæ illustres, videlicet Prætor, Præfectus prætorio, Pręfectus vrbi, & Magister militum, qui non debent litigare per se, sed procuratorem constituere: hinc *Sacr. Concil. Tridentin. sess. 13. cap. 6. de reform.* decreuit Episcopum non posse citari ad personaliter comparendum, nisi ex causa, ob quam

quam esset priuandus: ad idē *tex. est* in *cap.6. de Iud. in 6.* vbi sancitum est ne mulieres, quas vagari non conuenit, nec virorum cœtibus commisceri, quāuis de causa ad iudicium personaliter euocētur, & cùm necessarium fuerit earum testimonium, Iudex sumptibus inducentis vel mittat, vel vadat ad illas.

149 Citatus igitur in causa ciuili ad comparendum, intelligitur citatus, vt compareat vel per se, vel per alium; legitimè tamen *dict.l. fin.* & ibi *Bald. num.2.* adde *gloss. in l. seruum*, §. *publicè*, in verbo *datur, ff. de procur.*

150 Citatus autem ad respondēdum, putà positionibus, potest comparere, & respondere per se, vel per procuratorem, cum speciali tamen mandato constitutum ad respondendum sic & sic, quia tunc apparet, quod procurator est plenè instructus de conscientia sui principalis, qui ideò cogendus non est ad comparendum personaliter: *Bald. in dicta l. fin. num.3. C. de procur.* & notant *Doctores in dict. cap.1. de Iud. in 6.* & ibi *Gomes. num. 40. & 41.*

Adde *gloss. vn. in cap. pastoralis, de Iud.* quæ notat quod vniuersitas debet respondere per alium, item excommunicatus, item Episcopus, item Illustres, item indiscretæ personæ, item furiosi, prodigi, & mulier luxuriosa, vt latè per eā. Citatus pariter ad cōparendum, & iurandum de calumnia potest comparere, & iurare per procuratorem constitutum cum facultate iurandi de calumnia, vt latè per *Bartol. in l. qui bona fide*, §. *si alieno, ff. de damno infecto*.

151 In causis verò criminalibus citatus ad comparendum debet personaliter comparere, & non admittitur procurator ad defendendum, sed ad allegandum causam absentiæ, quando scilicet pro crimine esset imponenda pœna corporalis, siuè crimen sit publici, siuè priuati Iudicij; *l. penul.* §. *ad crimen* & ibi *gloss.* in verbo *iudicij; de publ. Iud.* & declarat latè *gloss. in d.l. seruum*, §. *publicè* in verbo *datur, vers. in primo casu, ff. de procur.* dummodò tamen causa sit criminaliter intentata; secùs si ciuiliter agatur de crimine: *Rot. in ant. decis.29. de sententia excommun. gloss. in dicto cap.1.* in verbo cri-

criminalis, de Iud. in 6. & quãdo agitur de depositione, dicitur agi criminaliter; sed vbi agitur, vt quis remoueatur ab administratione, nõ videtur agi criminaliter; sed ciuiliter: *cap. per tuas, de simon. Rot. in ant. dec. 7. de dol. & cont.*

Quando autem pro crimine esset imponenda pœna relegationis, vel priuationis officij, tunc citatus potest comparere per procuratorem: *gloss. in d. l. seruum quoque*, in verbo *datur, vers. in secundo genere, ff. de procur.* vide latiùs *Boss. in praxi crimin. tit. de citat. & Clar. in §. fin. quaest. 32. num. 4. cum seqq.*

Et quando in causa criminali quis citatur ad respondendum libello, debet personaliter comparere: *Rot. in nou. decis. 2. de libelli oblat.* aliquando autem in casibus, in quibus potest admitti procurator in criminalibus, Iudex ex causa potest citare ad personaliter comparendum; aliquando enim ex principali melius sciri potest veritas; *l. de minore, ff. de quaest.* ibi *plurimũ quoque in excutienda veritate, etiam vox ipsa, & cognitionis subtilis diligentia affert; nàm & sermone, & ex eo qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret, vel cuius aestimationis quisque in ciuitate sua est: quaedam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt;* & ibidem declarat *Bar. & alij.* Item quando principalis est persona legalior, vel minus rixosa quàm procurator potest Iudex cogere principalẽ ad personaliter comparendum: *l. fin. C. de procurat.* ibi *passim vnicuique si tamen ita maluerit, per procuratorem respondendi tribuimus facultatem; nisi quosdam fortè iustiores nonnunquam ob causas vehementiores maximi iudicis vocabit authoritas;* & ibi *gloss. Bal. & alij.*

152 Sed quid sit in procuratore in rem propriam constituto, an sufficiat, quod ipse personaliter cõpareat, an verò debeat constituens, seù cedẽs cogi ad personaliter cõparendum, seù respondendũ, distinguendũ videtur secundũ *Bal. infra allegan.* an procurator in rem propriũ constitutus agat, an verò excipiat. si agit, sufficit, quod ipse compareat, non autem cedens debet cogi, quia & qui cessit non posset quidquam dicere, vel confiteri in prejudicium cessionarij, & procuratoris constitu-

ti

ti in rem propriam.

Si verò procurator in rem propriam excipit, tunc potest is qui cessit, & procuratorem in rē propriam constituit, cogi ad comparēdum, & respondendum; quia talis constitutio, & cessio non potuit fieri in præiudicium actoris; ita declarat *Bal. in d. l. fin. num. 4. C. de procur.*

153 Quid verò si cōiunctus citatur ad præstandum consensum requisitum ex forma statuti in contractibus minorum vel mulierum: *Alex. in d. l. fin. in fine;* dicit quod debet comparere personaliter, & ibidem *Iaf. num. 6.* declarat, quod licet talis consensus non possit præstari per procuratorem; tamen potest prestari per Nūcium, vel per Epistolam; *ex alleg. per eum.*

154 Quid demum sit in Capitulo, Collegio, & Vniuersitate, an posit citari ad personaliter comparendum, dicunt *Doct.* quod non; cùm sit persona ficta: *Bal. in rubr. C. pro socio, nu. 1.* & in *l. nàm ita diuus, ff. de adopt. num. 9. Sor. de cit. art. 20. num. 27.* & ideò causę Ecclesiæ, Collegij, & Vniuersitatis, sunt tractādæ per Syndicum; *cap. in pertractandis, cum capite seq. de iuram. calum. gloss. in cap. 1.* in verbo *Iudicem, in fin. de Iud. lib. 6.*

155 Pro complemento huius materiæ nota, quod licet Iudex, tàm ordinarius, quàm delegatus non posset citare aliquem ad cōparendum personaliter, iuxta prædicta; tamen secùs est in Papa, Imperatore, & Principe, qui possunt ad libitum citare, vt quis personaliter compareat, & eādem facultatem ita citandi, possunt committere alteri specialiter; vt in *d. cap. 1. de Iud. lib. 6.* ibi, *qui à Sede Apostolica mandatum ad hoc non receperit speciale;* & teneretur comparere quatenus, scilicet locus esset tutus; secùs si citaretur ad personaliter comparēdum in loco non tuto; prout supra *declarauimus in cap. 9. nu. 440. cum seqq.*

156 Item nota, quod licet Iudex iudicialiter non possit aliquem citare ad comparēdum personaliter iuxta prædicta, tamē extraiudicialiter potest. *addit. ad gloss. in d. cap. 1.* in verbo *Iudicem delegatū,* exemplum vnum ponit, quādo Iudex indigeret aliqua informatione, consilio, vel auxilio personali; ei enim est obediendū alte-

alterum exemplum ponit in ordinario, qui vocat clericos, vt promoueantur ad ordines; item vocat Abbates, Presbyteros, & Clericos personaliter ad Synodum, item vocat Populum,& Clerum ad sermonem, *ex iuribus in ea allegatis*.

157 Nota tandem, quod citatus ad personaliter cōparendum in casu, quo taliter possit citari; si non comparet, potest Iudex eum capi facere; sed an capi posit in domo: *text.* est quod non, in *l. plerique*, *ff. de in ius voc.* ibi *plerique putauerunt nullum de domo sua in ius vocari licere; quia domus tutissimum cuique refugium, atque receptaculum sit: eumque qui inde in ius vocaret vim inferre videri*; sed *gloss. in l. seq.* in verbo *satisque pœna*; dicit hoc procedere, quando non vult venire ob aliquam causã, licet non iustam: dum tamen non in contemptum Iudicis; secùs autem si in cōtemptum: *l. 1. in principio, ff. si quis ius dicen. non obtemper.* & ideò *Bar. Ias. & alij in dicta l. plerique* dicunt quod quando Iudex vult, vt aliquis cōpareat personaliter, apponat in citatione, seù præcepto, certam pœnam Fisco applicandam; quia tali casu; si citatus sperneret præceptum, posset Iudex eum capi facere, etiam in domo: adde *Capol. Cautel. 51. & Gomes. in d. cap. 1. de Iud. in 6. num. 41.*

158 In casu tamen, quo Iudex citaret ad comparendum personaliter, exprimere debet suam facultatem, ac etiã causam, vt posit citatus intelligere an debeat comparere: *Innoc. in cap. cœterum, de Iud.* & *in cap. cùm sit generale, de foro compet. cum alijs per Soc. de citat. artic. 20. num. 29.*

Et quod ex obseruantia Rom. Cur. Auditor etiam ex causa nequeat citare ad comparendum personaliter sine expressa Papæ commissione; testatur *Vestr. in prax. lib. 4. c. 2. num. 7.* allegat *Rot. in ant. decis. 7. de dol. & cont.* quæ dicit, quod regulariter per Auditorem datum in causa criminali in Curia Romana, non decernitur citatio personalis, nisi citatio personalis fuerit commissa, & rationem affert: quia de facili potest super hoc Papa adiri; *vt in ea*; sed hæc ratio non placet *Gomesio in dicto cap. 1. de Iud. in 6. numer. 46.* qui tamen multa cumulat de autho-

authoritate dominorum de Rota à *nu.48.vsque 52.* quando autem in commissione cẽseatur data facultas citandi ad personaliter comparendũ: vide *Staphil.de sign.lit.iust.tit. de citat. personæ, quando decerni possit per Audit. num.2.*

159 Quartum exemplum sit in citatione reali, seù captura, quæ fieri nequit sine speciali Iudicis commissione: *l. neminem, C.de exhibendis reis*; nisi periculum esset in mora, vtputà quãdo quis reperitur inflagranti, vel suspectus sit de fuga, & in actu fugæ: *l.ait Prætor, §.si debitorem meum, ff. de his, quæ in fraudem creditorum*; & prout latiùs *dictum est supra hoc capite, numer.6. & cap.7. num.163.*

160 Nàm propter periculum fugæ videtur ordinatè fieri, quod sine ordine fit, vt notatur in *l.extat, ff.de eo quod met. causa*, & in extraordinarijs ordo est ordinem non seruare: *cap.ad nostram, il 3. de iure iurando, Caccialup. in tract. de debit. suspecto, & fugit, quæst.8. num.2.*

161 Quintum exemplum sit, quando agitur de citando eo, qui in ius vocari non potest sine venia: *Roman. consil.497. numer.8. in principio.*

162 Sextum, & vltimũ exemplum sit in decernenda forma citandi, vt scilicet quis citetur vel personaliter, vel domi, vel per edictum, seù proclama, hoc enim statui nequit siue per partem, siuè per Nuncium; sed per solum Iudicem, qui iuris ordinẽ sequi debet, non autem peruertere: *Clem. causam, de elect. & ibi not. Paul. de Eleaz. & Anchar. Vant. de de nullit. ex defect.cit. nu.123.*

QVAE CITATIONES fieri possunt absque speciali Iudicis commissione.

163 Citationes fieri possunt absque speciali Iudicis commissione, quando non requirunt aliquam causæ cognitionem, iuxta supra relatam distinctionem *Bal.in l. si quando, num.12. C. de testib.* & præcipua exempla sunt hæc.

164 Primùm quãdo citatio est facta de commissione Iudicis; sed nulliter. tunc eadem citatio potest reiterari per Nuncium absque alia noua commissione; *cap.ex litteris, de off. deleg. Ias. in l.qui per salutem, num.4. ff. de iure iurando post*

Rom.

Rom. & Angel. quos allegat, & sequitur *Petr. Duen. reg. 97. limit. 1.*

165 Secundum est in simplici citatione ad comparendum, quæ, cùm nō requirat aliquam causę cognitionem, potest fieri absque alia speciali Iudicis commissione: *Franc. in cap. cùm parati, nu. 14. de appellat. Duen. dicta reg. 97. limit. 2.*

166 Tertium est in alijs citationibus, quæ fiunt post cœptum iudicium ad effectū probandi, & seruandi terminos substantiales, seruandi scilicet telam iudiciariam; quia nullā requirunt causę cognitionem, sed pendent à voluntate partium; & ideò fiunt per Nuncios, & Cursores in vim generalis commissionis: *Bald. in dict. l. si quando, C. de testibus, nu. 12.* & propterea Nuncius electus in principio causę potest citare vsq; ad finē causæ, absque alia Iudicis cōmissione: *l. 1. iuncta gloss.* in verbo *traditus, C. de sportulis; Felin. d. cap. 1. de Iud. num. 12. Vant. de nullit ex defect. cit. num. 39.*

167 Quartum exemplum fit, etiam in primis citationibus, quando citādus propè est, & agitur de modico præiudicio; quia tunc sufficit generalis cō-missio, nisi esset illustris persona & in dignitate constituta *Felin. in d. cap. 1. num. 12. de Iud.*

168 Secundum, & vltimum exemplum sit in citationibus, quę fiunt in iudicijs, quibus agitur summariè, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij; in illis enim censetur remissa solemnitas iuris ciuilis: *Clem. sæpè, de verborum signific.* solemnitas autem præcedentis commissionis Iudicis de citando est de iure ciuili, vt ita declarat *Roman. cons. 497. num. 9.*

COMMISSIO IVDICIS an præsumatur.

169 Modo quæro, an cōmissio Iudicis in casibus in quibus est necessaria, probari debeat, an verò præsumatur.

170 Quod commissio Iudicis facta Notario causę de examinandis testibus debeat probari ex actis, latè probat *Rolan. cons. 94. nu. 35. lib. 2.* sed quod hoc nō procedat vbi est stylus contrarius animaduertit. *Rot. in recent. par. 1. decis. 393. n. 2. & per totam.*

171 Sed in specie de commissione Iudicis facta Nuncio de ci-

citando, quod debeat de ea constare ex actis loquitur *Felin. in cap. 1. nu. 13. vers. quarta conclusio, de Iud.* dicens ità omnes ibi tenere, & etiam alibi.

172 Sed quid si ex actis constet de sola relatione Nuncij referentis citasse de commissione Iudicis, an tunc præsumptiuè commissio sufficienter cẽseatur probata; & controuersia est inter Doctores.

173 Et pro negatiua, quam tenuerunt *Abb. Felin. & alij in dicto cap. 1. de Iud. & Bart. in l. sciendum, ff. de verborum oblig. num. 18. Alex. cons. 123. lib. 2. num. 3.* & alij, quod scilicet commissio Iudicis non præsumatur; adducitur *primo text. in cap. quoniam contra, de probat.* ibi *qui fideliter vniuersa iudicij acta conscribant; videlicet citationes, dilationes, & reliqua*; vbi *gloss.* in verbo *citationes*, in fine notat, quod iure Canonico non creditur Nuncio; nisi aliàs legitimè constet.

Cęterum tenẽdo affirmatiuam respõdetur primo, quod ille *text.* loquitur de probatione citationis, non autem de probatione commissionis Iudicis de citando; & de vno ad aliud nõ infertur vulg. *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* Respondetur secundo, quod idẽ *text.* describens actus, qui requirunt scripturam, incipit à citatione, & sic præsupponit commissionem ipsam non requirere scripturam: ità respõdet *Alciat. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 14. num. 9.*

174 Vbi etiam hoc cõfirmat, quia commissio non est de actis litis, ex quo lis non incipit à tali commissione; sed à citatione Nuncij: *Clem. fin. vt lit. pend.*

175 Secũdo adducitur pro eadem negatiũa opinione, quod officium Nuncij non est electum circa hoc, quod dicat Iudicem commisisse; & ideò illi non creditur: vndè *Ioan. Andr. ad Specul. tit. de citat.* infert, quod Notarius malè facit scribens, talis Nuncius ad cõmissionem Iudicis citauit, quod etiam tenet *Bald. in l. his verbis, C. de reuoc. donat.* sequitur *Felin. dict. cap. 1. de Iud. dict. num. 13.*

176 Et regulare est, quod dicenti se habuisse mandatum, seù commissionem non credatur; omnibus enim in re propria dicendi testimonia facultatem iura submouerunt: *l. omnibus, C. de testibus*; & ad idem

idem est *text. in l.1. C. de mandatis principũ*, ibi *omnes sciant nemini quidquã, nisi quod scriptis probauerit, esse credendum*.

Sed sustinendo alterã partem responderi potest, quod Nuncius eligitur ad effectum citandi, & cùm citare debeat de mandato Iudicis, ea ratione sui officij, & iuramenti præstiti credendum est: *Bald. in l.2. num.1. C. de sportulis*; & præsumi non debet eum deierare: *cap. sancimus, 1. quæst.7.* cum alijs supra deductis *cap.7. num. 54. cum pluribus seqq.* & ideò iura prææallegata non obstant, cùm loquãtur de testimonio, seù assertione priuatę personę.

177 Tertio adducitur pro eadem negatiua, quod regulariter nunquam præsumitur mãdatum etiam per cursum mille annorum; vt per *Bal. in l.2. C. si ex fals. instr. num.2.* quem sequuntur *Roman. & Alex. in l. sciendum, ff. de verbor. oblig. num.20.*

At defendẽdo alteram partem potest respõderi dictum *Baldi* esse verum, nisi in instrumento fuerit facta enũciatiua mentio de mãdato; quia tunc concurrente aliqua coniectura præsumitur mandatum, secundum *Dec. cons. 36. num.8.* quam esse vtilem, & notandã limitationẽ ad dictam doctrinam *Baldi* animaduertit *Rip. in cap.1. sub num.90. de Iud.*

178 Quarto adducitur, quod solemnitas extrinseca nõ pręsumitur: *l. quæcunque, §. final. ff. de public. in rem act.* ibi *qui à pupillo emit probare debet tutore authore, & lege non prohibente se emisse*; quidquid sit de solemnitate intrinseca, quę semper præsumitur; *§. fin. instit. de fideiuss.* ibi *idéoque constat si quis scripserit se fideiussisse, videri omnia solemniter acta*: vndè *Bart.* quem cæteri sequuntur in *d. l. sciendum, ff. de verborum oblig. num.2.* explicat solemnitatem intrinsecam esse eã, quę ex natura verborũ prolatorum cõprehenditur prout est interrogatio, quę procedit in stipulatione fideiussorum: vndè qui dixit fideiussisse, intelligitur factã esse interrogationem, quasi ea sit pars promissionis; vt per *gloss. in dicto §. fin.* in verbo *solemniter*, & in verbo *acta. instit. de fideiust.* solemnitatẽ verò extrinsecam explicant eam esse, quam prolatio verborũ non comprehẽdit, & est quid facti separatum ab actu cui accedit, prout authoritas, & decretum Iudicis, quæ

quæ est solemnitas extrinseca contractus pupilli; quia aliud est contractus pupilli, & aliud decretũ Iudicis; & ideò posito vno non ponitur aliud: *d l. quæcunque, §. fin. ff. de publ. in rem act.* & ita quia aliud est citatio Nuncij, & aliud commissio Iudicis de citãdo; ideò posito vno, per necesse non ponitur aliud.

179 Verum defendendo contrariam partẽ affirmatiuã potest responderi, quod quando solemnitas extrinseca est modici præiudicij, tunc etiam si non fuerit enunciata, præsumitur, & multò magis quando fuit enunciata, vt plurium sentẽtijs comprobat *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsũpt. 132. num. 54. vers. tertius casus*; & multò magis, quãdo verisimiliter interuenire potuit: *Menoch. dicta præsumpt. 132. n. 33. vers. declaratur 1. hic casus*.

Hæc autem commissio Iudicis de se ipsa est modicę importantiæ, maximè quando requirit causæ cognitionem, & non est præsumendũ, quod Nuncius falsum committeret: *l. qui nomine, ff. ad l. Cornel. de falsis*; ita etiam ratiocinatur *Alciat. de præsump. dicta reg. 3. præsumpt. 14. sub num. 8. vers. confirmo istam opinionem*.

180 Quinto adducitur, quod probatis extremis medium non præsumitur, quando est de solemnitate: *Felin. in dict. cap. 1. de Iud. num. 13. in fine*, vbi per hoc dicit, quod licet probaretur partem petijsse aliquem citari, & etiam citatam fuisse, non ob id tamen pręsumeretur Iudicẽ dedisse commissionem citandi, nisi aliter constet, quod esse notandũ, & facere ad multa; ait *Euerard. in loco ab extremis sub num. 3. circa fin. vers. fallit quando, Gratian. discept. forens. cap. 392. n. 16* Sed eodem modo, quo supra responderi potest, quod quãdo medium est de solemnitate extrinseca, & modici pręiudicij, & verisimile est interuenisse; ideò potest præsumi; *Menoch. lib. 3. præsumpt. 232. num. 33. & 54.*

181 Pro parte igitur affirmatiua quod ex relatione Nuncij in actis facta præsumi debeat cõmissionem Iudicis pręcessisse; quam tenuerunt *Angel. in trac. maleficiorum*, in verbo *Iudex commisit, & Ias. in §. quadrupli, vers. refert etiam, num. 17. instit. de act.* vbi plures alios idẽ tenentes enumerat.

Adducitur primo, quod dũ

Nuncius apud acta refert se citasse de mandato Iudicis ei credendum sit: Nuncio enim creditur in pertinentibus ad eius officium: *gloss. in cap. cùm parati*, in verbo *suus nuncius*, *de appellat.* & dictum est *supra cap. 7. num. 56.*

Cœterum sustinendo partem negatiuam, responderi potest, quod committere citationem spectat ad Iudicem, citare autem ad executorem, qui sunt duo actus diuersi, & vnus per necesse non præsupponit alium; *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 24. n. 3.* & si creditur de suo officio, nõ creditur de alieno: *Soc. de cit. art. 11. num. 3.*

182 Secundo adducitur, quod Nuncio creditur in connexis suo officio: *d. cap. cùm parati*, *de appell.* cum alijs per *Alciat. d. reg. 3. præsumpt. 14.* in principio, qui sub *nu. 8. circa medium*, ait decretum Iudicis esse de connexis eiusdem Nuncij officio.

Sed defendendo alteram partem, negatur id esse de cõnexis; nàm committere citationem sub pœna, ad totam causam, ad comparendũ personaliter, & decernere capturam, & formam citandi, vel in personam, vel domi, vel per edictum, spectat ad solum Iudicem, qui ea decernere nequit sine causæ cognitione, vt superiùs dictum est: data autem instantia corruit argumentum *Vulg. S. pauonum, inst. de rerum diuis.*

183 Tertio pro eadem opinione affirmatiua adducitur, quod de consuetudine huiusmodi commissiones in actis nõ scribuntur; & id attendi debet, quod consuetudo approbauit; *Ioan. Andr. & Abb. in cap. quoniam contra, de probat.* & sequitur *Alciat. dicta regula 3. præsumpt. 14. nu. 8. in fin.*

Sed tenendo contrariam opinionem responderi potest consuetudinem siuè interpretatiuam, siuè inductiuam noui iuris esse probandam, & nulla adest consuetudo, qua possit citari personaliter, vel per edictum, nisi adhibeatur causæ cognitio, & decretum scribatur in actis.

184 Cõcludendo in hac quæstione dicendum est, quod de iure communi vera est opinio negatiua: vt per *Felin. in dicto cap. 1. nu. 13. de Iud.* & ibi *Rip. nu. 90.* De consuetudine autem vera est opinio affirmatiua; vt per *Alciatum*, *Menoch*, & alios

alios supra citatos, sed cum distinctione, quia in criminalibus seruatur ius commune, & debet de commissione Iudicis aliter cõstare, quàm per solam executoris relationem, aliàs citatio esset nulla; vt post *Iac. Butrig.* dicit *Soc. de cit artic. 11. num. 3. & 4.*

Et captura nõ potest concedi, nisi causa cognita: *l. nemo carcerẽ, C. de exact. Tribut. lib. 10. Io. Andr. in cap. si Clericus, de sententia excomm. in 6.* quod procedit in citatione etiam verbali; nec sufficit commissio generalis citandi, vbi requiritur commissio in specie: *l. neminem,* & ibi *Bar. & Bal. C. de exhib. reis*; *Rip. in dict. cap. 1. num. 85. de Iud. Clar. in §. fin. pract. crimin. lib. 5. quaest. 31. num. 4.* vbi dicit, quod ita de consuetudine seruatur: *Menoch. de praesumpt. lib. 2. praesũpt. 24. num. 15.* vbi dicit eam esse rationem; quia hęc citatio realis magnam requirit causę cognitionem *Alciat. in d. reg. 3. praesumpt. 14. num. 10.* vbi dicit putare hoc procedere, etiã si in praecepto esset clausula, quod plena daretur fides Nũcio; quia talis commissio non debet operari, nisi in casibus in quibus aliàs de iure plena fides illi danda esset.

185 Non enim licet Iudici alterare probationes, quae sunt iuris gentium; *cap. licet vniuersis, de testib.*

186 In ciuilibus distinguendũ est, quia citatio verbalis, aut fit in scriptis per cedulam, epistolamue subscriptam manu Iudicis, vel eius publico sigillo signatam, ac manu Notarij firmatã, aut fit solo verbo, & sine scriptis, vt supra declarauimus *cap. 7. num. 198. vers. de citatione scripta, vel nõ scripta.*

Quando igitur Nuncius citat in scriptis, & ostendit litteras citatorias, vt supra confectas; vtique ex eisdem litteris probatur Iudicis commissio, & Nuncio cum eisdem litteris credendum est; *Bald. in l. 2. C. de annal. excep.* & dictum est *supra latiùs cap. 7. sub n. 29. vers. si verò citat in scriptis*; sic in Curia, quando Cursor intimat monitorium publicatum per Notarium dubitari non potest de Iudicis commissione.

Idem quando in Curia, vel extra intimantur citationes, inhibitiones, mandataue Rotae Notarij manu firmata, & Auditoris sigillo munita, vtique

que ex eisdem probatur citationis decretum; vt *supra d. cap. 7. num.* 200.

187 Et per solum huiusmodi decretum citationis vigore commissionis Rotalis obtentum inducitur lis, quoad actorem, qui illud obtinuit ad effectum etiam attentatorum: *Rot. in nouis, dec. 6. vt lit. pend.*

Quia vt ibidē dicitur actor est certus de commissione impetrata, & citatione decreta: ideò amplius certiorari non debet; nō est autem idem in Reo, qui ante citationis executionem sibi factam, ignorat, & non attentat: idem dixit *Cassad. decis. 6. super regul. nu. 3. & nu.* 4. & ad obiectum quod lis inducitur per litis cōtestationem respondet non procedere quoad actorem, & quod committens causam faciat beneficium litigiosum, itaut iuuari nequeat regula de triennali; dixit *Put. decis.* 481. *lib.* 2.

Et idem de eo, qui obtinuit monitorium ab A. C. vt nequeat etiam ante illius executionem variare, & committere causam in Rota, neque possessionem capere, absque vitio attentatorum, ex prædictis rationibus, censuit *Rot. in Bononiensis Canonicatus*, 23. *Martij* 1609. *coram Penia*.

188 Quando autem Nuncius citat solo verbo, vel cum cedula scripta per partem, quod idem est, vt fit in Curia, distinguendum est, aut talis est citatio, quæ fieri non potest sine causæ cognitione; vt in exemplis supra positis: & tūc non præsumitur decretū, seù commissio Iudicis, quia est solemnitas extrinseca, iuxta superiùs deducta, quæ non præsumitur, nisi ex vrgentibus coniecturis, quæ vel ex facto Iudicis, vel partis, vel ex tempore possunt desumi: vt mox dicemus.

Vrgens presumptio precedentis commissionis Iudicis esset, quando idem Iudex vigore eiusdem citationis ad vlteriora procederet; quia tūc quodammodò declararet citationem sua commissione factam: *Arg. l. à procedente, C. de dilat. Alciat. de præsumpt. reg. 3. dict. præsumpt.* 14. *num. 9. vers. præterea si facta, Menoch. præsumpt.* 24. *nu.* 12. *lib.* 2.

Vrgēs pariter præsumptio esset, si pars comparuisset, nihilque opposuisset: *Alexand. cons.* 124. *num. 3. lib. 2. Rip. in cap. 1. de Iud. n. 90. vers. limita,* &

& tertio, Alciat. dicta præsumpt. 14. vers. & in isto casu. Menoch dicta præsumpt. 24. nu. 13.

Spontanea enim comparitio purgat omne vitium citationis: *gloss. in l. 1. ff. de ferijs, Tiraquel. de retract. consanguin. §. 9. gloss. 2. num. 18. Menoch. vbi supra, num. 14.*

Et eadem præsumptio esset, quando lata fuisset sententia, & ab ea non fuisset appellatum, transijssetque in rem iudicatam: *Rip. in d. cap. 1. de Iud. num. 90. vers. pro concordia, Menoch. dicta præsumpt. 24. num. 12. in fin.*

189 Si verò talis est citatio, quæ fieri possit sine causæ cognitione, vt in exemplis supra positis; tunc ex consuetudine potest fieri per Nuncium, vel vigore generalis commissionis; vel etiam vigore specialis præsumptę, vel per Nũcium in sua relatione enunciatæ.

Etenim de iure veriùs est, vt Nuncio talia referenti non sit credendum: *Salic. in l. tres, denunciationes, & Angel. & Bal. in l. consentaneum, C. quomodo, & quãdo Iud.* quo fit, vt cuiuslibet Curiæ stylus sit attendẽdus: *Vant. de nullit. ex defect. cit. nu. 42.* hinc *Rot. in recent. decis. 393. nu. 3. par. 1.* dixit, quod licet citatio fieri non possit à Nuncio sine mandato Iudicis; de consuetudine tamen mandatum Iudicis præsumitur, & *n. 4.* subiungit, quod huiusmodi cõsuetudo, seù stylus probari potest ex inspectione, processuum.

190 Et in *dec. 363. n. 2. post cõs. Farinac. par. 2.* declarat, quod quãuis stylus non possit inducere, vt citatio valeat sine cõmissione Iudicis; potest tamen inducere, vt mandatum præsumatur ex relatione Nuncij: & *Caput. dec. 268. par. 2.* attestatur, quod de stylo Rotæ creditur Nuncio referenti se citasse de commissione Iudicis, & similiter, quod ex eodem Rotę stylo creditur Notario attestanti de sua deputatione, quidquid sit in contrarium de iure.

DECRETVM CITATIOnis, an fiat in scriptis, vel sine scriptis; & an, & quãdo expiret.

191 Viso hactenus, quę citationes exigant speciale decretũ, siuè cõmissionẽ Iudicis, & quę non. videamus breuiter an, & quando citatio sit decernenda in scriptis, vel sine scriptis, & quando decretum expiret.

Citatio decerni debet in scriptis; itaut ex actis de decreto constet, aliàs citatio esset nulla: *Abb. Butr. & Imol. in cap. quoniam contra, de probat.* & ibi *Dec.num.22. Soc. de cit. art.11. num.3.Rol.cons.32. num.20.lib.1.* sine scriptis autem decerni, & committi potest citatio: *cap. cùm dilecti, de dol. & contum.* maximè quando ex consuetudine præsumeretur decretum: *Vant.de nullit. ex defect. citat. num.41. Ros. post cons. Farinac. part.2. decis.355.num.1. & decis.363. num.2.* quam consuetudinem diximus superiùs valere, quãdo citatio est talis, quæ non requirit causæ cognitionem, aliàs secùs; iuxta ibi allegatam distinctionem *Bal.in l. si quando inuitos, num.12. C. de testibus*, & quod ordinarius, vel per litteras, vel viua voce possit mandare aliquem citari per Nuncium, non autem delegatus, dictum est *supra cap.9. num.11.*

192 Quo circa si citatio vel domi fieret, tanquam contra latitantem, vel per edictum, seù contradictas, tanquam cõtra absentem, & contumacem, vel per edictum ob nõ tutum accessum, citatio non valeret, nisi in actis cõstaret de decreto Iudicis, prout etiam non valeret in Curia citatio per diligentias; nisi constaret in actis eas fuisse commissas, de quibus plenè diximus *supra cap.7. vers.de citat. domi.num. 233. & de citatione per edictũ. n.272. & de citatione per edictũ ob nõ tutum accessum, n.274. & de cit.per contradictas, nu.310. & de cit.per diligentias, n.341.* & idem de alijs citationibus requirentibus causæ cognitionẽ, & motum Iudicis, & quorum exẽpla *superiùs posuimus, num.140. & seqq.*

193 Illud autẽ, quod dicit *Soc. de citat. art.20. quæst.14. in fine, nu.24.* & quod repetit *Rebuff.de citat.in præfat.num.63.* quod citatio ad sui essentiam non requirit regulariter scripturam; nisi quando citantur personæ illustres, non intelligitur de citatione, prout est actus Iudicis, sed de citatione prout est actus Nuncij: Immò Nuncius nõ potest citare ad domum, nisi in scriptis, & cum affixione, seù dimissione scripturæ citationis: *Innoc. Ioan. Andr. & alij in cap. fin. de eo, qui mitt. in poss. Angel. in l. vt perfectiùs, C. de annali except.* cum pluribus cumulatis per Ti-

Tiraq. de retractu consanguin. §.*9. gloss.2. nu.*8. & plura de citatione scripta, vel nō scripta; dicta sunt *sup. cap.7. n.*198. & quod litteræ citationis satis sit quod sint sigillatæ Iudicis sigillo; dixit ***Innoc. in cap. quoniam contra,*** & ibi ***Io. Andr. num.***15.*de prob. gloss. in cap. significauit*, in verbo ***ad citationem, de appell. Marsil. in l. pœnalem,*** §.*qui in rationibus, ff. ad l. Cornel. de sicar.* vide alia *in d. cap.7. num.*199.

194 Decretū citationis expirat per mortem eius, contra quem est decreta citatio, antequam sit executa: ***Rot. in ant. decis.9. de dol. & contum.*** vbi fuerat decreta citatio ad partes contra A. detinentem Ecclesiam, mortuo ipso, & antequam citatio fuisset in partibus executa, fuit subrogatus B. dubitatum fuit, an vigore illius citationis posset procedi contra subrogatum, & fuit conclusum quod non; quia licet per mandatum de citādo perpetuetur iurisdictio, quo ad Iudicem, ita ut posteà per mortem delegantis non expiret iurisdictio; secùs tamen est quoad partem, cōtra quam, nisi sit executa citatio, posteà per mortem eiusdem citandi, expirat mandatum, seù decretum de citando; vt in ea.

195 Hinc etiam possumus dicere, quod si fuerit obtentum monitorium ab A. C. contra aliquem, vel citatio cum inhibitione fuerit obtenta à Rota, quod nec monitorium, neque citatio possit exequi contra hæredem, quando ante executionem citationis ille, qui citandus erat decessisset: licet enim instantia transeat in hæredem; tamen id intelligitur, quando prædecessor fuit citatus; sed si decesserit ante executionem citationis decretæ, tunc decretum expirauit, & cōtra successorem debet à capite inchoari: ***Innoc. in cap. quia V. de Iud. in princ. Henric. Boich. in cap. quoniam Abbas, num.6. de off. deleg.***

196 Expirat etiam decretum citationis primi Iudicis per præuentionem secundi; vt in eadem *decis.9. in ant. de dol. & contum. num.*13. [illegible] dicitur, quod si actor impetrauit commissionē directam vni Iudici, qui mandauit citari reum; si ante citationis executionem reus impetret aliam cōmissionem alteri Iudici directam, qui præsentata sibi commissione,

mandauit citari actorem,& citatus fuit; tunc decretum citationis primi Iudicis expirat per præuentionem secundi; quia licet primus perpetuauerit suam iurisdictionem, quoad delegantem, illam tamen non perpetuauit quoad partem, quæ non citata non potest dici præuenta, vt in ea; sed hoc vigore Innocentianæ non procedit inter Auditores Rotæ, inter quos ille præuenire dicitur, cui prius commissio fuit præsentata: inter alios autem delegatos sola executio citationis perpetuat iurisdictionem; vt latiùs dictum est *supra cap.* 10. *num.* 352. *& seqq.*

197 Expirat pariter decretum citationis per mortem delegantis: *l. more maiorum, cum l. seq. ff. de iurisdict. omn. Iud.* quando scilicet decreta fuisset citatio per delegatũ post mortem delegantis, per quam re integra expirat iurisdictio; sed si [illegible] decreta in vita delegantis, [illegible] non expiraret etiam mortuo postea delegante: *Rot. in ant. decis.* 9. *de dolo, & contum. Bisign. decis.* 1. *de off. delegat. Caputaq. decis.* 115. *par.* 1.

198 Epirat pariter decretum citationis per mortem delegati, quando scilicet delegatus decreuit citationem, & ante illius executionem moritur; quia per mortem delegati expirat eius decretum, & iurisdictio, quando est delegatus nomine proprio; secùs quando nomine officij, seù dignitatis; quia tunc transit ad successorem; *cap. quoniã Abbas, de off. & pot. Iud. delegat.* & ibi *gloss. & Henric. Boich. num.* 5. & alia vide supra hoc eodem *capite num.* 79. & quod etiam in extraiudicialibus per mortem eius, qui mandauit conuocari Capitulum ad electionem faciendam, decretum huiusmodi citationis, & conuocationis expiret per mortẽ; dixit *Ancharan. consil.* 406. *per totum.*

Ex rationibus per eum adductis *num.* 2. & quod quando Iudex perfecit omnia edicta, eo mortuo successor debeat dare nouam citationem; sed si non perfecit omnia eo mortuo circunducatur terminus, & debeat de nouo citare, atque quod citatus mortuo Iudice non teneatur comparere coram successore, si citauit nomine proprio, secùs si nomine dignitatis: vide *supra cap.*

cap.9.numer.194. & 198. & seqq.

199 Atque quod citatio facta pro electione, nondum defuncto Prælato, non teneat licet posteà moriatur; est *tex. in cap. bona, il 2. de election. Felin. cons. 1. num. 3.*

A DECRETO CITATIONIS an, & quando appellari possit.

200 De iure ciuili nō licet appellare ante sententiam diffinitiuam: *l. ante sententiā tēpus, C. quorum appell. non recip.* nisi quando grauamen non potest reparari per appellationē à diffinitiua: *l. 2. ff. de appell. recip.* aliàs enim censeretur appellari causa frustatoriæ dilationis: *l. 2. C. de Episc. aud.* & in infinitum lites extenderentur: *l. aperitissimi, C. de Iud.* ideòque citatus ex quauis causa debet coram Iudice comparere: *l. 2. ff. si quis in ius voc. non ier.* & venire priuilegia sua allegaturus; non autem Iudicis authoritatem contemnere; *l. si quis ex aliena, ff. de Iud.* & non veniens fit contumax nec auditur appellans: *l. 1. C. quorum, appellat. non recip.* nisi appellet coram Iudice pro tribunali sedente, & iustam causam alleget; *gloss. in l. ex consensu litigantium, §. fin.* in verbo *non rectè, ff. de appellation.*

201 De iure autem Canonico à quocunque grauamine, etiam ante diffinitiuam sententiam licet appellare; opprimi enim, & grauari dicitur quis ante sententiam; post sententiam verò dicitur iniustè damnari: *cap. non ita, 2. quæstione 6.* ibi *non ita in ecclesiasticis agendum est negocijs; sicut in sæcularibus: nàm sæcularibus legibus postquam vocatus quis venerit, & in foro decertare cœperit, non licet ei ante peractam causam recedere: in ecclesiasticis verò dicta causa, recedere licet; si necesse fuerit, aut si se prægrauari viderit: & cap. cùm sit Romana, de appellation.* ibi *si verò à grauamine, & ante litis ingressum, fuerit appellatum; huiusmodi audietur appellans; quoniam sacri Canones etiam extra iudicium passim appellare permittunt; nec solent huiusmodi dici appellationes, sed prouocationes.*

202 Canonistæ itaque dicunt, quod si quis grauetur in citatio-

tione, potest appellare; vt refert *Bart. in l. 1. ff. de appellat. recip. num.* 12. qui tenet, quod de iure ciuili nõ liceat appellare.

Pluribus autem modis cõtingere potest, vt quis grauetur in citatione, vt de iure canonico possit appellare.

203 Et primo si assignetur breuis terminus, peremptorius tamen: *cap. 1. de dilat.* ibi *eo quo ad primam citationem terminũ sibi nimis breuem, & peremptorium statuerunt, ad nostram audientiam duxerunt appellandum*; *& infra, quia verò non spectat ad iuris ordinem diem peremptorium, maximè cùm de rebus ecclesiasticis agitur, nisi fortè necessitate vrgente, taliter maturare. Mandamus quatenus si ita est, reuocato in irritum, si quid inueneritis post appellationem huiusmodi attentatum*; vbi *gloss.* in verbo *nimis breuem* declarat, quod in iure non exprimitur, qui terminus debeat statui; sed relinquendum sit arbitrio Iudicis, inspecta qualitate negotij, & locorum distantia; & in verbo *peremptorium*; notat, quod quando Iudex ex causa nimis breuem terminum peremptorium statuerit, exprimere debet causam in citatione, vt pars causam non habeat appellandi: ad *tex. in cap. tùm ex litteris, in fin. de in integrum, rest.* vbi *gloss.* in verbo *locorum distantiam*: notat, quod ob locorum distãtiam appellanti prorogãtur induciæ; ad *tex. in dict. cap. cùm sit Romana, de appellat.*

Appellatio itaque interposita à citatione peremptoria, in qua abbreuiantur termini; est legitima, quia ex causa probabili in iure interponitur, cùm peremptorium de iure coarctari non possit; nisi ex causa; quæ deberet exprimi in coarctatione: *dict. cap. 1. de dilat.* vbi *Ant. de Butr. num. 3. Angel. in l. ad peremptorium, col. 1. de Iud.* quare de veritate causæ expressæ in appellatione apparebit in cognitione causæ: vt per *Franc. in cap. sæpè, col. 11. in gloss.* in verbo *rata, vers. patet ergo, de appellat.* & si interim feratur sententia, ea propter huiusmodi appellationem, remanet nulla: *Caput. decis. 38. lib. 1. per totam par. 1.*

Sed quid in alijs citationibus post primam, quibus non apponitur terminus peremptorius: dic aut in citatione præfigitur terminus ad proban-

bandum, vel ad comparēdum. Si assignatur ad probandum, & sic nimis breuis; tunc appellari potest; quia etiam de iure ciuili datur appellatio ab illa interlocutoria, quæ quasi totam causam dirimit: *l. intra vtile*, & ibi *Bar. in summario*, *ff. de minorib.* & quia in probationibus stat tota virtus causæ; ideò qui nimis arctatur ad probandum potest appellare; quia tale grauamen est aptum ad inferendum sibi præiudicium plenum, si non posset sufficienter propter angustiam temporis probare: *ad text. in cap. fraternitatis, de testibus*, ibi *duximus tibi respondendum, quod in appellationis causa; si noua contigerit emergere capitula, super quibus aliqua partium voluerit nouos testes inducere, vel per iam receptos aliquid comprobare, eos credimus posse recipi super nouis dūtaxat capitulis*; & ita respondet *Bal. in l. 2. nu. 8. C. de Episc. audien.*

Si verò assignatur terminus breuis ad comparendum, distinguit ibidem *Bald.* aut citatus timet verisimiliter de grauamine, si non compareat: putà quia ille Iudex solet de facto procedere, & ex arbitrio, & tunc potest appellare, sicut etiam à citatione appellatur, quando incutit iustum timorem: sicut etiam appellatur ab iniuria, & contumelia Iudicis, siuè dicti, siuè facti: iuxta *tex.* expressum *in l. si quis prouocatione, C. de appellat.* quando enim Iudex in citatione ad cōparendum pręfigit terminum nimis breuem; tunc incutit timorem futuri grauaminis, & ideò potest appellari tāquam à comminatione; licet comminationes sint nullæ: *l. 1. & l. programma, C. comminationes epistol.* & ita etiam respondet *Bal. in d. l. 2. num. 7. & 8. C. de Episc. aud.*

Et in omni casu quo citatus dubitat non posse comparere coram Iudice citante, potest appellare coram honestis personis inserendo causam, quare non comparet: *cap. fin. de appellat. Bal. in dict. l. 2. num. 7. circa fin.*

204 Quęro modo a quo tempore sit appellandum à citatione, respondeò citatus personaliter debet appellare à die executionis citationis; tunc enim habuit indubitatā scientiam grauaminis, & à tempore scientiæ grauaminis currit decēdium ad appellandū: *cap. concertationi, de appellat. in 6.*

Ci-

Citatus autem domi de tẽpore citationis executę non potest habere indubitatam notitiam grauaminis; ideò nõ potest appellare; nisi à die habitæ notitiæ: & si anteà fuisset lapsus breuis terminus præfixus in citatione, & fuisset actus gestus ante notitiam citationis, tunc actus non retractaretur per viã attentati, neque per viam nullitatis; quia Iudex non tenetur expectare vltra decem dies.

Sed reuocaretur per viam iniustitiæ, docto de causa appellationis: *Rot. in nou. dec.* 28. *de appellat.* sed quando citatio fuisset nulla, tunc actus gestus reuocaretur per viam nullitatis: exemplum. Quis fuit citatus domi pro eadẽ die ad videndum iurare testes, vel ad aliquid agendum & præcipiti festinatione fuerũt testes examinati, vel decretum aliud factum; tunc citatio est nulla; ita vt citatus taliter non tenetur post terminum comparere; & testes dicuntur nulliter examinati; & actus nulliter gestus; nisi doceretur de stylo, vel consuetudine ita citandi per totam: *Mantica decis.* 8. *num.* 2. *&* 3. & quod citatio ad hodie per totam fiat in Curia ad audiendum sententiam, est de stylo; & tunc procedit quando fit personaliter, non domi.

205 Notandũ itaque est, quod quando citatio fit cum termino adeò breui, vt impossibile sit in eo comparere, nõ arctat etiam post terminum, tãquam nulla, & temeraria: siuè impossibilitas sit iuris, siuè facti: *Cassad. decis.* 6. *num.* 3. *de dolo, & contumacia*; sed si dũtaxat sit adeò breuis, vt non commodè possit comparere; tunc sine dubio locus est appellationi, ex iam dictis.

206 Sin autem per edictum quis citetur cum termino breui: tunc talis citatio pariter, propter breuitatem termini est nulla, & temeraria, & non arctat ad comparẽdum, etiam post terminum; nec aliter necesse est appellare, quãdo scilicet non constat, quod citatus notitiam habuerit edicti, cum termino breui; & ita procedunt dicta per *Cassad. dicta decis.* 6. *num.* 3. *de dol. & cont.* & per *Afflict. in constit. incip. si quem vestrum, lib.* 1. *constit. reg.* Sed si constaret citatum habuisse notitiã edicti, & termini, tunc à citatione fuisset appellandum propter breuita-

tatẽ termini; & hoc casu procedunt dicta per *Archidiaconũ super quæst.2. in summa, & per Butr. in cap.1. de dilat. & per Vital.in Clem.1. in 6. not. de Iud.* ita declarat *Put.decis.* 150. *lib.3.*

207 Secundo contingit quem grauari per citationem, quando citatur ad locum suspectũ: *cap.ex parte, de appellat.* ibi *respondemus, quod cùm excusetur honestè qui ad præsentiam delegatorum Iudicum non potest securè venire citatus: tu, vel tui, quoties illos ad Iudices vos euocari contigerit, ad quorum præsentiam vobis periculosum est ire, liberè poteritis appellare, etiam si in litteris commissionis appellationis fuerit remedium interclusum; nisi Iudices vobis assignent locum idoneum, & securum*; vbi *Innoc.* tenet quod nec pars ire ad Iudicem debet petendi gratia locum sibi tutũ assignari, quem sequuntur ibi *Io. Andr. & Imol.in l.recusare, §.si quis in alio, ff.ad Sen.Cons. Trebell.* quamuis *Hostien. in eodem cap.ex parte* contrarium senserit; & reuera hoc grauamen esset irreparabile per diffinitiuam; vt enim dicitur in *Clem.pastoralis,§.esto igitur, de sententia, & re Iudic.* ibi *quis enim auderet, vel qua ratione audere aliquis teneretur consistorij talis subire iudicium, & se in hostium reponere, ac ad mortem per violẽtam iniuriam, non per iustitiam inferendam, vltroneum se offerre? hæc quidem iure timentur, hæc de more vitantur, hæc humana fugit ratio, hæc abhorret natura: desiperet igitur, qui citationẽ huiusmodi saperet arctasse citatum*; & benè dixit *Ouid.2.de remed. amoris*.

„ *Quæ nimis apparent Retia vitat auis.*

208 Sed in hoc casu pariter dicendum est, quod si quis citatur ad locum notoriè non tutum, vel inhonestum, & hoc sciuerit Iudex, vel pars; citatio esse nulla: *l.si cùm dies, §.pen.ff. de receptis arbitr. Innocent.in cap.2. de dilat. num.3.* qui subiungit, quod ita citatus prudenter faceret mittendo excusatorem: sed & si non miserit, tutus est exceptione contra aduersarium, qui dolosè eum citari obtinuit.

Secùs si dubitari possit, an sit talis; quia tunc necesse esset appellare; alioquin si non appellaret, & Iudex, qui eum vocauit, vel pars, quæ citationem obtinuit, ignoraret locũ esse

esse non tutum; tali casu citatus fieret contumax in non veniendo, vel non mittendo: *cap. si duobus, de appellat.* ibi, *tenebit excommunicationis sententia in eum pro contumacia promulgata; nisi Iudex cognouerit eum ad audientiam Romani Pontificis appellasse*; sed eidem citato contra quem procederetur, hoc casu daretur restitutio in integrũ; *Arg. l.2. ff. si quis caut.* per totam, *Innoc. d.cap.2. sub num.3. de dilat.*

Sed de hac materia, quando citatus ad locum non tutum, vel inhonestum teneatur comparere, vel non, & vel per se, vel per procuratorem, abundè *diximus supra cap. 9. sub vers. de loco in citatione exprimendo, à num.440. vsque 472.*

209 Sed an ita possit appellari à citatione verbali, prout à citatione in scriptis, & dicendum videtur, quod sic *cap. ex parte, il primo, de appellation. Clem. pastoralis, de re Iud. Tholos. de appellation. lib.2. cap.15. num.7. & seq.*

210 Non tamen appellatur à Nuncio citante: *Bald. cons.63. num.2. par.5. cap. peruenit, de appellat.* & Nuncius nihil potest ex se, sed est tanquam pica, & organum: *l. multum, vbi not. C. si quis alteri, vel sibi.*

211 Et appellatur etiã ab omissione citationis: *Bal. in l. ab executione, C. quorum appellat. Ruginell. de appellation. §.2. cap.3. num.184.* in verbo *citatio*.

DECRETVM CITATIONIS quando sit nullum.

212 Decretum citationis nullum est, vel ex parte Iudicis, vel ex parte citati, vel ex parte instantis pro citatione.

Ex parte Iudicis est nullũ, vel ex defectu iurisdictionis, vel ex defectu propriæ personæ, vel ex defectu causæ citandi.

Ex defectu iurisdictionis, quando decernẽs citationem non habet iurisdictionem, illiusque exercitium: citandi enim facultas pendet à iurisdictione: *gloss. magna in cap. cùm causa, in ver. item qualiter, de off. deleg. Gemin. cons.76. num.8.* & citatio est actus iurisdictionis; *l.1. ff. de in ius voc.* & debet euidenter constare de iurisdictione, & exercitio iurisdictionis; vt citatio valeat; *Specul. in tit. de citation. §. contra, vers. item quod euidẽs est*

est sub nu. 120. cum pluribus alijs superiùs hoc capite deductis *num.* 15. *& seqq.*

Quo circa Iudex tempore feriarum, quo interdicta sunt iudicia, & quasi suspensum manet iurisdictionis exercitium, citare non potest: *cap. fin. de ferijs, l. fin. C. eodem,* cum pluribus tamen declarationibus, de quibus *supra cap.* 10. *num.* 12. *vsque* 259.

Sic etiam Iudex delegatus, antequam sibi præsentatę fuerint litteræ suæ delegationis, citari non potest, cùm nondũ consecutus fuerit iurisdictionis exercitium: *cap. pastoralis, de rescr. cap. super eo, il secondo de appellat. Rot. decis. 6. de offic. delegat. in nou.* prout etiam citat nulliter ex defectu iurisdictionis, quando in citatione non inserit tenorem suæ delegationis; cùm citatus non teneatur credere, nisi facta sibi fide de delegatione: *cap. cùm in iure, de off. delegat. cap. prætereà, de dilat. l. vn. C. de mand. princip. Achill. decis.* 10. *num.* 1. *de dol. & contum. Rot. decis.* 275. *num.* 9. *post. tractat. Posti de manutenen.* de qua materia plura dicta sunt *in cap.* 8. *num.* 240. *vsque* 245. *& cap.* 9. *num.* 8. *& seq. & hoc cap. nu.* 25.

Pariter nullum est decretũ citationis ex defectu iurisdictionis, quando Iudex habet quidẽ iurisdictionem, & eius exercitium; sed inter partes est incompetens: *l.* 1. *C. si à non competenti Iudice:* citatio enim emanare debet à Iudice competente: *Clem. fin. vt lite pend.* & ibi *gloss.* in verbo *competenti;* & quando certum est citationem emanasse ab incompetẽti Iudice, citatus non tenetur comparere; *l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud. Alex. in l.* 1. *in princ. num.* 5. *ff. ne quis eum qui in ius,* & ibi *Ias. numer.* 1. *Gabr. cons.* 167. *num.* 16. *lib.* 2. & dictum est *supra cap.* 9. *num.* 27. sed quando est dubium, citatus debet comparere: *l.* 2. *ff. si quis in ius voc. non ier. & l. si quis ex aliena, ff. de Iud.* & dictum est *in cap.* 9. *num.* 28. & quod competẽtia, seù incompetentia Iudicis consideretur, vel ratione territorij, vel fori, vel exemptionis, latè declaratum est *eodem cap.* 9. *à n.* 29. *vsque* 205.

213 Ratione territorij nullum est decretum ex defectu citationis, quando Iudex decernit citationem contra nõ subditum, qui scilicet non est sui, sed alieni territorij: *l. fin. ff. de iurisd.*-

iurisdict. omn. Iud. Clem. pastoralis, cùm ibi not. *de re iud.*

Item quando Iudex existẽs in alieno territorio decernit citationem contra suum subditum exequendam in suo territorio; tunc enim deficit iurisdictio cùm Iudex extra territorium habeatur tanquam priuatus: *cap. nouit, de Iud. l. 3. ff. de off. præsid.*

Sic è cõuerso, quando existens in suo territorio decernit citationem contra suum subditum exequendam in territorio alieno; tunc enim deficit iurisdictio; quia distinctę sunt iurisdictiones, & territoria sunt diuersa, & vnus non potest alterius iurisdictionem turbare, minusque occupare: *l. repetita, C. de Episc. & Cleric. l. consulta, C. de testam. l. final. C. vnde vi*; sed debet per litteras requirere Iudicem illius territorij, vt illum citet: *l. 1. ff. de seru. fugit. l. vn. C. de offic. comit. rer. priuat. §. si verò quis comprehensorum, in auth. vt nul. Iud.* cum alijs deductis *supra cap. 6. num. 48. & seqq.* & plura alia diximus *in cap. 9. num. 30. vsque 35.* & plenè quando Iudex etiam in alieno territorio possit citare, & è contrario, quando etiam in proprio territorio citare nequeat; dictum est superiùs *hoc eodem capite, à num. 26. vsque 133.* adde *Rot. in nou. decis. 15. de Iud.*

214 Ratione fori nullum esset decretum citationis, vtpotè, si Iudex sæcularis citaret in causis Clericorũ, & quæ sunt fori ecclesiastici: *auth. statuimus, C. de Episc. & Cleric. cap. 1. & 2. & cap. si diligenti, de foro compet. cap. conuenior, 23. q. 8.* & è conuerso si Iudex ecclesiasticus citaret in causis, quæ sunt fori sæcularis, & non ecclesiastici: *cap. licet ex suscepto, eodem tit. de for. compet.* & de prohibito recursu Clericorũ ad sæculares Iudices latè dictum est *supra. cap. 4.* & quod nemo possit citare Clericum coram Iudice sæculari, latè expositum est *supra cap. 5.* & vbi quis forum sortiatur explicauimus *supra cap. 9. num. 11. & seqq.* & de diuersitate fori sæcularis à foro ecclesiastico plura scripsit *Maran. in spec. par. 4. 11. distinct. vers. sæculare, vel ecclesiasticum.*

Sic etiã ratione fori Iudex ciuilis nulliter decerneret citationem in causa criminali; & è conuerso Iudex criminalis non potest citare in causa ciuili, vbi scilicet vnus esset

Iudex

Iudex ciuilium causarum, & alius criminaliū: aliàs secùs; quia Iudex ordinarius potest cognoscere causas ciuiles, & criminales: & in hoc vertitur differentia inter iudicium criminale, & ciuile, vt non possint insimul intentari; & de hoc habemus *tex. in l. vnica, C. quando ciuilis actio criminali praeiudicet*; & an vtraque ab eodē exerceri possit; & quod pendente iudicio super actione ciuili non possit proponi accusatio criminalis super eodem crimine: est *tex. in l. interdum, ff. de publ. Iud.* & quādo accusatio criminalis, & actio ciuilis simul concurrere possint, examinat *Clar. in §. fin. pract. crimin. quaest. 2.* & quod aliud sit Iudiciū ciuile, & aliud criminale, latè declarat *Maran. in specul. par. 4. distinct. 2. vers. an sit Iudicium ciuile, vel criminale*; & in Curia, quando Iudex criminalis inhibere debeat ciuili, vel è conuerso dictum est *supra cap. 3. num. 39.* & quo in loco quis sortiatur forum; latè explicatum est *supra cap. 9. num. 38. cum pluribus seqq.*

215 Ratione denique exēptionis nullum esset decretum citationis, vtputà si ordinarius citaret exemptum: *cap. 1. de priuil. lib. 6.* sed de hac materia exemptionis, & quando personę loci exempti, vel personae per particulare priuilegium exemptae possint citari per ordinarium; & debeant cōparere, & docere de exemptione; latè dictum est *supra cap. 9. num. 93. cum pluribus sequent.*

216 Ex defectu autem propriȩ personae decretum citationis esset nullum, quando persona decernens esset de prohibitis dari in Iudicem: iuxta *tex. in l. cùm Praetor, §. non autem, ff. de Iud.* ibi *Non autem omnes Iudices dari possunt ab his, qui Iudicis dādi ius habent, quidam enim lege impediuntur ne Iudices sint, quidam moribus, quidam natura, vt surdus, mutus, & perpetuò furiosus, & impubes; quia iudicio carent: lege impeditur, qui Senatu motus est: moribus, vt faeminae, & serui: non quia non habeant iudicium; sed quia receptum est, vt ciuilibus non fungantur officijs.*

217 Ex defectu verò causae citandi citationis decretum est nullum, quando scilicet non exprimitur causa propterquā quis citatur: *Bald. in l. consen-*

taneum, C. quomodo, & quando Iud. num. 4. vel non exprimitur, ita clarè, vt citatus possit instrui: *cap. prætereà, de dilationibus; cap. fin. in princip. de dilat. cap. cùm dilecti, de dolo, & cont. l. aut qui aliter, ff. quod vi, aut clam.* cum pluribus tamen declarationibus supra positis *in cap. 9. verſ. de exprimenda cauſa, num.* 395. *cum seqq.* vel si contineret manifestum errorem: vt per *Innoc. in cap. 2. de dilat. num.* 3. vel iniustitiam manifestam: *gloſs. in cap. veniens, de accuſat.* in verbo *propter contumaciam*, vel esset contra stylum facta: *l. 3. §. fin ff. de teſtibus*, cum alijs *deductis in d. cap. 9. n.* 402. *& ſeqq.* & quod in dubio citatio debeat præsumi iniusta, nisi à circumspecto Iudice fuerit commissa censuit *Abb. in cap. niſi eſſent, num. 3. de praben. Vant. de nullit. ex defectu citationis, n.* 29. *Natt. conſ.* 556. *num.* 3. *&* 4. vbi dicit, quod quando Princeps citat aliquẽ ad comparendum personaliter, licet de iure quis possit cõparere per procuratorem; *l. fin. C. de procur.* tamen præsumitur pro Principe, & talis citatio arctat, licet non exprimatur causa.

218 In Principe hoc admitto; quia pro eius facto præsumitur, quem tantæ dignitatis apex attollit: *cap. non nos beatum, 40. diſt.* & eò magis quia, licet citatio sit de iure naturali, tamen quod citatio contineat causam est de iure ciuili, prout etiam quod quis possit comparere per procuratorem est regula iuris ciuilis, cui Princeps non subijcitur: *cap. propoſuiſti, de conceſſ. præben.* cum alijs per *Natt. vbi ſupra, & num. 6. adductis*.

219 Sed in Iudice inferiore à Principe hoc minimè admitto; quia is tenetur seruare ius ciuile, & quod non possit citare ad comparendum personaliter sine causa, dictum est supra; addo quod propter qualitatem personæ non videtur quod contumax debet censeri, qui non tenetur comparere; Et quod præsumendum sit pro persona qualificata, nõ intelligitur in præiudicium tertij; vt probat *Dec. in cap. prudentiam, num. 18. de offic. delegat.* sed generaliùs loquendo, quando Iudex exprimit aliquid in citatione, quod prima fronte est iniustum, & illicitũ; nisi exprimat causam, & excusationem illius iniusti, & illiciti,

liciti, non potest censeri citatio emissa à Iudice circumspecto, & non potest arctare citatum: *Innoc. in d. cap. praeterea, de dilat. in fine*; cuius dictum mihi placet.

220 Ex parte citandi potest etiam esse nullum decretum citationis, vtpotè quando nomen illius nō fuisset benè specificatum; sed erat æquiuocū, & ambiguum: *ad l. eum, quem temerè, ff. de Iud.* & quomodo nomen citandi sufficiat exprimere; latè *declaratum est supra cap. 9. vers. de exprimendo nomine eius, qui citandus est, nu. 206. & seqq.*

Item esset nullum decretū citationis ex parte citandi, vel propter eius impedimentum iuris, vtpotè si citaretur aliquis ex eis, qui prohibentur in ius vocari: *in l. 2. & sequen. ff. de in ius voc.* de quibus infra suo loco dicemus, *in cap. 14. qui sint citandi*; vel propter impedimentum facti, vtpotè si Iudex scienter mandaret citari eum, qui vel propter impedimentum publicum, & necessarium magistratus scilicet, vel alterius publici officij; vel propter impedimentum temporis, vel carcerationis, vel infirmitatis non posset venire: *l. 2. §. 1. & 2. ff. si quis caut.* & latè dicemus *infra eodē cap. 14.*

221 Ex parte instantis pariter decretū citationis potest esse nullum, vel propter eius impedimentum iuris, vt quia non habeat legitimam personam standi in iudicio, vt sunt pupilli, & minores: *l. 1. cum seqq. C. qui legitimam personam stan. in iud. hab. vel non*; vel quia propter periurium non sit audiendus: *l. si quis maior. C. de transact.* vel quia sit publicè excommunicatus: *cap. exceptionem, in fin. de except.* & latè diximus *supra cap. 9. vers. de exprimen. nomine instantis, numer. 270. cum seqq.* vel propter impedimentum facti, vtpotè si instans, pro citationis decreto nomine proprio, non habet interesse; nemo enim sine actione experitur: *l. si quid possessor, §. sicut, in fi. ff. de petit. hered.* quò circa citatio obtenta per cessionarium, seù etiam per tutorem, non valeret, si non constaret de cessione, & de iure cedentis: *l. si nomen, ff. de hered. vel act. vend. l. si plus, §. vlt. ff. de euict.* & si non constaret de tutela, & inuentario, & alijs necessarijs: *l. tutor, qui repertoriū, ff. de admin. tut. vel curat.*

& supra d. cap. 9. num. 292. & seq. vel si instans nomine alieno non habeat mãdatum, & cũ declarationibus positis *dicto cap 9. vers. de exprimendo nomine instantis, num. 270.* & inferiùs suo loco de hac materia *dicemus cap. 12. de instantia pro citatione, in princ.*

221 Ratione etiam loci potest esse nullum decretum citationis, vtpotè quando citaretur quis ad locum non tutum: *Clem. pastoralis, de re iud.* iuxta tamen declarationes, quas attulimus *supra cap. 9. vers. de loco in citatione exprimendo, num. 440. & seqq.*

223 Item ratione temporis, quãdo quis citaretur ad tempus feriatum: *cap. fin. de feriis, l. fin. C. eodem.* sed quando sustineri posset pro tempore non feriato: late diximus *in cap 10. num. 224. & seqq.*

224 Item ratione termini, quãdo in decreto citationis non fuisset assignatus terminus cõgruus; sed nimis breuis: *l. aut qui aliter, ff. quod vi, aut clam*; quam materiam late explicauimus *in cap. 9. num. 530. & seqq.*

225 Tandem decretum citationis potest esse nullũ ratione formę, ordinisue non seruati.

Quãtum enim ad Iudicem delegatum certum est, quod debet seruare formam suæ delegationis: *l. diligenter, ff. mandati, Mantic. decis. 352. nu. 1.* & ideò si causa committitur tribus delegatis, cum clausula, quod si nõ omnes, &c. prius quam appareat de impotentia tertij, duo procedere nõ possunt; & si procedant nihil agunt: *cap. prudentiam, de offic. delegati*: similiter si Iudex delegatus, non habens ad hoc speciale mandatum à Papa, non potest citare partem ad personaliter comparendum; nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel pro instrumẽto calumniæ præstando, vel aliàs iuris necessitas partes coram eo exegerit personaliter præsentari: *cap. 1. de iud. lib. 6.*

Similiter si delegatus habẽs ad certas personas rescriptũ, decerneret citationem cõtra eum, qui non esset expressus in rescripto, decretum citationis esset nullum: *cap. significante, & cap. Rodulphus, de rescript.*

Quantum ad ordinarium, ipse debet in citando ordinem iuris seruare, vt eum qui citari potest, vel personaliter, vel do-

domi nõ faciat citari per edictum; quia tũc esset decretum citationis nullũ: *Innoc. in cap. præterea, de dilat. Bar. in extrau. ad reprim.* in verbo *per edictũ, Vant. de nullit. ex defect. citationis, num.* 123. *Petr. Greg. Tholos. in tract. de appellat. cap.* 15. *num.* 10.

Sed iuxta ordinem iuris cõmunis, quando decernẽda sit citatio, vel in personã, vel domi, vel per edictum exequẽda sigillatim dicemus.

226 Hic tamen prius notãdum est, quod quamuis à decreto citationis nullo nõ esset necesse appellare: *l. si constat, ff. de appell.* ibi *appellatio in re aperta superuacua fuit; & l. 1. C. quando prouoc. non est necess.* ibi *etiã citra prouocationis adminiculum, quod ita pronunciatum est, sententia authoritatem non obtinebit*; vtile tamen foret ad euitandum vlteriorem processũ, & facti executionẽ appellare: *Abb. in cap. quo ad consultationem, nu.* 26. *de re iud. Lancellot. de attent.* 2. *par. cap.* 12. *de attẽt. appellatione pend. ampl.* 6. *nu.* 3. pendente enim appellatione à grauamine quidquid Iudex facit est nullum, & reuocandum: *cap. exhibita in fine, de Iud.* ibi, *mandamus quatenus si ex dictis grauaminibus, vel aliquo ipsorum appellatum constiterit, reuocato in irritum, quicquid post appellationẽ huiusmodi inueneritis attentatum*; *& cap. super quaestionum in fine, de off. deleg.* ibi *à tali grauamine licitè potuit ad nostram audientiam appellare*; quodque post appellationem huiusmodi est præsumptum, iudicari debet irritum, & inane: latè *Franc. in cap. dilecto, nu.* 21. *& seqq. de appellat. Lancell. dicta ampl.* 6. *nu.* 2.

Et quando à decreto nullo nõ esset interposita appellatio, vel interposita fuisset deserta, executio interlocutoriæ non impediretur: *cap. licet, de sent. excom. in* 6. & ibi *not. Doct. Vant. de nullit. tit. quot, & quib. mod. nu.* 35.

Ex eo autem, quod quis appellat à decreto nullo non dicitur illud confirmare, nec habere pro valido: *Bar. & alij in l. si expressim, ff. de appell. Lancellot. de attent. appell. pend. dict. ampl.* 6. *nu.* 5.

Prosequendo modo materiam, videamus quando secũdum ordinem iuris sit decernenda citatio, vel in personã, vel domi, vel per edictum.

DE DECRETO citationis personalis.

227 Ordo iuris est, vt primo quis citetur ad faciem: *l. scire oportet*, §. *qui autem*, *ff. de excusat. tut.* cùm enim citatio fiat ad effectum, vt quis sciat se vocatum, & possit se defendere: *l. si diffamari, C. de ingen.* Rationi conuenit, vt ea fiat in personā, quando citandus potest reperiri, vt sic ipse habeat veram, & indubitatam scientiam citationis, quæ non magis quàm ex denūciatione facta ad faciem potest induci: *Vant. de nullit. ex defect. citat. num.* 81. *Rot. diuers. decis.* 758. *num.* 3. *par.* 3. *lib.* 3. sed quando non reperitur citandus, cōueniens est, vt fiat citatio domi solitæ habitationis, vt sic habeatur scientia præsumptiua: præsumitur enim, quod quisque rediens ad domum habitationis per familiam certioretur de citatione domi facta: *gloss. in l. ex consensu*, §. *vlt.* in verbo *eum qui cognouit. ff. de appellat.* & *in l.* 1. in verbo *notitiam*, *ff. quæ sententiæ sine appellatione rescind.* & *gloss. in cap. causam quæ*, in verbo *ad d omum, de dol. & cont.* quando d enique citandus non reperitur, nec certam habet habitationem, necessitas suadet, vt citetur in locis publicis per edictū, vt ita saltem possit colligi notitia verisimilis citationis: *l.* 2. §. *eodem tēpore magistratus, ff. de orig. iur. l. si quis id quod ff. de iurisd. omn. Iud. auth. qui semel, C. quom. & quando Iud. cap. rem non nouam, de dol. & cont. in extrauag. com.*

228 Itaque Iudex si hunc ordinem peruerteret, suspectus esset, vel de malitia, citando domi eum, qui personaliter citari posset, ne fortè notitiam foret habiturus; vel de calumnia citando per edictum in locis publicis eum, qui non latitaret, & domicilio aperto non careret: famosa enim quodammodo est citatio in locis publicis, quæ tantùm contra vagas, & incerti domicilij personas, & contumaces fieri debet: *l. ad peremptorium cum quinque sequentibus, ff. de Iud. cap. ex tuæ, de cler. non resid.* quo circa hoc modo per edictum publicum citare, quibusuis Iudicibus iure permissum non est: *Bald. in l.* 2. *C. quomod. & quando Iud. Petr. Greg. Tholos. de appellation. cap.* 15. *num.* 10.

Personalis citatio decerni de-

debet nedum in principio iudicij, sed etiam in medio, & in fine.

229 In principio, seù in introductione causę pręmittēda est diligentia de perquirendo citandum, vt personaliter citetur: *Clem.2. de re Iud. Mobed. decis.2. in fin. de dolo, & contum. Caput. decis.* 117. *par.* 1. *Seraphin. decis.* 1276. *num.* 4. *Rot. in recentiss. decis.* 637. *nu.* 2. *par.* 2. & nedum in ciuilibus, sed etiam in criminalibus: *Castr. in l. seruum quoque publicè, nu.* 12 *ff. de procur. Cassad. decis.* 2. *de dol. & contum. Rot. decis.* 133. *num.* 3. *post Cincium, de censib.*

230 Hinc inquisitus si bannitus fuisset non seruato iuris ordine in eo citando, bannum censeretur nullum, non obstante statuto, seù decreto, quod contra banna non possit dici de nullitate: *Bald. in l.* 1. *in fin. ff. si quis iusdic. non obtemper.* not. *in Clem. pastoralis, de re iud. Boss. in praxi crimin. tit. de citat. nu.* 15. sed quod contrarium seruetur de consuetudine testatur *Clar. in praxi crimin.* §. *fin. quaest.* 31. *num.* 16.

231 At si Iudex criminalis haberet in facultatibus à Principe, vt posset procedere absque citatione personali processus valeret: vt per *Afflict. decis.* 391. prout hoc habet in facultatibus Gubernator Vrbis: vt per *Rot. post cons. Farinac. par.* 1. *decis.* 3. *num.* 3.

232 Sed quod Gubernator vrbis non habeat facultatem procedendi in causis magnę summæ cum citatione ad domum, non facta diligentia de citādo personaliter principalem in loco vbi permanebat, ętiam si esset extra Ciuitatē; sed quod debeat procedere secundum iuris ordinem dicit *Caput. decis.* 63. *par.* 2.

233 Immò Princeps potest omisso iuris ordine citare per edictum, illum, qui nunquam personaliter fuit citatus: *Castr. in l. ad peremptorium, col. fin. ante fin. ff. de Iud. vers. sed quando, Dec. cons.* 460. *incip. viso puncto, in* 4. *dubio, Mastrill. de Magistrat. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 174. *vers. trigesimo primo potest citare.*

234 In medio iudicij requiritur citatio personalis, vt possit deueniri ad aliquē actum valdè præiudicialem contra eum, qui nunquam fuit personaliter citatus; ex pluribus adductis per *Vant. de nullit. ex defectu citationis, num.* 83. & 84.

235 Et, ideò quamuis citatio

ad videndum iurare testes debeat fieri personaliter, non autem ad domum, *gloss. in cap. causam*, in verbo *ad domum*, *de dol. & cont. Innoc. in cap. significauit*, in verbo *denunciando*, *de testibus*, *Abb.cons.*84. *lib.*2. Tamen quãdo quis semel fuit citatus personaliter ad causã, & posteà vel nõ reperitur, vel difficulter citari potest; tunc sufficit citatio domi: *Bar.in l.*4 *§.Prætor ait*, *nu.*4. & ibi *Alex. n.*18 *ff. de damn. infec. Rot. decis.*1. *de dol. & cont. in nou. Put. decis.*297. *lib.*2. *Caputaq. decis.* 117. *nu.*1. *lib.*1. *Rot. corã Coccino decis.*216. *nu.*22. & 23.

236 Sed quando etiam fuisset aliquis personaliter citatus in principio litis, si in medio litis Iudex mandaret citari personaliter, eius mandati forma esset implenda: *Seraphin.decis.* 972. *nu.*5. *Rot.in recent. decis.* 635. *nu.*3. *par.*2. & *in recentiss. par.*1. *decis.*628. *nu.*5.

237 In fine iudicij requiritur citatio personalis, præsertim quando nec in principio; neque in medio qui fuit personaliter citatus, vel quando non citatus personaliter non comparuisset in iudicio: *Caputaq. decis* 117. *numer.*1. *part.*1. & *decis.*119. *num.*3. *part.*3. *Rot. in ant. decis.*8. *de dolo*, & *contumacia*, maximè si de tempore sententiæ reperiretur: *Rot. in nou. decis.*1. *in* 1. *addit. circa fin. eodem tit. de dolo*, & *cont.*

238 Qui enim reperiri potest debet de iure ad diffinitiuam personaliter citari: *Clem pastoralis*, *de re Iud. Imol. in cap. si aduersarius tuus*, *de eo qui mit. in poss. Zabarell. in Clem. sæpè, de verborum signific. not.*15. & *seqq. Minsign. sing. obseru. cẽt.*3. *obseruat.*71. *n.*2. & nedũ in petitorio; sed etiã in possessorio: *Caput. dec.* 119. *nu.*2. & 4. *lib.*3.

239 De stylo tamen potest induci, vt ad sententiã sufficiat citatio domi: *Rot. in recent. decis.*644. *n.*5. *in fin. par.*1.

240 At vbi de iure, vel cõsuetudine, vel ex statuto, quis deberet personaliter citari, non sufficeret citatio domi; nisi præcedentibus diligentijs de perquirendo, licet ab initio fuisset personaliter citatus: sic in curia in causis cõmissarijs, quãdo etiam semel apprehensus personaliter, non reperitur, citatur per diligentias, tanquã latitans; vt *supra cap.*7. *nu.*341. *vers. de cit. per diligentias*: vel tanquam absens citatur per contradictas: *d.cap.*7. *nu.*310. *vers. de cit. per contradictas.*

E con-

241 E conuerso, quãdo statutũ contra forenses, & alibi degẽtes admitteret citationem per edictum, citatio personalis nõ requireretur; vt not. ***Doct. in Clem. 1. de Iud. Bal. in l. 1. nu. 7. C. quom. & quan. Iud. Tiraq. de retract. lignag. §. 8. gloss. 3. in fin. Seraphin. decis. 564. num. 1.***

242 Forma etenim citandi per statutũ tradita debet seruari. ***Rot. in recent. decis. 569. nu. 2. par. 1.*** aliàs actus remaneret nullus; & vbi extat particularis statuti dispositio ea in primis est seruanda, & tunc demũ ad ius cõmune recurrendum est, quando statutum deficit; ***l. omnes populi, ff. de iust. & iur. vbi Bal. & Castr. in sum. & Ias. in prima lect. num. 10.***

243 Ordo igitur citãdi secundũ ius cõmune est vt citetur in facie, vel ad domũ: ***l. scire oportet, §. qui autem, ff. de excusat. tut. & curat.*** quam alternatiuã ordinis esse, nõ autem electionis declarat ***Bar.*** & alij sequuntur in ***d. §. qui autem***, & diximus ***supra cap. 7. num. 211. vers. de citat. personali.***

244 Sed quando statutũ idem disponeret, quod citetur quis personaliter, vel ad domũ, an censeri debeat alternatiua ordinis, an electionis, non nulla diximus ***supra cap. 8. nu. 77.*** sed modo plenius dicemus: Vult ***Bar. in l. 4. §. Prætor ait, nu. 15. ff. de damn. infect.*** quod illa alternatiua in casu statuti sit electionis, non autem ordinis nulla scilicet habita distinctione an persona reperiatur, vel nõ: & reddit duplicẽ rationẽ, vna est, vt sic iuri cõmuni aliquid addat, altera quia aliàs nihil operaretur; & ibidẽ ***Alex. num. 11.*** hoc ***Bart.*** dictum reputat valdè singulare, & sequitur ***Abb. cons. 42. nu. 2. lib. 2.*** contrarium tamen tenuerunt multi ***Doct.*** quos recenset ***Tiraq. de retract. consanguin. §. 9. gloss. 2. n. 50.*** & eorũ quinque rationes refert ***nu. 51.*** vsq; 55. Rationes autem pro opinione ***Bar.*** omisit referre, vt ***n. 56.*** & adducens sub ***n. 57.*** quandam distinctionem ***Imola,*** & aliorũ, quod si quęstio est magni prę iudicij obtineat prima opinio vt necessariò priùs sit quærẽda persona, etiã in casu huius statuti; si verò quæstio sit modici præiudicij procedat opinio ***Bar.*** & nõ aliter hanc rem explicat.

Ego pondero prædictas duas ***Bar.*** rationes, & quantũ ad primam quæ est, vt statutũ aliquid addat iuri communi, con-

considero quod ita statutum non adderet, sed corrigeret ius commune, dum mandaret, vt quis domi citaretur, non facta perquisitione personæ, vt ad faciem citaretur; id quod vult ius commune.

245 Et cùm aliud sit corrigere, restringere, ampliare, & declarare; colligunt Doctores quattuor interpretationis species, correctiuam, restrictiuā, ampliatiuam, & declaratiuam: *Azor. in princ. summa, Bald. in l.2. C.de lib. præter, Bar. in l.omnes populi, ff. de iust. & iur. & in l.ab executore, ff. de appellat. Aurel. Dauid. in tractat. de verbor. signific. cap.9. num.1. & 2. Euerar. in loco à ratione legis Larga, n.4. gloss. in l.1.* in verbo *interpretationē ff. ad Tertull.* si igitur statutum disponens idem quod ius cōmune debet intelligi, vt illi aliquid addat.

246 Non ideò sequitur intelligendum esse, vt illud corrigat: *l. præcipimus in fin. C.de appellat.* ibi *quidquid autem hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constitutionumque regulis omnes relictum intelligant*; & quia hoc casu statutū loquitur per eadem verba legis, & per eandem alternatiuam; ideò ea est intelligenda secundum intellectum iuris communis, vt sit alternatiua ordinis, non autem electionis.

247 Nàm etiam in rebus dubijs standum est verbis legis: *l.1. §. si is qui nauem, in fin. ff. de exercit. act.* ibi *in re igitur dubia melius est verbis edicti seruire.*

248 Et quādo statutum disponit super eo, super quo dispositum est à iure communi, interpretari debet secūdum ius commune: *l.2. C. de noxal. act.* quam ita summat *Bal. ibid.* ad idem est *tex. in cap. cùm. dilectus, de consuet.* ibi *cæterum cùm supradictum statutum ita sanè possit intelligi, quod per illud, nec iuri cōmuni, nec priuilegio derogetur, Alex. cons. 5. n. 2. vers. & statutū etiā volens. lib. 2*

249 Quantum ad secundam *Bar.* rationem, quod aliàs dictum statutum nihil operaretur; respondetur primo, quod statutum disponens idem quod ius commune, etiam si nihil addat, satis dicitur operari, tanquam emanatum ad tollendam quamcunque siuè iuris communis ignorantiam; siuè illius dubitationem, & ambiguitatem: *l. fin. C. de ind. vid. toll.* ibi *pertinere quidem ad sensum nostræ legis, quam su-*

super hoc promulgauimus, nō est incertum: nè tamen quædam ambiguitas simplices animos moueat etiam expressim sancimus; & præsumendum est tunc statuentes id expressisse, ne de tali iuris cōmunis dispositione possit dubitari; iuxta *tex. in l. 1. §. sed sciendum, ff. de exercit. act.* ibi *ego puto, ediles tollendæ dubitationis gratia, his idē dixisse, nè quæ dubitatio superesset*.

250 Secundo respōdetur, quod tali etiam casu statutū aliquid operatur; quia censetur ius commune: & habet maius robur, itaut actus contrarius ipso iure sit nullus: *gloss. in cap. 1.* in verbo *facti, de constitut. lib. 6. Alex. d. cons. 5. num. 3. vers. accedit, quia cùm statutum, lib. 2. Angel. de Perusio cons. 357. nu. 3* addo *tex. in l. ius ciuile, ff. de iust. & iure*, ibi *itaque cùm aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium, idest ciuile efficimus*. Ergo quādo statutum disponit idem quod ius commune, attenditur tanquam lex, non tanquā statutum: & tunc plus timeri solet: *gloss. 1. in cap. 1. de rescr. circa fin.* ibi *vel potest dici, quod solùm ius commune indulgetur huic ad cautelam; quia solet plus timeri*; sed tali casu an sublato iure cōmuni intelligatur sublatum statutū, ponit *Bald. in d. cap. 1. de rescr. nu. 15.* & ibidem *Felin. nu. 15.* addit plures declarationes.

251 Tertio respondetur, quod statutum debet intelligi, vt aliquid addat vltra ius commune, est verum, nisi ita intelligendo quis indebitè damnum pateretur; quia potius debet intelligi, quod statutum sit frustratorium, & nihil operetur, quàm quod quis indebitè damnum patiatur: *gloss. magna in fin. in l. fin. §. in computatione*, quam ibi extollunt *Bar. & alij, C. de iur. delib.* vt per *Ias. in l. properandū, §. sin autē alterutra parte, n. 6. C. de Iud.* vbi subiungit, quod quando statutum vtitur eisdē verbis, quibus ius commune, est recitatorium iuris communis, & sic non est propriè statutum; ergò non debet intelligi, quod aliquid iuri communi addat.

252 Quarto, & vltimo respondetur, quod statutū semper ita intelligi debet, vt reddatur rationabile: *l. Saluius Aristo, ff. de leg. præstan. Crauett. cons. 3. nu. 23. Rol. cons. 427. num. 39. lib. 3.* & sępiùs censuit *Rot.* vt *in recent. decis. 494. num. 15. par. 1.* statutum autem in hoc casu si vel-

vellet, vt omissa personali citatione quilibet citaretur domi, vtrunque esset irrationabile, cùm euenire posset, vt citandus citationis notitiam certam non haberet, & è conuerso valdè rationabile est, quod primo quis citetur personaliter, ad excludendam fraudem, & malitiam citandi, ex addductis per *Vant. de nul. lit. ex defectu citat. nu.* 82.

253 Quid dicemus? tetigi *supra in cap.* 8. *nu.* 77. hanc quæstionem, & transiui cum distinctione, quam vide; modo strictè ad casũ propositæ quęstionis, quod scilicet statutum disponat de citatione, vt fiat ad faciem, vel ad domum, & ita eo modo, & eisdem verbis quibus disponit ius commune, dico quod statutum debet intelligi, vt aliquid addat iuri communi, hoc est vt alternatiua non sit ordinis, sed electionis; iuxta prædictam opinionem *Bartoli*, cui non obstant ponderationes superiùs factæ.

Considero enim huiusmodi statutum non posse censeri correctorium iuris communis, neque irrationabile, ex quo variaret dumtaxat modũ citandi, qui est iuris ciuilis; id quod per statutum fieri potest, dummodò non auferatur defensio, quæ est iuris naturalis; *Oldrad. consf.* 43. *num.* 1. *vers. & ad hunc modum. Angel in l. si sic, nu.* 2. *vers. nec obstat, & vers. quinimo, ff. de leg.* 1. *Felin. in d. cap. dilecti filij, nu.* 7. *de except. Alex. consf.* 225. *nu.* 8. *vol.* 6. *Burat. decis.* 118. *nu.* 9. de qua materia alia diximus *supra dicto cap.* 8. *nu.* 59. *&* 66. & omissa citatione personali, vtique valet citatio domi, quando statutum ita disponit, vel etiam quando ita induxit stylus, *vt infra num.* 346. *& seqq.* & non video posse applicari in hoc casu; quod statutũ huiusmodi videretur emanasse ad tollendam iuris communis ambiguitatẽ, seù ignorantiam; quia clara, & nota est de per se iuris cõmunis dispositio, quod ratione sciẽtiæ. Indubitatæ prius citetur personaliter: deindè pro habenda scientia præsumpta, citetur domi. Sed vt puto censeretur potius emanasse ad tollendam difficultatem citandi, ex quo vt plurimũ Rei solẽt effugere, & egrè ferre citationes ad faciem, & ita esset statutum vtile actoribus, & reis nõ esset læsiuum: nàm

Quan-

254 Quando etiam statutum admitteret solam citationem domi attamen talis citatio nõ operaretur effectus personalis citationis; & in terminis statuti Bononiæ volentis citationem ad sententiam fieri domi dimissa copia per binos Nuncios, quod ita citatus non sit verus contumax, sed fictus.

255 Vt possit appellare à die habitæ notitiæ; tenuit *Rota in Bononien. attentator.* 10. *Nouembris* 1595. *coram Orano*, iuxta *dec.* 2. *de dolo, & contum. in nou.* etiam si habuisset notitiam citationis; quia respondit non sufficere, quod procurator habuerit notitiam citationis, comparendo in iudicio, & protestando; nisi etiã sciuerit sententiam fuisse latã: *Felin. in cap. quoad consultationem, num.* 24. *de re iud. Natt. conf.* 51. *nu.* 1. *lib.* 1. *Lancellott. de attẽt. par.* 2. *cap.* 12. *limit.* 50. *num.* 158. *& seqq.*

256 Et hac ratione, quia vera notitia, & indubitata citationis non potest haberi, nisi ex citatione personaliter facta; ideò qui personaliter non fuit interpellatus, non potest censeri constitutus in mora: *Bald. in l. item illa, post princ. in gloss.* 3. *vers. quandoque in obligatione non est apposita dies, ff. de const. pec.* cũ alijs adductis per *Gratian. discept. forens. capit.* 708. *num.* 8.

Et qui personaliter non fuit citatus non potest censeri verus contumax: *Clem. pastoralis, de re iudic. gloss. in l.* 1. *§. fin.* in verbo *computandum, ff. quando appell. sit, Rot. in nou. decis.* 2. *de dol. & cont. Vestr. in praxi, lib.* 7. *cap.* 3. *nu.* 22. & ibi *Adden. num.* 53.

Et propterea nõ citatus personaliter iure suo priuari non potest; quia requiritur certa, & indubitata notitia: *Felin. in cap. quoniam, §. porrò, col. ante pen. num.* 22. *vt lit. non contest. & in cap. cùm contingat, nu.* 6. *de rescr. Sarnens. in reg. de infirmis, vers.* 2. *verò cap. circa fin.*

257 Hinc quando agitur de priuando aliquem suo beneficio, ex quo non fuit promotus intra annum debet citatio legitimè, & clarè deuenire ad eius notitiam: *Rota in ant. decis.* 21. *de dol. & cont.* & requiritur citatio personalis, nec sufficiunt aliæ coniecturæ: & priuatio aliter facta est nulla: *Caputaq. decis.* 114. *nu.* 1. *par.* 1.

258 Sic etiam quando agitur de priuando aliquem suo beneficio ob non residentiam, si

sit

sit præsens debet citari personaliter; si verò sit absens, requiritur trina citatio per edictum in loco beneficij, & debet expectari per sex menses; *cap. ex parte, il primo, de Cleric. non resid. Seraphin. decis.* 1346. *nu.* 2. & *dec.* 1366. *nu.* 1. *Mantic. decis.* 12. *per tot.*

Sicut etiam quando agitur de priuando vassallo suo feudo ob delictum, si est per præsens debet personaliter citari, si absens trina citatio requiritur: *cap.* 1. *de mil. Vassal. qui cont.* & ibi *Isernia, Seraph. dec.* 290. *n.* 4

259 Ita pariter excommunicari nequit, qui personaliter citatus, & competenter admonitus non fuit: *cap. sacro, & cap. contingit, il* 2. *de sententia excom.* quandoquidem pœna excommunicationis exigit indubitatam scientiam, & personalem intimationem: *Innoc. & alij adducti per Cassad. dec.* 2. *de pens. nu.* 4. & contra personaliter non citatum sententia excommunicationis est nulla: *Seraphin. decis.* 1296. *nu.* 1.

Hoc tamen declara primo, vt non procedat, quando eius, qui non citatus personaliter fuit excommunicatus, comparuisset procurator; quia per procuratoris comparitionem censetur sanatus defectus citationis: *Rota decis.* 11. *de dol. & cont. in nouis, Seraphin. d. decis.* 1296. *num.* 1. si tamen idē procurator habuisset mandatum specificum ad illam causam: *Vant. de nullit. tit. fin. num.* 123. *Seraphin. decis.* 1366. *num.* 2. *de quo constare deberet Seraph decis.* 1346. *nu.* 4.

Declara secundo, quando quis est in loco, ad quem non patet tutus accessus attestante Notario, & Nuncio executore, quia potest citari per edictum ad domum, & ad valuas Ecclesiæ Cathedralis: iuxta *Clem. causam, de elect.* quia tunc subsecuta contumacia, etiam non personaliter citatus, potest excommunicari: *cap. certum* 11. *quæstione* 3. *Seraph. dicta decis.* 1296. *num.* 3. & 4.

Declara tertio quando quis excommunicandus dolo latitat, vel subterfugit citationē, vel malitiosè abest; quia tunc, vt possit excommunicari citatio ad domum, vel per edictum sufficit: *Felin. in cap. cū sit Romana, de appellat. Couarr. in cap. alma mater,* 1. *par. §. noto, Tiraq. de retract. lib.* 1. *§.* 9. *gloss.* 2. *nu.* 4. *Genuens. in praxi Neapol. cap.* 24. *num.* 12. *vers.* 7. *not.*

Quan-

260 Quando autem non agitur de excommunicando, sed reducendo in excommunicationem malè absolutum, non requiritur citatio personalis; sed sufficit, vt bis domi citetur, vel per edictum: *Felinus in dicto cap. cùm sit Romana, num. 14. de appellat. Rot. in nouis decis. 7. circa fin. de sententia excom. Genuens. vbi supra num. 12. in fin.*

261 Declara quartò, quod sententia excommunicationis, quæ imponitur pro sola contumacia, valet sine citatione, quando scilicet contumacia legitimè conuicta est, & manifesta: *Abb. in cap cùm sit Romana, de appellat. & in cap. fin.* & ibi *Ripa num. 79. de Iud.*

Et ad hoc, vt quis censeatur excõmunicatus, an & quãdo requiratur declaratoria, & citatio, dictum est *supra cap. 5. num. 67. cum seqq.*

262 Quãdo verò Iudex committit Nuncio, vt aliquem citet personaliter, vel domi, transit sine vlla dubitatione, quod talis alternatiua sit ordinis, nõ autem electionis, vt primo perquirat citandum, vt personaliter eum citet, quo non reperto citet ad domum; *Bartol. in dicta l. 4. §. prætor ait n. 13. ff. de damn. infect. Vant. de nullitat. ex defect. citationis, nu. 96. Catell. Cott. in memoral.* in verbo *citationis forma*.

263 Et ideò antequam Iudex decernere possit citationem ad domum, debet committere, vt fiat perquisitio personæ: *dicta l. scire oportet, § oportet, il primo; vbi not. omnes, ff. de de excusat. tut. l. aut qui aliter; §. etiam si fortè, ff quod vi, aut clam, l. 1. in princip. ff. de liber. agnosc. & §. si verò etiam quidam iurent, in auth. de exhibend. reis. Alex. cons. 2. num. 1. lib. 3.* & dictum est *sup. cap. 7. n. 233. vers. de cit. domi*; & firma est conclusio, quod ex abrupto nõ debet quis citari, nisi prius discussum sit, an personaliter reperiatur: *Rom. cons. 454. nu. 4. Abb. cons. 84. nu. 1. lib. 2.* & omissio huius perquisitionis reddit processum nullum; *Bartol. in dicta l. 4. §. prætor ait, num. 5. & 6. ff. de damn. infect. Laderch. cons. 15. num. 8. Alex. cons. 2. num. 1. vol. 3. Gramat. cons. 1. in materia foriudicationis, num. 6.*

264 Idcircò citatio debet esse certa nedum respectu personæ citandæ: *Mars. in rubr. de probat. num. 366. & 370. Guid. Papa quæstione 445. Rol con-*

consilio 32. *numer.* 28. *libro* 1.

265 Et Nuncius debet habere notam personam citandi, aliàs citatio non valeret, si Nūcius esset incertus, dubiusue, an ille, quem citauit, esset talis: non tamen est de necessitate, quod Nūcius habeat notitiam per præcedentem conuersationem, vel cognitionem; sed satis est, quod eam tunc acquirat interrogando personam, & aliquos etiam an sit talis, & prout dicitur de Notario quomodo debeat habere notas personas contrahentium; vt per *Bald. in rubr. C. de fide instr. num.* 11. *Ruin. cons.* 187. *num.* 17. *lib. primo*; *Rota diuers. decis.* 434. *num.* 1. *par.* 1. *& in recent. par.* 2. *decis.* 209. *num.* 1.

266 Et quādo persona est certa, citatio debet nominatim fieri: *Crauett. cons.* 182. *nu.* 10. & vbi certa non est debet fieri diligentia, vt certificetur, quò possit personaliter citari: *Alex. cons.* 5. *num.* 2. *& cons.* 83. *n.* 9. *lib.* 2. quod procedit etiam vbi sunt plures citādi; quia adhuc illi sunt nominatim citandi: *Menoch. de recup. poss. rem.* 8. *num.* 108. *& de adipisc. rem.* 4. *n.* 464. & plura diximus *supra cap.* 9. *num.* 256.

Et quamuis in libello non sit necesse specificare personas, in processu tamen eæ in citatione sunt specificandæ, aliàs citatio non valet: *Rolan. cons.* 53. *nu.* 26. *&* 27. *lib.* 4.

Et de exprimendo nomine eius qui citandus est, dictum est *supra cap.* 9. *nu.* 206. *& seq.* & de expressione citādorum, à quo fieri debeat: *dicto cap.* 9. *num.* 228. *& seqq.* & de specificatione nominum vigore clausulæ, omnesque alios, pariter dictum est *dicto cap.* 9. *nu.* 240. *cum seqq.* sed vbi, & quomodo perquirendus sit personaliter citandus, modò videamus.

PERQVISITIO PERSONÆ citandæ personaliter, quo in loco, & quomodò fieri debeat.

267 Pluribus in locis potest quilibet forum sortiri, & conueniri, nempè in loco originis, in loco ciuilitatis, in loco cōtractus, & destinatæ solutionis, in loco domicilij habitationis, seù incolatus, in loco rei sitæ, in loco rei gestæ, & in loco delicti; vt supra latè declarauimus: *cap.* 9. *nu.* 43. *cum pluribus seqq.*

268 In loco propriè, paterneuè ori-

originis, si actor vult reum conuenire, in eodem loco facienda est diligentia de perquirenda persona rei; quia aliàs nemo potest in loco vnius, alteriusuè originis conueniri; nisi ibi inueniatur, quādo alibi habet domicilium: *Bart. in l. assumptio*, §.1. *ff. ad municipal. Afflict. dec.*384. *n.*6. *Boss. in praxi crim. tit. de citat. num.*30. *& supra dicto cap.*9. *num.*50.

269 In loco ciuilitatis quis forum etiam sortitur, vbi scilicet quis ex priuilegio sit ciuis: *l.*1. *ff. ad municipal.* ibi *nisi fortè priuilegio aliquo*, vbi *gloss. infert: priuilegio ergo municeps fit*; & idem dicitur *in l. priuilegio*, *C. de incol. lib.*10. sed eodem modo conueniri poterit, quatenus inueniatur: *l. Senatores*, *C. eodem tit. & lib. ibi Senatores in sanctissima Vrbe domicilium dignitatis habere videntur*; & ideò ibi priùs quærenda est persona.

270 In loco contractus nemo potest conueniri; nisi ibi inueniatur: *cap.*1. §. *contrahentes*, *de for. competen. lib.*6. & ibi *Io. Andr. & Gemin. numer.*16. *& Franc. num.*1. nisi fortè iurasset ibi sistere in iudicio: *Angel. de Perus. in l.*1. §. *si quis tutelam*, *num.*3. *ff. de iudic.* & dictum est *supra cap.*9. *num.*78. *&* 91. & ideò ibidem perquirenda est persona, quæ non reperta ibi non potest citari, nec conueniri.

271 Et idem est dicendum etiā de loco quasi cōtractus, vt est exemplū in hærede, qui quasi contrahit cū creditoribus hereditarijs, qui nisi reperiatur in loco defuncti, ibi non potest conueniri: *l. hæres absens*, *ff. de iud.* ibi *& conueniendus est*, *si ibi inueniatur*; & dictum est *supra cap.*9. *n.*80.

272 In loco destinatæ solutionis, quod pariter quis non possit conueniri, nisi ibi reperiatur, censuit *Abbas in cap.*1. §. *contrahentes*, *de for. cōp. lib.*6.

Sed re vera ille *tex.* loquitur de loco celebrati contractus, prout etiā aduertit *Rip. cap.*1. *de iud. num.*64. quamobrem dicēdum videtur, quod in loco destinatæ solutionis possit quis conueniri, siuè ibi reperiatur, siuè non; quia quando quis promittit certo loco soluere, addit forum foro; idem *Abb. in d. cap.*1. *de iud. & ibidem Rip. num.*64. & potest ibi cōueniri, & etiam in loco domicilij; sed electio est actoris, quo loco velit agere;

vt per *Bal.in l.vn. nu.4. C.vbi conuen. qui certo loco dare promisit*.

273 Sed quãdo actor scit reum non inueniri in loco destinatę solutionis, quatenus velit ibidem eum conuenire, videtur quod debeat illum citari, & perquiri facere in loco sui domicilij: vel vbi notum est illum reperiri, seù commorari, vt se defendat in loco destinatæ solutionis aliàs esset fraus aperta in citando: *Caput. decis.* 117. *num.* 3. *par.* 1. *Ladersh.* qui alios refert *cons.* 15. *nu.*8.

274 Sed vlterius is qui promisit certo loco se soluturum, potest conueniri nedum ibi, & in loco domicilij; sed etiam in alio loco vbi reperitur; ad *not. per Bar. in l.* 1. *nu.* 1. *& seq. ff. de eo, quod certo loco*; & quando in loco destinato non satisfecit intrat actio arbitraria; vt in *d. l. vn. C. vbi conuen. qui certo loco dare prom.* ibi *qui certo loco se soluturum pecuniam oblig. si solutioni satis non fecerit, arbitraria actione, & in alio loco potest conueniri, in qua æstimatio venit, quod alterutrius interfuerit loco suo potius, quam in eo, in quo petitur solui*; vbi *gloss. & Bald.* dictam actionem arbitrariam explicant.

Ex quibus apparet, quod perquisitio personæ debet fieri, vel in loco domicilij, vel in alio vbi scitur eum commorari, & reperiri.

275 Sed quid dicemus de obligato in forma Cameræ, qui communiter in Vrbe coram A.C. pro, eo quod certo loco, putà in certis nundinis se obligauit soluere? an eius perquisitio, seù citatio fieri debeat in Vrbe, an extra Vrbẽ in loco destinatæ solutionis, an verò in loco domicilij, & an mandatum executiuũ sit nullum, ex eo quod citatus non fuerit in loco domicilij; sed solùm in loco destinatæ solutionis, vbi non existebat, nec locum habebat?

Breuiter dico, quod A. C. est executor obligationis Cameralis priuatiuè quoad alios, vt in eius facultatibus, §.4. & ideò est Iudex competens, quoad omnes eadem forma obligatos: *Galles. de oblig. Cam. quæst.* 7. *num.* 1. *& seqq.* & eius citationes non sunt exequẽdę personaliter; sed domi iuxta stylum notorium eiusdem tribunalis; vt per *Salust. Tib. in praxi A.C. lib.* 1. *cap.* 49. *nu.* 1. & ideò in hoc casu non intrat quæstio vbi sit facienda perqui-

quisitio personæ ad effectũ, vt ea non reperta possit fieri citatio domi; sed solummodò intrat quæstio vbi debeat citari, an in loco destinatæ solutionis, an in loco domicilij.

In vno casu quando agitur de executione obligationis Cameralis necessaria est perquisitio personæ, quando scilicet agitur de debitore excommunicando in subsidium, quando contra eum executio siuè realis, siuè personalis fieri non potest; iuxta dispositionem *Sacr. Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de reform.* & iuxta *constit. Pij V. super reformat. tribunal.* quo casu vbi fieri debeat diligentia de exequendo mãdatum relaxatum contra personam, & bona, vsus Curiæ introduxit, vt diligentiæ fiant in loco destinatæ solutionis, & in Curia, quando etiam in Curia solutio fieri debeat: *Salust. Tiber. in dict. prax. cap. 31. numer. 8. lib. 1.* quem vsum approbauit *Paul. Quĩtus in sua Constitutione super reformatione Tribunal. in tit. de Audit. Cam. vers. 2.* vbi statuit, quod non deueniatur ad censurarum relaxationem, nisi in subsidium, & factis prius diligentijs in locis destinatæ solutionis, prout hactenus fieri consueuit; & quando solutiones sunt faciendæ extra Curiam, tunc conceduntur censuræ directæ Curiæ ecclesiasticæ eiusdem loci, cùm clausula facta prius diligentia, & vobis legitimè constito, quod vigore præsẽtis nostri mãdati executiui exequutio realis, aut personalis facilè fieri non possit, publicetis excõmunicatum N. vt per eũdem *Salust. Tiber. d. cap. 31. num. 13.*

276 Histantibus dicendum est, quod citatio cõtra obligatum in forma Cameræ satis sit, quod fiat in loco destinatæ soluitonis absque eo, quod fiat etiam in loco domicilij: si enim hoc sufficit vbi agitur de grauiori præiudicio, & de censuris, multò magis vbi agitur de sola relaxatione mandati executiui in vim eiusdẽ obligationis, et iste vsus A.C. meo iudicio videtur valdè cõformis iuri communi, secundum cuius regulas, quãdo quis promisit certo die in nũdinis, vel alio certo loco soluere, si ibi non venerit, vel non miserit die præfixo, videtur per dolum abesse, & esse cõtumax: *Arg. l. is qui dolo, ff. de rei vend. Bald. in cap. 1. de milit. vassall.*

Nn 2 qui

qui cont.est nu.9. maximè quādo foro specialiter renunciasset; *l.1.* & ibi *gloss.* in verbo *specialiter, ff. si quis in ius voc. non ier.* vel etiam quando promisisset cum iuramento: *Abb. & alij in dicto cap. 1. de Iud.* & ibi *Rip. nu.65. & 66.*

Sed sic est, quod obligatio in forma Cameræ continet iuramentum: *Rot. diuers. dec.800. num.4. par.3. lib.3. Zach. de oblig Cam. quæst.25. num.7* & etiam renunciationem fori: *Gallef. de oblig. Cam. quæst.7. per tot.* & ibi *Zach. in addit. n.3.* ergò.

277 Hic non prætereo, quod quando obligatus soluere certo loco posset etiam alibi conueniri, tamen lex, & consuetudo loci destinatæ solutionis, quātum scilicet attinet ad solutionem, debet attendi, non autem loci iudicij: *Bart. in l. cunctos populos, num.18. C. de sum. Trin. & fid. cathol. Rota post Zach. de oblig. Cam. dec.78. num.7.*

278 Atque licet possit alibi cōueniri; non tamen potest cogi, vt soluat alibi, quàm in loco destinatæ solutionis; nisi quando iusta causa id suaderet: *l. vsuras, C. de solut.*

279 Iusta autem causa esset, quando creditor esset bānitus à loco destinatæ solutionis, itaut ibi non posset agere, neque solutionem recipere, vt per eundem *tex. in d. l. vsuras,* not. *Rom. in sing.72. incip. Senensis*; & comprobat *Gig. de pension. quæst.82. per tot.* quod tamen ego intelligo, quando bannitus esset talis, qui nec per se, nec per alium posset ibi agere, vel recipere, aliàs secùs si posset per procuratorē; addicta per *Angel. de Perus. in l. hæres absens, §. si quis tutelam, nu.12. ff. de Iud.*

280 Sed quid quando sunt destinata plura loca solutionis? Dic quod si sunt posita copulatiuè, vt putà Bononiæ, & Florētiæ, & Romæ; tūc propter copulā censetur facta diuisio, & promissio soluendi ratā quolibet loco: *tex. est in l.3. §. si quis ita, il primo, ff. de eo, quod certo loco*; ibi *si quis ita stipuletur Ephesi, & Capuæ; hoc agit, vt Ephesi partem, & Capuæ partem petat*; & hoc casu perquirenda erit persona in eo loco, quo illa pars petitur: sin autē posita sūt indefinitè videlicet Bononiæ, & Florentiæ, & Romæ, cum clausula indefinita, & quolibet alio loco, seù vbicunque locorum, & vbi inuenie-

nietur; tunc nō censetur facta diuisio; sed totum debet solui in vno loco: *l. quoties in actionibus, ff. de reb. dub. Bar. in d. l. 3. §. si quis ita il 1. ff. de eo quod cer. loc. num. 1.*

Idem est quādo plura loca solutionis sunt posita alternatiuè, videlicet Bononiæ, vel Florentiæ, vel Romæ, quia in quolibet locū totum est soluēdū; & antequam petitum sit, electio est creditoris vbi petat & debitoris vbi soluat: *d. l. 3. §. & generaliter, ff. de eo quod cer. loc.* ibi *& generaliter diffinit Sceuola petitorē electionem, vbi petat habere: Reum vbi soluat; Rip. in d. cap. 1. n. 69. cum seq. de Iud. pract. Papien. in foro libell. in act. hypotec.* in verbo, *ac restituere promisit, nu. 2.*

281 Et in istis casibus si inter alia loca fuisset promissū soluere in loco domicilij, ibi deberet perquisitio personę debitoris fieri, cùm attendatur, quod principaliùs est: *Dec. cons. 283. n. 11. vers. nō obstat*; & locus domicilij est principalior; quia in eo debitor semper potest cōueniri, & astringi, vt ibi soluat: *l. hæres absens, §. illud sciendū, ff. de Iud.* ibi *illud sciendū est eum qui ita fuit obligatus, vt in Italia solueret si in Prouincia habuit domicilīū vtrobique posse conueniri, & hic, & ibi, & ita Iuliano, & multis alijs videtur.*

Si verò nō fuisset destinata solutio in loco domicilij; sed Romæ, satis esset Romæ debitorem perquirere, tanquam in loco principaliori destinatæ solutionis; vt dictum est.

282 Si igitur creditor vult cōuenire debitorē in loco sui domicilij, seù habitationis, seù incolatus, certum est, quod eius persona debet in eodem loco perquiri: *gloss. in cap. causā,* in verbo *ad domū, de dol. & cont.* & ibi *Abb. nu. 5. Mobed. dec. 2. eod. tit. Seraph. dec. 1123. nu. 1.*

283 Iudex ratione domicilij sēper competens est: *Bar. in l. relegatorum, §. interdicere, ff. de interd. & releg. nu. 4.*

284 Quę diligētia de reperiēdo fieri debeat nedū in Ciuitate; sed etiā in suburbijs: *l. 1. ff. de lib. agnosc.* & etiā extra Ciuitatē, si in certo loco sciretur cōmorari: *Caput. dec. 117. n. 3. p. 1.*

285 Sed quia quis potest in pluribus locis esse incola, aut domicilium habere: *l. Labeo, ff. ad municip.* & potest esse quis æqualiter instructus duobus in locis, & nō minus hic quā illic frequenter cōmorari: *l. eius qui*

manumisit, §. *Celsus*, *ff. eodem titul. ad municipal.* ideò debet hoc casu perquiri tàm in vno, quàm in alio: si autem quis magis assiduè, & frequenter cõuersetur in vno loco, quàm in alio; tunc attenditur domicilium, quod principaliùs est: *Dec. d. cons.* 283. *nu.* 11. *Cagnol. in l. exigere, num.* 19. *ff. de Iud.* & in quo pro maiori parte anni solet habitare: *l. cùm de lanionis*, §. *Sabinus ff. de fũdo instr.* ibi *quæ ibi maiore parte anni morarentur*; & ibi not. *Bar.*

286 Si post obligationem cõtractam debitor mutauit habitationem, & domicilium, et illud sit certum, et in loco tuto, vel facili, ibi persona eius est perquirenda, secùs si in loco non tuto; *l. si conuenerit, ff. de iurisd. omn. Iud. l. si quis postea, ff. de Iud. Bald. in l. acceptam, nu.* 25. *q.* 14. *C. de vsur.* *vbi* ait.

287 Quod debitor qui promisit soluere ad domum creditoris nõ tenetur ire ad nouam habitationem; si vltra quàm prius grauaretur.

288 Ex quibus autem cognoscatur aliquem habere animũ mutandi, et nouum contrahẽdi domicilium in aliquo loco: ponit *Cas. de Grass. decis.* 15. *de probat. Rota diuers. decis.* 150. *par.* 2. *& in recent. decis.* 188. *part.* 2. & plura ponunt *Mascard. de probation. conclus.* 535. *Menoch. de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 42. *& de arbitr. Iud. casu* 86.

289 At si quis conuenitur in loco rei sitæ; ad *tex. in l. fin. C. vbi in rem actio*; eodem in loco domicilij, seù vbi moraretur perquirenda esset eius persona, vt personaliter citaretur: licet enim in loco rei sitæ quis non reperiatur, tamen ibi potest cõueniri, quã do scilicet agitur de sola immissione in possessionem rei, non autem quando agitur in petitorio, vel actione personali, quia tunc si in loco rei sitæ non reperitur, ibi non potest conueniri; vt not. *Doct. in cap.* 1. §. *contrahentes, de for. competen. lib.* 6. *Bos. in praxi crim. tit. de citat. nu.* 33. *& not. Paul. de Castr. in d. l.* 4. §. *Prætor ait, num.* 6. *ff. de damn. infect.*

290 Quod quando citatus non habet propriam habitationẽ, & agitur de re immobili, putà de prædio, posset affigi citatio ad illam rem, & arctat ipsum; sed si non ageretur de certa re, sed de pecunia, deberet affigi citatio in valuis pu-

publicis, vel Ecclesiæ, nisi per statutum aliter prouideretur; vt in *l. consentaneum, C. quom. & quando Iud.*

291 Sic etiam quando conuenitur quis in loco gestæ administrationis perquiri debet, vel in loco domicilij, vel alibi vbi reperiri certum sit; ratio tamen administrationis, siuè rei priuatæ, siuè publicæ reddi debet vbi gesta est: *l. 1. & 2. C. vbi de ratiocin.*

292 Et idem dicendum est, vbi de crimine cõtra aliquem agendum sit; quia si esset personaliter citandus: perquirenda esset eius persona in loco vbi reperiretur, vel aliàs in loco domicilij, vel in loco delicti inchoati, siuè perfecti: ad *tex. in l. 1. C. vbi de crim. agi opor.* ibi *quæstiones eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coercentur, vbi commissa, vel inchoata sunt, vel vbi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis perfici debere, satis notum est*; adde *Angel. de Perusio, & alios in l. omnẽ, ff. de Iud.*

293 Et quod in criminalibus requiratur citatio personalis, & perquisitio personę, vt tanquam verus contumax possit condemnari, communis est opinio; vt per *Rolan. consf. 47. num. 18. lib. 2.*

Sed in contrarium, quod in criminalibus sufficiat citatio ad domũ, absque alia perquisitione personæ, & quòd ita de consuetudine seruatur dixerunt communiter *Doctores relati per Clar. in prax. crim. §. fin. quæst. 31. num. 15. Rot. post consf. Farinac. par. 1. dec. 3. num. 3.*

Et in hac materia sunt ferè in omnibus locis statuta, quæ seruanda sunt: potest enim induci à statuto modus citandi præter ius commune, & valet; & ita seruat consuetudo: vt per *Clar. d. quæst. 31. nu. 15. in principio*; & in statu ecclesiastico, iuxta ordines in causis contumacialibus seruãdos, editos per Eminentissimum Cardinalem Franciscũ Barberinum de anno 1631. quam appellant cõstitutionem Barberinam, cautũ est, quod reus formata contra eum inquisitione citetur ad domum suæ solitæ habitationis.

Sed cùm pro nunc nos loquamur de perquirenda persona, quando necessariò est citanda personaliter, postquã satis diximus quo in loco sit perquirenda, sequitur, vt videamus quomodo per Nun-

cium sit facienda hęc perquisitio, an ad solam domum, an per totam Ciuitatem, an etiã per Prouinciam.

294 Si qui personaliter citandus est stat in sua Ciuitate, tunc eius persona perquirenda est nedum in Ciuitate; sed etiam in Suburbijs: *l. 1. ff. de lib. agnosc. Vant. de nullitat. ex defect. citat. num. 94.* atque etiam in comitatu: appellatione enim Ciuitatis venit comitatus, & non dicitur abesse à Ciuitate, qui est in comitatu: *Rom. cons. 454. in præsenti col. 2. num. 6. Abb. cons 43. n. 3. lib. 2.* & in eo loco pariter, in quo solet commorari siuè sit ciuitas, siuè castrum, vel vicus: *cap. ex parte, de for. compet.*

295 Si verò abest à Ciuitate, & certum est vbi sit, in eo loco debet perquiri, & citari vbi de tempore citationis degit: *Caput. decis. 117. num. 3. lib. 1.* adde *Bart. in l. 4. §. Prætor ait, col. 2. numer. 9. vers. sed quid si maiori parte, ff. de damn. infect. Dec. cons. 460. num. 29. Rota in recent. par. 2. decis. 525. nu. 5.*

295 At si nescitur vbi sit, & causa sit ardua debet fieri perquisitio in Prouincia: *Arg. cap. causam, & cap. cùm olim, de dol. & contum. Card. in cap. fin. vers. quaro circa hoc, de eo qui mit in poss.* quem refert, & sequitur *Gratian. in decis. Marchia decis. 154. num. 5.*

Sed quoad prædicta videtur *tex. Clarus in §. si verò semel repudians, vers. igitur ne latente, in auth. de exhib. reis*, ibi *ne latente eo, & tardata exhibitione causa remaneat suspensa, examinet, vt potuerit Iudex, in quam terram abijsse dicitur, & det inducias certas, liberam tamen huius rei fiduciam habens, si non fortè studio actoris impediatur, aut venire probibeatur; tunc secundum vnam partem examinet negocium*; vbi *gloss.* in verbo *examinet.* quærit, *sed qualiter?* & respondet *remittet ad domum, & quæretur ibi, & hoc sufficit* & allegat *l. 4. §. toties, ff. de damn. infect.* ibi, *est tamen tutius libellum ad ipsas edes proponere; fieri enim potest vt ita monitus defensor existat.*

297 Et hanc *gloss.* dicit esse singularem: *Bald. in l. consentaneum, n. 38. C. quom. & quando Iud.* et secundũ illam, inquit, quod Nũcius ibit ad domum citandi, & interrogabit vtrum citandus sit ibi, vt sic possit eum inuenire, & si dicatur, quod non, dimittat ibi litteras; & infert non esse necessarium

rium

rium quod eum perquirat per totam Ciuitatem; sed sufficere ad domum.

Cœterum *additio ad Bal.* ibi in verbo *ambasciata*, dicit quod aliter loquitur *Bar. in l. 4. §. Prætor ait, nu. 5. ff. de damn. infect.* nempè quod quãdo requiritur absentia à Ciuitate, tunc debet fieri inquisitio, & discussio, an possit reperiri in Ciuitate, & conciliando contrarietatem declarat intelligendum esse dictum *glossa*, & *Bal.* quando citandus aliàs fuerat in iudicio; & dictum *Bar.* intelligendũ esse, quando nunquam fuit in iudicio, vt tunc debeat perquiri per totam Ciuitatem, & hoc casu sufficit, quod Nuncius vadat ad domum habitationis citandi, & ibi se informet, an sit in Ciuitate, & ex informatione illa referat se inuestigasse, quod nõ est in Ciuitate, & citasse domi; & ita etiam declarat *Angel. in repet. l. si vacantia, C. de bonis vacan. lib. 10. Alex. in d. l. 4. §. Prætor ait, num. 2. in fin. ff. de damn. infect.* & ita Cursor in Curia, in executione citationis decretæ per diligẽtias, facit relationem in hæc verba, feci diligentiam in Vrbe reperiendi N. quem inuenire non potui.

Postquam autẽ ex relatione Nũcij constat personaliter citandum non posse reperiri, alia perquisitio debet fieri, nempè procuratoris, vt mox dicemus.

PERQVISITIO PROCVratoris quando fieri debeat.

298 Mouet hanc quæstionem *Bar. in d. l. 4. §. Prætor ait, n. 16.* & distinguit. si cõstat de procuratore constituto, & dimisso ille debet perquiri, & citari, antequam fiat citatio ad domum, quod mihi placet; quia procurator repræsentat personam Domini, & habetur tanquam Dominus, quando scilicet constat de eius constitutione, & acceptatione: *Mohed. decis. 7. per tot. de Iud.* secùs si procurator non acceptauit: *Bellam. decis. 680.*

Quamuis enim in aliquibus causis, in quibus scilicet agitur de graui præiudicio, prima citatio non sit procuratori intimanda, tamen secùs est quando principalis non reperitur; quia tunc procuratori fit in subsidium: *Bar. in l. quamuis, ff. de damn. infect. Butr.*

Butr. in cap. causam, de dolo, & cont. Vestr. in praxi lib.4. cap.3. num.2. quod videtur procedere siuè cõstet de procuratore speciali, siuè etiam generali: *Rot. in nou. decis.31. de procur. Vant. de nullit. ex defect. citationis, nu.84.*

299 Aut non constat de procuratore, & hoc casu concludit *Bar. d. §. Prætor ait, num.16. in fin.* quod absque alia perquisitione procuratoris debet principalis citari ad domum, quem sequitur *Butr. in cap. fin. de eo qui mit. in poss.*

Sed *Imol. in eodem §. Prætor ait*; sentit quod fieri debeat perquisitio in locis publicis, & apud consanguineos, vel amicos principalis an dimiserit procuratorem, & sequitur *Alex. in eod. §. Prætor ait, n.15.* & se fundant in authoritate glosi. *in cap. causam quæ.* in verbo *ad domum*, ibi *& amici sunt requirendi, de dol. & cont.*

In hac controuersia mihi placet dictum *Bar.* & moueor quia quando aduersarius est certus debet nominatim citari; sed quando est incertus nõ potest citari, nisi per edictum: *cap. fin. de elect. in 6.* ibi *vocationem autem huiusmodi nominatim vbi est coelectus, vel apparet oppositor, aliàs generaliter in Ecclesia;* & ita in proposito si certus sit procurator cõstitutus, is potest, & debet nominatim citari, si non est certus, non potest nominatim perquiri, nec citari.

Et sanè actor non posset diuinare, qui essent amici rei, & an ipse procuratorem constituisset: *l. si fideiussor, §. si cùm debitor, ff. mandati* ibi *ignoscendum est enim ei si nõ diuinauit, & l. si putator, ff. ad l. Aquil.* ibi *cùm diuinare non potuerit.*

Et quando procurator non se vltro offert, signũ est, quod non vult acceptare, nec exequi mandatum: *Arg. l. si eo tempore, C. de remiss. pignor.* ibi *si eo tempore, quo prædiũ distrahebatur, programmate admoniti creditores, cùm præsentes essent, ius suum executi non sunt, possunt videri obligationem pignoris amisisse.*

Sic dum quis personaliter citandus non reperitur, si cõstituisset procuratorem, & is præsens non se offerret ad defensionem, & executionem sui mandati, videretur tacitè, vel non acceptare, vel renunciare: imò verisimile non est, quod qui non vult personaliter apprehendi, nec reperiri,

con-

constituerit procuratorem, qui de facili posset apprehēdi, & reperiri.

Et ideò tunc videtur procurator dimissus, quando se offert, & de eo constat, aliàs non: vndè dicitur in *cap. causam, de dolo, & contum.* quod quando reus se absentauit debeat citari procurator, si quem dimiserit; aut si procuratorem non dimiserit, fiant denūciaciationes ad domum; non autē dicit quod perquirantur interrogenturue amici, an dimiserit, & pro hoc videtur *textus Clarus in d.l.4.§. Prætor ait, ff. de damn. infect.* ibi *Prætor ait dum ei qui aberit prius domum denūciari iubeam:* pōdero verbum, qui aberit, hoc est nō dimisso procuratore; quia qui dimittit procuratorem reprǽsentātem eius personam, in effectu non abest, nec vti absens, seù contumax potest per edictum citari: iuxta *tex. in d. cap. fin.* cum ibi *not. de elect. in 6.*

Item pondero verba *prius domum denunciari*; nō autem dicit prius interrogari vicinos, vel amicos, an procuratorem constituerit.

Item pōdero *tex. in l. 1. §. 1. ff. de lib. agnosc.* vbi dicitur, quod quando mulier putat se prægnantem debet denunciare ipsi marito, vel parenti, & si nullius eorum copiam habeat, ad domum debeat denunciare; quia loquitur vbi certum est maritum habere patrem: in casu autem nostro incertum est reū habere procuratorem, nec ille *tex.* dicit, quod debeat inuestigari, an maritus habeat patrem, vt ei denuncietur: pondero denique *tex. in l. hæc autē, §. 1. ff. ex quibus causis in poss. eatur*, vbi dicitur quod ad hoc, vt possit Prætor actorem immittere in possessionem bonorum pupilli, debet ei constare, quod nullus extet defensor pupilli; et vt de hoc sibi constet, euocādi sūt tutores pupilli, vt defēdāt.

Et si non habeant tutores requirendi sunt cognati, vel affines, & si qui fortè alij sunt quos verisimile est defensionem pupilli non omissuros, vel propter necessitudinem, vel propter charitatem, vel qua alia ratione: qui *tex.* cùm loquatur in casu, quo verisimile est plures suscepturos defensionem pupillorum, non potest adaptari ad casum, quo quis latitat, timens alio modo se non posse defendere, & nō est verisimile, quod si nolit ap-

apprehendi personaliter, nec per se ipsum se defendere, dimiserit procuratorem, qui citaretur, & eius defensionem susciperet; vt supra dictũ est.

Hactenus de personali citatione modò de citatione ad domum decernenda sequitur videndum.

DE DECRETO CITAtionis ad domum.

In genere diximus decernẽdam esse citationem ad domum, quando personaliter citandus perquisitus non reperitur, nec constat eum dimisisse procuratorem. Descendentes modò ad specialia dicemus quid si latitet in loco iudicij, vel in domo, vel alibi, vel alio modo impediat se citari, & an impediens se citari habeatur pro personaliter citato; postremò an credatur Nũcio, quod quis non reperiatur, vel quod latitet, vel quod impediat se citari, & an, & quando Nuncius possit citare ad domum absque speciali decreto Iudicis, & absque perquisitione personæ, & in qua domo debeat citare.

300 Latitans domi ad domum sufficit vt citetur; tunc enim magis vrget præsũptio, quod citatio ad eius notitiam perueniat, cùm ibi moram trahat; vt inquit *gloss. in l. ex consensu, §. vlt.* in verbo *eum qui cognouit, ff. de appellat.* & in *l. 1.* in verbo *notitiam, ff. quæ sentent. sine appell. rescind.* & latiùs dictum est *supra cap. 7. vers. de citatione domi, num. 233. & seq.* & mulieres, vt plurimum solent domi latitare, ne personaliter citentur, & propterea contra eas benè fit citatio domi; iuxta *decis. Put. 279. lib. 2.*

301 Latitãs extra domum pariter satis est, vt ad domum citetur, licet aliquo casu possit contingere; vt citatio ad notitiam non perueniat; *l. licet repudij, C. de repud.* & ibi *Salicet. in summario, Specul. in tit. de citat. §. sequitur, vers. sed nunquid, cum alijs per Granat. ad Vestr. in praxi lib. 5. cap. 13. num. 13.* addo *tex. in l. vt perfectius, C. de annali except.* ibi *liceat ei proponere publicè vbi domicilium habet possessor, &* *gloss.* in verbo *domicilium*; notat sufficere denũciare ad domum, etiam si non perueniat in notitiam eius, cui nunciatur; satis enim est quod quilibet scire præsumitur, quod ad eius domum nunciatum est:

est: *gloss. in l. si tutor*, in verbo *ostenderis*; et ibi *Bar. & Bald. C. de peric. tut.* et intermisso aliquo temporis spacio præsumitur quod domestici, et familiares scictes vbi Dominus reperiatur ei citationes domi factas, notificẽt ad not. per *gloss. in l. si legibus*, in verbo *probatũ fuerit, C. de Episc. aud. Tiraq. de retract. consanguin. §. 9. gloss. 2. num. 39. 40. & 41.* et allegans non habuisse notitiam citationis non auditur quando ea fuit facta domi habitationis: *Afflict. in constit. Neap. in rubr. de litteris citatorijs, col. 2. nu. 1. Rebuff. de citationibus, gloss. 3. num. 4.*

302 Latitans in Ecclesia, prout faciunt falliti, gaudet immunitate ecclesiastica: *Farinac. de immunitate ecclesiastica, cap. 3. nu. 64. Anastas. Germon.* licet plura in contrarium adducat, *de sacr. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 99. vsque ad fin.* et in Ecclesia latitans non potest capi, seù realiter citari, nec de ea extrahi prout nec alij ad Ecclesiã confugientes, et immunitate ecclesiastica gaudẽtes: exceptis quibusdam personis facinorosis, de quibus in *cap. fin. de immun. Ecclesiarum, & in constit. 7. Greg. 14. in Bull. nouo, tom. 2. fol. 694.* ex rationibus positis in *cap. decet, de immun. Eccl. lib. 6.* tamen in ciuilibus ille qui est in Ecclesia citari potest per Nuncium; iuxta dispositionem *l. præsenti, §. cùm autem*, vbi *Bart. & alij, C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt*; & quamuis Nuncius ingredi nequeat domum priuatorum, ad effectum verbaliter citandi; *l. plerique, cum l. sequenti, ff. de in ius voc.* tamen secùs est in Ecclesia, quæ publici iuris est, & ad quam quilibet habet aditum: *l. 1. §. huius studij, ff. de iust. & iur. Bar. in d. l. plerique, num. 8.*

Et quamuis etiam nullus actus iudicialis possit in Ecclesia exerceri: *d. cap. decet, de immun. Eccles. lib. 6.* tamẽ quia citatio, prout est actus Nuncij non est iudicialis, neque de processu; sed est quędam executio facti: ideò non prohibetur fieri Ecclesia: *Bald. in l. 2. num. 4. C. de sac. Sanc. Eccles. Soc. de cit. art. 27. nu. 46.*

303 Clerici vt citentur in eorum Ecclesijs, & in Ecclesia Cathedrali iure Canonico dispositum est: *cap. ex tua deuotionis, de Cleric. non residen.* ibi *in Ecclesijs eorum qui fraudulenter absentant, nec ad ipsos valet*

valet citatio peruenire, trinæ citationis edictũ facias publicari, & *in Clem. causam, de elect.* ibi, *quod si forsan appellatum abesse, & procuratorem talem non inueniri contingat in domo quam ipse appellatus habitare communiter consueuit, vel si domus eadem in remotis existat, in Ecclesia Cathedrali, in cuius Ciuitate vel Diœcesi consistit beneficium, & nihilominus vtroque casu in Ecclesia, vel beneficio, de quo agitur volumus appellationem huiusmodi publicari, ac de ipsa quandocunque petitum fuerit copiam modo præmisso fieri appellato*: ex quibus iuribus colligitur, quod Clericus qui non potest reperiri, citandus est vel ad domum habitationis, vel in Ecclesia beneficij, vel in Cathedrali; sed quando in vno, vel alio citatio fieri debeat distinctè dicemus.

304 Clerici sæculares possunt habere plura domicilia, nempè in suis Ecclesijs, & extra, dummodò non teneantur ad residentiam; loca enim in quibus Clerici tenentur ad residentiam semper debent pro domicilio reputari; ita *Innoc. in cap. ex ore, sub num.* 2. *vers. item in casibus, de priuil.* & ibidem sequuntur *Butr. & Abb. n.* 5. & in *cap. dilectus, il* 2. vbi *Felin. nu.* 1. *& seqq. de rescr.*

305 Clericus itaque personaliter citandus si in aliquo loco habet determinatum domicilium habitationis, sine dubio in eo loco debet perquiri, & in domicilio citari: iuxta superiùs dicta: *Tiraq. de vtroque retract.* §. 9. *gloss.* 2. *numer.* 37.

306 Si verò in loco iudicij nõ habet domum particularẽ, sed beneficium non requirens residentiam, & conueniatur occasione eiusdem beneficij, tũc citandus erit in Ecclesia Cathedrali, quæ vt dixit *Rota in nou. decis.* 10. *de appell.* succedit loco domicilij, et habens beneficium non requirens residentiam, non censetur ibi habere domicilium: *Innoc. in d. cap. ex ore, de priuileg.* & ibi *Butr. & Felin. in d. cap. dilectus, num.* 1. sed nihilominus insimul citandus erit in eodem beneficio simplici, cuius ratione iudicium agitur, & si alibi habeat domicilium debent ibi fieri diligẽtiæ de perquirendo, dummodò domus non esset in remotis: iuxta *d. Clem. causam, de elect. Rot. in ant. decis.* 83. *de appellat.* & in *nou. d. decis.* 10. *de appellat.*

Si

307 Si verò in loco iudicij Clericus personaliter citãdus habet beneficium requirens residentiam, ibi sortitur domicilium, ac etiam forum tanquam necessarius incola; & in dolo videtur si alio se transferat: *Bar. in l. Senatores, ff. de Senator.* Atque quod Rector cuiuslibet Ecclesiæ efficiatur Ciuis illius loci, vbi est Ecclesia: dixit *Bart. in l. 1. num. 13. vers. item quæro, de rectore, ff. ad municipal. Felin. in d. cap. dilectus, il 2. num. 2. vers. secunda conclusio, de rescrip.* et ait *Rom. cons. 361. col. 2.* quod Clericus Romanus potest habere domicilium in Alemania, ratione beneficij, & subijci etiam Episcopo Germano.

308 Et istud Clerici domicilium in loco residentiæ est ad instar domicilij, quod habet vxor in domo mariti; vt inquit *Bal. in l. ab eo, n. 13. circa fi. C. quom. & quando Iud. Rot. in ant. d. decis. 83. de appellat. & in nouis 10. eodem.*

309 Et quod lares, & domicilia Clericorum sunt in Ecclesia, in qua debent residere: dicit idem *Bal in l. omnes, nu. 2. C. de Episc. & Cleric.* & sequitur *Felin. vbi supra num. 2.* & ideò debet citari in Ecclesia suæ residentiæ: & tali casu non est necessaria citatio in Cathedrali: *Cassad. decis. 1. num. 3. de appellat. Vant. de nullit. ex defectu citationis, num. 121. Rot. in Tuden. benef. 8. Nouembris 1593. coram Penia apud Garz. de benef. par. 6. cap. 2. nu. 216.*

310 Quod si habeat duo beneficia residentiæ, & in vno seruiat per se, & in alio per Vicarium; tunc debet citari vbi residet per se; quia sola residentia, & residendi necessitas est illa, quæ facit sortiri forum, & vbi quis seruit per Vicariũ censetur dispensatus à residẽtia: *Abb. in cap. postulasti, nu. 4. de for. compet. Felin. d. cap. dilectus, il 2. num. 3. & 4. de rescr.*

311 Et quamuis Clericus dicatur habere domicilium in loco beneficij requirentis residentiam, non tamen per hoc desinit habere domicilium in alijs locis, in quibus aliàs de iure domicilium habet: putà si alibi haberet patrimonium, vel si alibi de facto resideret: *Io. Andr. in d. cap. ex ore, de priuileg. sub num. 7. Fel. vbi sup. num. 5. vers. 5. conclusio.* Principale tamen domiciliũ censetur Ecclesia, in qua tenetur residere, & in ea debet citari quotiescunque agatur, vel de ipsa

ipsa Ecclesia, vel de re ad eam spectante, & etiam quando contra eum agatur ob non residentiam; sed si ageretur contra eum de alia re actione reali, vel personali, seù de patrimonio, seù pro delicto alibi commisso, tunc non sufficeret eum citare in Ecclesia; sed deberet citari in alio domicilio vbi existeret; quia quando agitur de pertinentibus ad Ecclesiam, tunc Clericus si abest præsumitur absentia iniusta, seù malitiosa: sed si agatur de alia re, & per personam extraneam nō præsumitur ista malitia, cùm eius respectu non teneatur adesse in loco residentiæ; *Innoc.in cap.fin.num.6. de eo, qui mitt. in pos.* & ibidem sequuntur alii: & *Felin. in dicto cap. dilectus il 2.num.6. & 7. de rescr.* et declarat *addit.1. ad decis.1. de dol. & cont. in nou.*

312 Parochus itaque potest citari in Ecclesia parochiali ratione residentiæ, & etiam in cathedrali etiam si esset intrusus: *Rot. in nou. d. decis.10. de appell.* dummodò tamen de tempore citationis constaret de intrusione; quia āliàs citatio non posset deuenire ad eius notitiam; vt aduertit *Achil. decis.19. de dol. & cont.*

313 Et quando litigatur super parochia, sufficit citatio facta in eadem Ecclesia, super qua litigatur, et in cathedrali: et in casu, quo Iudex mandaret citari in parochiali, super qua lis est, et in alia parochiali viciniori, si tamen loco parochialis vicinioris fieret in Ecclesia cathedrali, nihilominus citatio valeret, tanquam pinguius impleta; quia cathedralis habetur loco domicilii: *Achil. d. decis.19. de dol. & cont.*

314 Et de parocho pacifico possessore, quod sufficiat eum absentem citari in eadem parochiali, et in cathedrali ratio est; quia ratione residentiæ constituit ibi domicilium: *Bellam. decis.369.* et præsumitur, quod certificetur, et habuerit notitiam de citatione: *Rot. diuers.decis.19.par.3.lib.1. & decis.75. lib.2.* et quando etiam parochus resideret per vicarium nihilominus citatio in parochiali, et in cathedrali facta valeret, quia præsumitur quod certioretur per Vicariū: *Put. decis.43. num.3. lib.1.*

315 Canonicus personaliter citandus si non reperiatur, sufficit, quod citetur in domo solitæ habitationis, cum dimissione

ſione copiæ, et ad valuas Eccleſię cathedralis: iuxta formam *Clem. cauſam, de elect. Rot. diuerſ. deciſ. 897. num. 1. par. 4.*

316 Et hic noto, quod in cōpulſorialibus, & remiſſorialibus caſu quo in partibus non ſit conſtitutus, vel non compareat procurator, decernitur in Curia per Auditores citatio, & proceſſus per affixionē ad valuas maioris Eccleſię loci deputati, qui locus præſcriptus ſuccedit loco domicilij: & ideò abſens ibi debet omninò citari: *Clem. cauſam quæ, §. forſan, de elect. gloſ. in Clem. 1 de Iud.* quod ſi non ad valuas Eccleſiæ; ſed ad valuas palatij citaretur, non valeret citatio, nec proceſſus: non enim poteſt mutari locus deſtinatus: *Caſtr. conſ. 22. col. 3. verſ. ad hæc reſpondeo, lib. 1. Boccat. de litteris remiſſ. cap. 6. nu. 10. & cap. 8. num. 4.*

Neque poſſet dici formam pinguius fuiſſe impletam; veriſimiliter enim maior eſt cōcurſus ad Eccleſiam, quàm ad palatium: *Achil. deciſ. 19. de dol. & cont.* & ex his pro nullitate citationis reſpondit *Rota in Ferrarienſ. affictus 17. Iulij 1613. coram Dunozetto Seniore, impreſſ. per Marcheſ. de commiſſ. par. 2. nu. 2. fol. 590.*

317 Regularis Prælatus, Abbas, & Monachus, quàtenus deberet perſonaliter citari nō alibi quærendus eſſet quàm in ſuo Monaſterio, in quo tenetur ſtare: *cap. placuit, 16. quæſt. 1.* ibi *Sit clauſtro ſuo contentus; quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita; ita ſine Monaſterio Monachus.*

318 Non enim alibi ſortitur domicilium: *Bal. in l. 1. ff. ad municipal.* & mutato Monaſterio ad libitum Superioris, mutatur etiam Monachi religioſi uè domicilium: *Abb. in cap. fin. in primo not. de for. compet. Felin. in dicto cap. dilectus, il 2. num. 8. verſ. octaua concluſio, de reſc.* ita vt in Monaſterio vbi degit, & non alibi, cenſeatur domicilium habere: *Innoc. in d. cap. ex ore, verſ. item in caſibus, de priuil.* cum alijs per *Tiraq. de retract. conſanguin. §. 9. gloſſ. 2. num. 36.*

Quod tamen intelligitur, quo ad incommoda; ſecùs autem quoad commoda: *Abb. in cap. poſtulaſti, num. 5. de for. compet.* inferens quod Monachus non deſinit eſſe Ciuis ſuæ Ciuitatis: ſic quod ius originis in honoribus ſubeundis,

ac muneribus suscipiẽdis adoptione non mutetur; dicitur *in l. ordine, §. fin. ff. ad municip.* nec perdit iura ciuilitatis, maximè quoad successionem: *l. Deo nobis, §. hoc etiam cognitum, C. de Episc. & Cleric.* & ibi *Bal. num* 4. concludit, quod filius Monachus habet omnia iura suitatis, & agnationis, ac si remansisset in potestate patris; *& Castr. in l. sub conditione num.* 2. *ff. de lib. & posthum. Felin. in cap. dilectus, il* 2. *nu.* 8. *de rescr.*

319 Et quamuis Monachi, & regulares non possint citari: *l.* 2. *ff. de in ius voc.* ibi *nec eos, qui propter loci religionem inde se mouere non possunt*; attamen eorum Prælati, seù Superiores sunt citandi: *gloss. ibidem* in verbo *non possunt*, & ibi *Bal. & Soc. de cit. art.* 5. *num.* 45. citatio autem contra Moniales, an sit legitimè facta in turno Monasterij, videtur quod non: quia turnus nõ est locus patẽs omnibus, vndè tutius est, vt affigatur citatio ad valuas Monasterij: *Mar. Ant. lib.* 1. *var. resol* 49. *num.* 3.

320 Carceratus vbi sit citãdus, distingue, aut est in carcere secreto, vt nullus possit eum alloqui, & tunc siuè citaretur ad carceres, siuè ad domum, citatio non posset ad eius notitiam deuenire; & si Iudex sciret hoc impedimentum, & nihilominus mandaret citari, & citaretur, citatio ipso iure non valeret; sed si ignoraret, valeret citatio, sed carceratus restitueretur in integrum aduersus quodcunque prçiudicũ exindè sibi factum: *l. quæsitum* & ibi *gloss.* in verbo *iudicata*, *ff. de re iud. Angel. de Perusio in l.* 4. *ff. de in ius voc. Bar. in l.* 2. *num.* 8. *ff. eod.*

321 Aut est in carcere publico, vt quisque possit eum videre, & ei loqui, tunc si citetur domi, vel ad carceres potest habere notitiam de citatione, & comparere, & se defendere per procuratorem: aliàs sibi debet imputare cùm possit procuratorem mittere: *Bart. in l. is qui reus, num.* 14. *ff. de publ. Iud. Alex. in l. quæsitum, num.* 6. *ff. de re iud.*

Et quamuis etiã causa esset magni præiudicij non posset carceratus se excusare, quod nollet litigare per procuratorem; sed per se ob grauitatem causæ; quia si esset carceratus propter suam culpam, vel si carceratio esset longo tempore duratura, citatio valeret, & ar-

& arctaret eum ad comparendum per procuratorem; aliàs enim iniquum esset, vt propter culpam, vel impedimentum longum Rei periret, & in longum differetur ius Actoris, & maximè quando causa celeritatem exigeret: *gloss. in cap. cùm dilecti*, in verbo *responsalem, de dolo, & cont. Soc. de citationibus, art.* 5. *num.* 47. *&* 50.

Quod autē carceratus possit citari ad domū solitæ habitationis ait *gloss. in l.* 2. *C. quib. ex caus. maior.* & ibi not. *Bald.* & alios refert *Tiraq. de retract. consanguin.* §. 9. *gloss.* 2. *nu.* 38. Sed hoc intelligo verū, quando non requiritur citatio personalis; tunc enim quia scitur vbi sit, & Nuncius potest illi in carcere publico existēti intimare citationem ad faciem, vt ipse haberet indubitatam notitiam, non sufficeret citatio ad domum ex qua nō oritur nisi præsumpta citationis notitia, vt superiùs dictum est.

322 Bannitus à Ciuitate certum est, quod si personaliter sit citandus, in loco sui domicilij non inuenietur: ideò vbi quærendus sit, & citandus, breuiter videamus: & distinguendum est, aut citandus est pro crimine, aut pro debito ciuili.

Quod bānitus pro vno delicto possit citari pro alio, sentiunt communiter *Doctores*; nàm si tale sit delictū, vt possit cōparere per procuratorem, tunc procuratorem mittere, vel constituere debet; si autem est tale vt debeat personaliter comparere, non est conueniens, vt ex sua culpa cōmodum consequatur: idcircò debet impetrare saluum conductum respectu primę cōdemnationis, & personaliter comparere ad se defendendum aduersus nouam imputationem; & talis saluus conductus non posset ei denegari; aliàs esset auferre facultatem se defendendi; & ita aiunt practicari: *Boss. tit. de citat. num.* 39. *Clar. in* §. *fin. quæst.* 16. *num.* 4. *& quæst.* 12. *num.* 12. *Socin. de cit. art.* 5. *num.* 48. addo *Gloss. & Bar. in l. si qui reus, num.* 12. *ff. de publ. Iud.*

323 Sed an expulsi à Ciuitate sint vocandi, quando agitur de nouo statuto condendo, distinguit *Bar. in l. omnes populi, num.* 17. *ff. de iust. & iure.* Quod si sunt expulsi ex iusta causa, potestas condendi sta-

tutum remanet apud præsentes: quia cùm non obediant ciuitati suæ perdunt omnia iura propria ciuitatis suę, & sic ius condendi statuta.

Sin autem expulsi sunt sine iusta causa, fortè per inuidiã, tunc statuta nõ valent in pręiudicium expulsorum, vt per eum.

324 Pro debito autẽ ciuili, an bannitus possit citari, distinguendum est si sit Bannitus cũ confiscatione omnium bonorum, non potest conueniri, neque citari: iuxta *tex. in l. tutelas etiam*, §. *fin. ff. de cap. dimin.* ibi *item cùm ciuitas amissa est nulla restitutionis æquitas est aduersus eum, qui amissis bonis, & ciuitate relicta nudus exulat*; & ad idem est *tex. in l. si constante*, §. *final. ff. sol. matr.* ibi, *quod si tota dos publicata sit, expirabit iudicium*; in casu enim confiscationis omnium bonorum cõdemnatus habetur pro mortuo, & Fiscus pro hærede; in quem trãsfundunduntur actiones: *l. si debitori deportatio*, & ibi *glosi. & Doct. ff. de fideiuss.* & ita persona debitoris eximitur ab obligatione, itaut conueniri, & citari nequeat: *Angel. de Peruſ. in l. hæres absens*, §. *si quis tutelam*, *num. 12. ff. de Iud.*

Sed si confiscatio sit de aliquibus bonis, pro illis, quæ supersunt potest conueniri, & citari: *l. si constante*, §. *fin. ff sol. matr.* ibi, *si bona mulieris pro parte sint publicata superest mulieri reliqua partis dotis exactio*; Banniti enim non amittunt, quæ sunt iuris gentium: imò neque ea quæ sunt iuris communis; ex adductis per *Gabr. conſ. 123. num. 34. lib. 1. Mantic. deciſ. 241. num. 3.* & quod Bãnitus de Bononia possit Bononiæ conueniri: notat *Angel. de Peruſ. in l. ad cognitionem*, *num. 1.* & alij post *gloſſ. ff. quibus ex cauſ. in poſſ. eatur*.

325 In quo autem loco Bãniti debeant perquiri, & citari; dico quod relegatus potest habere domicilium in loco suæ relegationis; & ibi debet citari: *l. eius qui manumisit*, §. *fin. ff. ad municipal.* ibi *domicilium autem habere potest relegatus eo loci, vndè arcetur, vt Marcellus scribit*; ad idem est *tex. in l. filij libertorum*, §. *relegatus*, *ff. eodem ad municipal.* ibi *relegatus in eo loco, in quem relegatus est interim necessarium domicilium habet*.

326 Vndè infero, quod qui Bãnitus est ab aliquo loco si de-

gat

gat in alio, & ibi habeat determinatam habitationẽ, ibi perquiri, & citari debet, si antem certam mansionem non habens per mundum vagatur, debet citari; *Clar. in praxi crimin.* §. *fin. quæst.* 39. *nu.* 8. Sed ego addo, quod casu quo bannitus in eodem loco, à quo bannitus est retineret familiã, & haberet domum, ibi deberet perquiri & citari, vbi posset se defendere per procuratorem, tanquam in loco domicilij, quod per solum bannum nõ censeretur mutatum, addicta per *Angel. de Perusio in l. hæres absens,* §. *si quis tutelam, num.* 12. *ff. de Iud.* vbi mouet quæstionem, quid in Perusino bannito habitante Florentiæ, an sola habitatio faciat eum de foro considerato banno, vt sic pro contractibus, & delictis alibi perpetratis, possit conueniri Florentiæ, & dicit quod non, ex adductis per eum.

327 Debitor vagãs per mundũ dicitur non habere certã habitationem: *l.* 4. §. *Prætor ait. ff. de damn. infect.* ibi *quod si nec habitationem habeat,* vbi *gloss. supplet*; *sed est vagabundus*; et quãuis nemo sit qui in aliquo loco originem non habeat, tamen non sequitur, vt quilibet etiam habeat domicilium; quia aliud est origo, & aliud domicilium: origo non deseritur, domicilium autem ex voluntate constituitur, & retinetur: *gloss. in l. eius qui manumisit,* §. *Celsus,* in verbo *domicilio, ff. ad municip.*

Quando igitur debitor vagari cœperit per orbem terrarum, nec alicubi habeat domicilium certum, vbicunque inuenitur poterit conueniri, ne alioquin creditor ius suũ perderet: *gloss. in d. l. hæres absens,* §. *proindè* in verbo *debebit ff. de Iud. & in l.* 1. in verbo *reperiuntur, C. vbi de crim. agi oportet:* sed si nullibi reperiatur, debet perquiri, et citari tanquam absens, vel in loco delicti, vel in loco contractus, vel destinatæ solutionis, vel rei sitæ, vel in loco in quo magis consueuit cõuersari; et etiã requirẽdi sunt agnati, vel amici ipsius, vt eum defendant: *Innoc. in cap. si aduersarius, n.* 6. *de eo qui mit. in poss. caus. rei ser. Vant. de nullit. ex defect. cit. nu.* 122. *Menoch. de remed. recup. remed.* 8. *num.* 116. *Socin. in cap. licet in ratione, numer.* 57. *cum duobus sequentibus, de foro competenti*, et de citatione

vagabundi plura diximus *supra cap.7. num.346. & seqq.*

328 Impediens se citari quãdo habeatur pro personaliter citato, distinguo: quando quis adhibito solo dolo latitat, & sic absque violentia impedit se citari, non habetur pro citato, nisi domi citetur facta perquisitione: ex simplici enim latitatione non infertur, quod quis habeat notitiam citationis, & ad quid citetur; & ideò dùm per citationem personalem non potest haberi notitia certa, necesse est, vt per citationem domi habeatur præsumpta: *l.1. ff. de liber. agnosc. l. scire oportet, §. qui autem supra, ff. de excusat. tut. l. vt perfectiùs, C. de annal. except.* & non habetur pro citato personaliter is, cuius dolo factum est; ne personaliter citetur etiam dolosè latitando: *Ias. in l. vn. num. 32. ff. si quis ius dic. non obtemper. Maran. in spec. tit. de contumacia, num. 9. Seraphin. decis. 972. num. 13.* qui hoc intelligit verum ad effectũ mulctæ, & in casu, quo delictum non sit probatũ; ex dictis per *Felin. in cap. ex litteris, num. 20. de constit. Tiraq. in tract. cessante causa, par. 1. num. 67. & 68.* In hac materia *tex. est in cap. quoniam frequenter, §. porrò, vt lit. non contest.* ibi, *siuè quia malitiosè se ipsũ occultat, siuè quia impedit ne possit ad eum citatio peruenire, & gloss.* in verbo *impedit,* notat quod talis habetur pro legitimè citato facta denunciatione publicè ad domũ suam; & ibidem *Abb. num. 3.*

329 Sic etiam sufficit domi intimare executoriales Rotæ, quando is cui debet fieri intimatio, dolosè latitat, & non permittit se reperiri, quamuis aliàs essent personaliter intimandæ: *Crescent. decis. 18. nu. 1. de sentent. & re iud.*

Dolosè itaque latitans, ne personaliter citetur facta citatione ad domum, vel ad publicum locũ habetur pro personaliter citato: *Bald. & Angelus in l. 2. C. de annal. except. Specul. in tit. de contumacia, §. 1. in princ. Bonifac. de Vital. in Clem. 1. in fin. de for. compet.* facit *tex. in l. 1. §. sed & Aristo, ff. quod vi, aut clam.* ibi, *sed & Aristo ait eum quoque vim facere, qui cùm sciret se prohiberi, per vim molitus est ne prohiberi possit;* vbi *gloss. infert, quia ergo per eum factum est ne prohibeatur, debet pro eo haberi, ac si prohibitus esset.*

330 Quando autem quis adhibita

bita violentia per se, vel per alium impedit se citari, nedũ in personam, sed etiam ad domum, habetur pro personaliter citato; vtputà si quis per se, vel per alium abstulisset de manibus Nuncij, vel procurasset auxilio Curię litteras citatorias ferri ad consilium regium, & ita citatione ablata intimari non posset ad faciem, nec ad domum, absque alia denunciatione haberetur pro personaliter citato: *Rot. post cons. Farinac. decis.* 348. *nu.* 3. *par.* 2. *Seraphin. decis* 1094. *n.* 2. & impedimentum factum per alium censetur factum de mãdato, & voluntate citandi, quando id sciens non contradixit: *cap.* 1. *in fin. vt lit. non contest.* ibi, *si sciens non purgauit: Bellam. decis.* 576. & quatenus citatio non fuisset ablata tunc Nuncius, seù Notarius debet illam intimare ad domum, & quatenus domum non habeat, debet eam in loco publico affigere; *Clem causam, de elect.* ibi, *verum si propter appellati, aut suorum metũ, vel potẽtiam intimatio fieri nequeat, vt præfertur, appellationem eandem in loco aliquo publico sic solemniter volumus publicari, quod ad appellati, seù eius procuratoris notitiam possit verisimiliter peruenire.*

331 Sic etiam quando Nuncius incipiens intimare citationem ad faciem, non posset perficere; quia citandus aufugerit, tunc sine dubio haberetur pro personaliter citato, sicut is qui apparens in fenestra, si citaretur per Nuncium, licet recederet haberetur pro legitimè citato: *l. satisque pœnæ, ff. de in ius voc.* ibi *sed si aditum ad se præstet, aut ex publico conspiciatur, rectè in ius vocari eum Iulianus ait.*

332 Contra illos, qui in partibus impediũt executiones citationum in Romana Curia decretarum, & ad Iudices potestatesue sæculares recurrunt, & Nũcijs exequi volentibus procurant præcipi, & inhiberi, & vel faciunt ne exequantur, vel vt executiones factas reuocent, seù cum iuramento illos adstringunt, quod de executionibus relationes non faciant, & aliàs diuersimodè ne fiant huiusmodi citationum executiones impediunt; extat *constit. Innoc. VIII. in ord.* 17. *in Bullario nouo lib.* 1. *fol.* 389. quæ punit illos, contra quos citationes sunt decretæ, & qui impediri earum

executiones curant, vt causã perdant, et omne ius tàm in petitorio, quàm in possessorio, in re, vel ad rem de qua agitur eis competens, ipso iure amittant, et ad beneficia, de quibus agitur obtinendum inhabiles existant: alios autem, quos causa huiusmodi non tangit, executionem prædictã impedientes punit, vt sententiam excõmunicationis eo ipso incurrant, nõ absoluendi, nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, et prout in ea.

Et in Bulla Cœnæ Domini excõmunicãtur qui partes, seù carũ agentes, Notarios, Executores, et Subexecutores litterarũ, citationum, et monitoriorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinẽt, eijciunt, spoliant, et perterrefaciunt, concutiunt, et cõminantur per se, vel per aliũ, seù alios publicè, vel occultè.

333 Nuncio creditur, quod citandus nõ reperiatur, vel latitet, vel impediat se citari; et statur eius relationi ratione sui officij, et iuramenti, in ijs quę pertinent ad eius officium, absque testibus; *glos. in cap. cùm parati*, in verbo *suus Nũcius, de appellation. Spec. lib. 2. part. 2. tit. de citatione, §. sequitur, num. 8. & 10.*

Ideò si Nũcius vel apparitor referat nulla bona alicuius inuenisse creditur: *l. magis puto, §. ne tamen*; & ibi *glos.* in verbo *viatorem, ff. de rebus eorum, Bart. in l. à Diuo Pio, §. in venditione, num. 7.* dicens ita consuetudinem obseruare: *ff. de re iud. Gabr. de citat. conclus. 4. num. 11.* & quod Nuncio creditur non potuisse reperire personam: ait *Ias. in l. properandum, §. etsi quidem, num. 8. & 9. ff. de re Iud. Gabr. vbi supra, num. 9.* si referat fecisse diligentias de reperiendo citandum, & illum non potuisse reperire creditur; quia diligẽtiam facere est de connexis; *Put. decis. 187. lib. 3. Seraphin. decis. 1123. num. 3.* & de fide Nuncii plura dicta sunt *supra cap. 7. in vers. de citatione per Nuncium publicum, nu. 38. & 71. cum pluribus seqq.*

334 Et quando pars impediret formalem relationem Nuncij; tũc impedimentum citationis & relationis per partem præstitum; probaretur sufficienter alijs iuribus etiam minus sufficientibus: *Rot. in Cordubens. Archidiaconatus, 27. Octobris 1606. coram Cardinalis*

lis Sacrato, impressa apud *Marchesan. de commiss. part. 3. fol.* 89 ea nempè ratione, quia sicut per violentiam impeditur executio citationis, eadem violentia credendum est impediri quominus per executores fiant formales relationes super impedimentis:& stante difficultate probationis receditur à regulis iuris, & admittuntur probationes, quæ aliàs nō admitterētur faciunt dicta per *Bar. in l. de pupil. §. si quis ipsi n.* 14. *ff. de nou. oper. nunciat.* & ideò huiusmodi impedimentum probaretur per testes minus idoneos, quibus aliàs non adhiberetur fides; *Seraph. decis.* 1296. *in fin.*

Facta perquisitione, & persona non reperta, an Nuncius absque speciali Iudicis commissione possit citare ad domum, & deindè insimul facere possit relationem de diligentijs, & de citatione domi,

335 Dic breuiter Nuncium expedire non posse, quæ exigunt aliquam causæ cognitionem sine decreto Iudicis, vt notant Canonistæ in *d. Clem. causam, de elect. & legiSta in d. l.* 4. *§. Prætor ait, ff. de damno infecto.*

336 Verum est quod ad tollendos circuitus Iudices solent committere Nuncio, vt vadat, & diligenter perquirat N. & citet eum personaliter; & si eum non inuenerit citet ad domum suæ habitationis; etsi Nuncius referat sic fecisse, sufficit: vt docet *Bart. in dicta l.* 4. *§. Prætor ait, num.* 6. *ff. de damno infecto:* immò quando Iudex præscribit formam, vt quis citetur personaliter si fieri possit, sin autem domi suæ solitæ habitationis; Nuncius non potest citare domi, nisi facta perquisitione, & si referat se citasse, vt supra domi dimissa copia, exequutio citationis esset nulla; quia sic non constaret de diligentijs ex quo relatio censetur facta ad id, quod expressum est: *Seraphin. decis.* 972. *num.* 6. & Nuncius debet referre perquisiuisse, & non reperijsse, & ideò ad domum citasse; aliàs citatio domi non valeret: *Butr. & Abb. in dicto cap. cùm causam, de dol. & contumacia, Dec. in cap. cùm parati, num.* 14. *de appellat. Gramat. dicto consil.* 1. *de foriudicat. numer.* 6. & nota, quod quādo Iudex simpliciter mādaret citari N. personaliter, vel ad domum solitæ habita-

ta-

tationis, intelligeretur pręfigere formam citandi secundum formam iuris, vt fiat diligentia de citando personaliter, & in subsidiũ citetur domi: iuxta *tex. in l. sire oportet, §. oportet, il primo, ff de excusat. tut.* cum alijs superiùs pluries allegatis: & ideò Nuncius non facta perquisitione quoad personam, non posset domi citare, & si faceret relationem citasse prout habuit in mandatis, non valeret tanquã obscura: vt latè per *Alex. cons. 2. num. 2. & 4. lib. 3. Vant. de nullit. ex defect. citationis, num. 97.* & ita constat Nuncium non posse citare domi, etiam factis diligentijs, nisi Iudex committat, & sic seruatur in Curia quando committitur citatio per diligentias: *vt supra dictum est cap. 7. vers. de citatione per diligentias, n. 341.* non est tamen perpetuum, vt citatio domi fieri non posit, nisi in subsidium, vt mox dicemus.

CITATIO AD DOMVM, an, & quãdo fieri possit absque perquisitione personæ.

337 Primæ citationes de iure communi fięri debent ad faciem, & in subsidium ad domum: *l. 1. §. permittitur, ff. de lib. agnosc.* ibi *ipsi marito, vel parenti in cuius potestate est, vel ad domum nunciare. l. scire oportet, §. oportet ff. de excusat. tut.* ibi *vel in faciem, vel ad domum*; *l. aut qui aliter, ff. quod vi aut clam*, ibi *& si fortè non sit cui denuncietur*; *cap. fin. in fine, de dol. & cont.* ibi *& si non potueris inueniri faciant, vt citationis edictum per ipsos, vel alios apud Ecclesiam tuam publicè proponatur:* quæ verba communiter intelligunt Doctores, vt importent ordinem, nec sit in electione, vel Iudicis, vel Nuncij citare, vel domi, vel personaliter: *Alex.* post alios in *l. 4. §. Pretor ait, n. 15. ff. de damn. infect. Tiraq. de vtroque retract. gloss. 2. §. 9. nu. 44. vers. at maior pars*; *Mandos. in reg. 34. de annali, q. 71. num. 5.* & latiùs supra dictum est *in hoc cap. vers. de decreto citationis personalis.*

338 Alię etiam citationes, quę sũt magni præiudicij fieri nequeunt ad domum, nisi in subsidium siuè in medio, siuè in fine iudicij: *Vant. de nullit. ex defect. citat. num. 83. Tiraq. d. gloss. 2. §. 9. num. 6.* & dictum est

est *supra eodem verf. de decreto citat. personalis*.

339 Nota tamen plures casus, quibus primæ citationes, & etiam aliæ præiudiciales valere possunt ad domum factæ absque alia perquisitione personæ.

340 Primus quando Princeps ita rescripsisset; potest enim tollere ordinem iudiciarium: *Caput. decis. 250. num. 5. par. 3.* & potest citare domi; *Castr. in l. ad peremptorium, num. 6. ff. de Iud.* & ideò si rescripsisset cum clausula, vt procedat manu regia, sola facti veritate inspecta, ordine iuris non seruato, posset Iudex ommittere citationem personalem, & inchoare cum citatione domi: *Bar. in extrauag. ad reprimēdam, verf. videbitur, n. 9. Bald. in l. solam ad fin. C. de testibus, Gramat. decis. 19. nu. 4. Mandos. conf. 96. num. 5. & 6.* vbi loquitur de facultatibus Gubernatoris Vrbis.

341 Hinc est, quod citationes coram A.C. exequuntur domi: *Put. decis. 178. lib. 1. Zach. ad Gallef. quæst. 27. num. 13.* quia ipse habet in suis facultatibus clausulas summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, & manu regia: & iste modus citandi domi, quem seruat A.C. nō videtur omninò alienus à iure communi: iuxta cuius regulas

342 Valet citatio domi à principio, quando causa celeritatem desiderat: *Bar. Alex. Castrens. & alij in d. l. 4. §. Prætor ait, ff. de damn. infect.* causæ autem executiuæ vigore obligationis Cameralis requirunt celerem expeditionem, & cēsentur modici præiudicij, & in causis celeritatem requirētibus non datur appellatio; *l. vlt. ff. de app. recip.* ibi *si res dilationem non recipiat, non permittitur appellare*; & vbi agitur de executione obligationis Cameralis nō datur appellatio: *Gallef. de oblig. Cam. quæst. 37. num. 7.* cum alijs per *Adden. ibidem num. 2.*

Et solemnitas personalis citationis, nec etiam de iure requiri videtur in illis causis, in quibus de apicibus iuris nō est disputandum, prout in relictis ad pias causas; & non requiritur personalis citatio, quando facta domi potuit deuenire ad notitiam; ita loqui videtur *Bal. in conf. 118. nu. 6. vol. 5.*

343 Et ideò videmus, quod quan-

quando A.C. nõ procedit exe cutiuè vigore suarũ facultatũ, sed vel in subsidium ad censuras debet adhibere citationem personalem: ***Rota post Zacch. de oblig. Cam. decis.*** 37. ***num.*** 2. ***& decis.*** 40. ***num.*** 8. quia excommunicatio est magni pręiudicij: ***cap. sacro, de sententia excommunicationis***; vel etiam quando procedit in vim particularis commissionis; quia tunc tãquam Iudex commissarius debet citare personaliter: ***Vant. de nullit. ex defectu citationis, num.*** 83. ***& seq. Rot. in recentiss. decis.*** 495. ***part.*** 1. ***& in Romana pratensarum mercium coram Litta, apud Marches. de commiss. p.*** 3 ***fol.*** 96

344 Et hic nota, quod si in commissione fuisset petitum quod citatio, & inhibitio etiã domi intimata, vel executa sufficiat perindè ac si personaliter fuisset præsentata, et signatura rescripsisset citet, et inhibeat vt petitur, nisi hęc petitio fuisset cassata; censeretur concessũ; quando enim in commissione nihil sit cassatum omnia censentur cõcessa: ***Rot. in ant. dec.*** 1. ***&*** 23. ***&*** 82. ***de rescr.*** cuius rescripti, et signaturæ forma esset omninò seruanda: ***cap. cùm dilecta, de rescr.*** & simile rescriptum inquit aliàs obtinuisse: ***Mandos. de inhib. quæst.*** 67. ***num.*** 12.

345 Secundus quando statutum mandaret sufficere citationem à principio domi quia illud est obseruandum: ***S. sed ius quidem ciuile, instit. de iure naturali gentium, & ciu. Socin. reg.*** 53. ***vers. fallit***; quando cõsuetudo, vel statutum ***Rot. in recent. par.*** 1. ***decis.*** 569. ***num.*** 2. Sed in materia statuti mandãtis citari, vel ad faciem, vel ad domum, an intelligendum sit ad libitum citantis; latè diximus ***in cap.*** 8. ***num.*** 77. et superiùs ***in hoc capite vers. de decreto citationis personalis, num.*** 244. ***& seqq.***

346 Tertius, quando adesset stylus Curiæ ità citandi in principio ad domum: ***Rot. decis.*** 569. ***num.*** 2. ***& decis.*** 644. ***num.*** 5 ***in fin. par.*** 1. ***in recentior. Mobed. decis.*** 2. ***de dol. & cont.*** vbi ait, quod huiusmodi stylus exequendi citationes debet probari per decem annos: et de stylo quod possit inducere, et quomodo probari debeat: dictũ est ***supra latè cap.*** 8. ***num.*** 88. ***& seqq.***

347 Quartus casus est quando quis vti forensis non habens in loco iudicij domicilium fuit

fuit coactus per Iudicem ad eligendum domiciliũ vbi vellet citari, quia tunc citatio ad illud domicilium electum habet vim personalis citationis, stante quod ille sit forensis, et non reperibilis, et electio domicilij maiorem vim habet quàm perquisitio Nuncij, qua stante citatio ad domum in subsidiũ facta habet vim personalis citationis; et hic videtur sensus *Rotæ coram Coccino decis. 216. num. 23.* et supra dictum est *cap. 7. vers. de citat. personali, num. 226.*

348 Quintus est quãdo prima citatio fuit facta personaliter; quia aliæ posteà, et etiam citatio ad sententiam satis est, quod fiant domi dim. copia: *Bar. in d. l. 4. §. Prætor ait, nu. 4. ff. de damn. infect. & ibi Alex. num. 18. Rot. in ant. decis. 8. n. 7. de dol. & contum. & eodem tit. in nou. decis. 1. Put. decis. 279. lib. 2. Verall. decis. 117. num. 1. par. 1. Coccin. dicta decis. 216. num. 23.* et dictum est supra *cap. 7. num. 227.* adde *Tiraq. de retract. consanguin. gloss. 2. §. 9. num. 45.*

349 Sextus, quando quis anteà, etiam non citatus personaliter, comparuit in iudicio; quia sic post introductionem causæ non requiritur, vt citetur personaliter: *Mohed. dec. 2. de dol. & contum.* & multò magis post litem contestatam: *Vant. de nullit. ex defect. citat. num. 91.* addit *1. ad decis. 1. de dol. & cont. in nouis; Castr. in d. l. 4. §. Prætor ait, nu. 3. ff. de damn. infect.* reddẽs rationem, quia sibi debet imputare postquam sciuit causam fuisse inchoatam; quia debuit esse præparatus semper per se, vel procuratorem; adde *Tiraquel. gloss. 2. §. 9. num. 47. de retract. consangu.*

350 Septimus est, quando fuit facta perquisitio personæ, & non fuit reperta, etiam si non appareat, quod latitauerit vel impediuerit, ne citatio ad eũ deueniret: quia tunc potest citatio fieri ad domũ, & quod ita debeat intelligi: *gloss. in cap. causam quæ, de dol. & cont.* declarat *Castr. in d. §. Prætor ait, num. 4.*

351 Et ibidẽ *Bar. n. 22.* ait quod ille, qui semel fuit in iudicio si postea absit, vel non appareat, semper præsumitur latitare: & quod ideò tunc potest procedi ad testium examinationem, licet non citetur personaliter, & lis non sit contestata: *sed ibidem Alex. num. 18* ponit,

ponit, quod nisi quis fuerit citatus peremptoriè, si absit, nō per hoc videtur latitare; sed potiùs præsumi potest abesse ex iusta causa.

352 In contrarium tamen videtur, quod Iudex debeat inuestigare vbi sit: §. *si verò, vers. igitur ne latente*; *in auth. de exhib. reis*, ibi *ne latente eo, & tardata exhibitione causa maneat suspensa, examinet, vt poterit Iudex, in quam terram abijsse dicitur, & det inducias certas*.

Sed benè respondet *Bar. in d. §. Prætor ait, num. 6.* quod Iudex hoc faciendo benè faceret: si tamen non facit, non propterea processus redditur nullus; quia dictus *tex.* non ponit ordinem necessitatis; sed ciuilitatis; atque illa inquisitio tunc debet per Iudicem fieri, quando vult dare dilationem, vt sic examinata loci distantia possit dilationem quę ab arbitrio Iudicis pendet, competentem statuere; vt per eum.

353 Octauus, quando causa requirit celerem expeditionē, prout quando agitur de damno dato, vel quando sunt examinandi testes, de quorum morte, vel diuturna absentia timetur; quia tunc quis potest citari ad domum, eo ipso quod abest à iudicio, seu à loco iudicij licet etiam aliàs posset in Ciuitate reperiri: *Bar. in dicto §. Prætor ait num. 22.* & ibi *Castren. nu. 2. Soc. d. reg. 53. vers. fallit in causa desiderante celeritatem*; *Tiraq. de retract. consanguin. glos. 2. §. 9. nu. 48.*

354 Nonus in criminalibus, in quibus sufficit saltem de consuetudine, vt Nuncius vadat de directo ad domum citandi nulla facta perquisitione personæ: *Bald. in l. consentaneum, C. quom. & quando Iud. Clar. in praxi crim. §. fin. q. 31. num. 16. vers. sed nunquid*, & supra dictū est *hoc eodem cap. num. 231.*

CITATIO IN QVA domo fieri debeat.

355 Citatio domi, quando de iure permittitur, intelligitur de domo, in qua citandus habitat de tempore citationis; *Rom. consil. 454. num. 7. & 8. Corn. cons. 52. num 7. lib. 4. Caput. decis. 117. num. 2. lib. 1. & decis 119. num. 7. lib. 3.*

356 Quod autem citatio sit facta domi solitæ habitationis, statur Nuncio referenti, nisi con-

contrarium probetur: *Bar. in l. si ita mea, in fine, ff. de leg. 2. Bal. in l. properandam, §. si quidem, col. 2. C. de Iud glos. vlt. & ibi Bal. in l. 1. C. de priuileg. Fisci, cum alijs alleg. per Mandos. cons. 96. num. 10. & 11.*

357 Et citatio facta ad domũ, quam citandus non habitabat non valet: *Coccin. dec 74. nu. 2.* adde *Bar. in l. 4. §. Prætor ait*, & ibidem *Alex. ff. de damn. infect. Dec. cons. 460. num. 29.* Similiter latitante citando, si fieret citatio ad domum, quã de illo tempore nec vxor, nec familia citandi habitabat, non valet: *Bald. in l. diffamari, C. de ingen. & manum. vers. vocitasse*; *Gramat. cons. 1. in mat. foriudic. num. 5.* Nec sufficeret, quod ibi anteà moratus fuisset, dùm de tempore citationis non moraretur: *Bar. in d. l. 4. §. Prætor ait, num. 9. ff. de damn. infect. Butr. in cap. causam, nu. 7. circa fin. vers. item intellige domum, de dol. & cont. Rot. coram Martino And. decis. 1. nu. 8.* dùm enim quis citatur domi quàm nec ipse, neque eius familia habitat, nõ potest præsumi citationem ad eius notitiã deuenire: & ideò remanet nulla: *Angel. in l. 1. C. de fals. monet. Gabr. cons. 52. nu. 16. lib. 1. & cons. 31. nu. 34. lib. 2.*

358 Habitare in aliqua domo quis dicitur quando ibi cum eius familia, & bonis degit, & facit ibi focum, & solita fieri per habitatores: *Alex. in l. lex Cornelia ff. de iniur. Gramat. decis. 87. num. 1. & 2.* & in qua bona sua, ac suppellectilia, & familiam retinet, licet ibi ipse non sit præsens: *Bar. in l. 1. §. permittitur, numer. 7. ff. de lib. agnosc. Menoch. cons. 288. num. 11. lib. 3. Honded. cons. 3. num 10. lib. 2.* & vbi familia quis careat, attenditur vbi ipse solus soleat habitare; non tamen tanquam peregrinus, nec ad momentum: *l. 1. §. habitare, ff. de his qui deiec. vel effud. l. lex Cornelia, ff. de iniur. gloss. in l. & habet,* in verbo *non intelliguntur, ff. de precar.* & vbi habitat de tempore citationis: *Caput. d. decis. 117. num. 2. par. 1.* & quando ignoratur vbi habitet de tempore citationis, & nescitur quo se transtulerit, attenditur locus vltimę habitationis: *Imol. in Clem. causam, de elect. numer. 6. Rot. in Tuden. beneficij, 8. Nouembris 1593. coram Penia apud Garz. de beneficijs 6. par. cap. 2. sub num. 216.*

Duas

359 Duas habitationes,& duo domicilia poteſt quis inſimul habere, vnum in quo magis, aliud in quo minus conuerſetur: *Bal.conſ.234. num.2.lib.1.* quod tamen difficile eſt, & rarò contingens: *l. eius qui, §. Celſus, ff. ad municipales*, ibi, *an poſſit quis duobus locis habere domicilium; & verum eſt habere, licet difficile ſit, quemadmodum difficile eſt ſine domicilio quenquam eſſe*; dato tamen caſu, ait ibidem *Bal.* poterit citari ad vtranque domũ tanquam ad domum habitationis; idem tenuit *Alberic.& Guid. de Suzar.in d.l.4. §.Prator ait, ſub num.5. ff.de damn. infect. vt refert Gratian. diſcep. forenſ. cap.697. ſub numer.26.* adde eundem *Bald.in cap. vn. de mil.vaſſal.qui cont.eſt.* Hoc autem poſſet verificari, quando quis haberet duas domos, ſeù habitationes coniunctas, vnam à parte anteriori, aliam à poſteriori, vt citatio poſſet fieri vel in vna, vel in altera: *Alex.in dicta l.4. §.Prator ait, num 9. ff. de damn. infect.* at quãdo quis haberet duas domos, & habitationes ſeparatas in eadem Ciuitate, impoſſibile eſſet, vt eaſdem inſimul eodem tẽpore habitaret. poſſet benè vnam habitare tempore æſtatis, & aliam hyemis.

360 Et hoc caſu, qui præſens eſſet citari deberet, vbi habitaret: *d.l.4. §.Prator ait, ff.de damn.infect.* ibi *ſed domum, in qua degit denunciari ſic accipere debemus, vt etiam ſi in aliena domo habitet.ibi denuncietur*; & hoc idem *not. ibidem Bar.* & ſequuntur *alij ibidem relati per Alex.*

361 Sed ſi abſens eſſet, & latitaret, citandus eſſet in loco vltimæ habitationis; vt in *Clem. cauſam*; & ibi *not. Doctor.de elect. Alex. vbi ſupra ſub num.7.*

362 Quando autem locus vltimæ habitationis non eſſet, vel non poſſet eſſe notus Nũcio; tunc poſſent verificari dicta per *Bald.in d.cap.1.de mil. vaſſal. qui cont. eſt*, vt ſit in electione, vel Iudicis, vel partis, vel Nuncij, vt ſiuè in vna, ſiuè in altera ex duabus habitationibus citatio fieret.

363 Sed quod non in loco habitationis vltimæ, ſed in loco vbi anteà communiter conſueuit habitare debeat quiſq; citari, eſt *text. in dicta Clem. cauſam, de elect.* ibi *quod ſi forſan appellatus abeſſe, & procuratorem talem non inueniri contin-*

tigerit, in domo, quam ipse appellatus habitare cõmuniter consueuit, volumus appellationem huiusmodi publicari, vbi *glos.* in verbo *communiter* ait, *licet ergo ibi non habitet vltra dimidium anni, sed minus, ex quo tamẽ ibi habitat plusquàm alibi, ibi potuit fieri intimatio; sed si communiter habitaret in duobus locis, in quolibet illorum fieri poterit, vbi elegerit appellans, & tutum esset fieri in vtroque*; sed *Bar. in d. §. Prætor ait, num. 9.* declarat, quod *d. Clem.* loquitur de intimatione appellationis extraiudiciális, vt fieri debeat, vbi appellatus morari communiter consueuit; sed in materia citationis iudicialis, *tex. in §. Prætor ait*, disponit, vt citatio fiat, vbi citandus degit; & hanc responsionem sequitur *Alex. ibidem sub nu. 6.* sed aliter declarat *Paul. de Eleaz. in d. Clem. causam*; & dicit quod verba illa *tex. in domo, quam habitare communiter consueuit*, sunt intelligenda scilicet de tempore intimationis: iuxta *d. §. Prætor ait*, & iste est rationabilior intellectus, quàm ille, quem ponit ibi *glossa* prædicta; vt ait *Imol. cons. 105. sub num. 1.*

364 Sed quod quis potius ad locum originis, quàm ad locum habitationis citandus sit, videtur *tex. in l. libertus, §. præscriptio, ff. ad municip.* ibi *sed eodem tempore non sunt honores in duabus ciuitatibus ab eodem gerendi; cùm simul igitur, vtrobique deferũtur potior est originis causa*; & quod domicilium originis sit potentius quouis alio, dicunt relati per *Tiraq. de retract. cõsanguin. §. 9. gloss. 2. num. 20.*

Responsio est d. *tex.* procedere quoad munera personalia, quæ sunt iuncta personæ, ratione suæ originis, non autem quoad ea, quæ veniunt ex accidenti prout est citari, quod non in loco originis fieri debet, sed habitationis. cùm non alia ratione quis citetur ad domum, quàm vt familia citati ei possit renunciare citationem; & ita respondent communiter Doctores relati per eundem *Tiraq. d. §. 9. gloss. 2 num. 21. vsque 25.*

365 Et quando quis in aliqua domo non habitasset vltra tres dies, tamen si eo tempore habitasset cum sua familia, & bonis, illa censeretur domus habitationis, non alia in qua anteà consueuisset habitare: *Castr. in dict. l. 4. §. Prætor ait nu. 4.*

nu.4.ff. de damn. infect. Tiraq. de vtroque retract.d.§.9.gloss.2. num.27.

366 An verò in domo propria quis habitet, vel aliena differẽtia nõ est:*l.lex Cornelia,§.domũ ff de iniur.* ibi *domum accipere debemus, non proprietatem domus, sed domicilium: quare siuè in propria domo quis habitauerit, siuè inconducta, vel gratis siuè hospicio receptus, hac lex locum habebit*; vbi *glos.* in verbo *hospitio supplet, non tamen ad momentum, vt viator*; & habetur in fine eiusdem § *domum, vers. cœterum*, ibi *ad hos pertinebit qui inhabitant non momenti causa, & in l. qui domum, ff. ad l. Iul. de adult.* dicitur *appellatione domus habitationem quoque significari palàm est*; idem dicitur *in l.nec in ea, ff.eodem tit.ad l.Iul.de adult. sed domus, & pro domicilio accipienda est; & in l.1. §.habitare, ff.de his qui deiec. vel effud. habitare autem dicimus vel in suo, vel in conducto, vel ingratuito. Hospes planè non tenetur, & in l.1. §. domum, ff. de alea lusu, & aleat. domum autem pro habitatione, & domicilio nos accipere debere certum est.*

367 Hinc quando agitur de citando, altero ex coniugibus, non attenditur an habitatio sit in domo mariti, vel vxoris, & sufficit citare maritum in domo, in qua vxor habitat, ea ratione, quia maritus præsumitur habitare cum sua vxore; & vice versa, citanda est vxor in domo mariti, vbi habitat; vxor enim ducta mutat suum domicilium in domicilium mariti:*l.cùm quædam puella*; & ibi *glossa prima, ff. de iurisd. omn. Iud.* & sicut maritus præsumitur habitare in ea domo, in qua habitat vxor; ita & è conuerso vxor præsumitur habitare in ea domo, in qua habitat maritus: *l.1. §. domum ff.de lib agnosc. Bal. in l ab eo, C.quom.& quando Iud. num.14. Alciat. de præsumpt. reg.1. præsumpt.35. in fin.* maritus enim & vxor dicuntur tenere vitam indiuiduam, & socij rei humanæ, atque diuinæ domus: *l.aduersus, C. de crim. expil. hæred.* & quando maritus latitat, vel abest, citari potest in domo vbi habitat vxor; vt per *Doctor. relatos per Tiraq.de retract. cõsanguin. § 9 gloss.1. num.7. Menoch. de præsumpt. lib.2. præsumpt. 27. num.2.* & quando vxor agere vellet contra maritum vagabundum, posset eum citari facere

cere in sua ipsius domo *Innoc. in cap. vlt. de eo qui mit. in poss. Menoch. dicta præsumpt. 27. num. 1.*

Et manere in Ciuitate dicitur qui in ea habet familiam, quamuis ipse sit absens: *l. 1. §. permittitur, ff. de lib. agnosc.* & ibi *Bar. num. 7.*

368 In fundaco, seù apotheca an possit fieri citatio controuersia est:& pro parte affirmatiua adducitur primo *tex. in l. itẽ apud Labeonem, §. cõuicium, ff. de iniur.* ibi *proinde si quis ad domum tuam venerit te absente conuicium factum esse dicitur, idem si ad stationem, vel tabernam ventum sit probari oportere*; sed non applicatur ad casum diuersum, conuicium enim siuè fiat ad domum, siuè ad stationem semper tendit ad infamiam, iniuriamue eiusdem; sed quando citatio fit ad domum inducit præsumptam scientiam; quia vxor, & familia Domino possunt significare citationem factam; secùs autem si fit in fundaco, vbi cum familia, & bonis non habitat; vt per *Bar. in d. §. conuicium, num. 3.*

Secundo adducitur *tex. in l. cùm quidam, ff. de fund. instruct.* ibi *Labeo, & Trebatius boues ei fundo cessuros putant, vbi opus fecissent, non vbi manere consueuissent.*

Sed nec benè infertur de boue ad hominem, & aliud est, quod citatio magis præsumatur posse deuenire ad notitiam citati, quando fit in domo, quàm quãdo fit in apotheca, & aliud quod bos censeatur potius instrumentum fundi, in quo operatur, quàm vbi stabulat, ita respõdet *Bar.* in eadem *l. cùm quidam, nu. 2.*

Et quamuis mercator, & operarius in fundaco, seù apotheca tota die versetur, ibi se exerceat, & habeat ibidem famulos, qui possunt ad eius notitiam citationem factam deducere prout ita ratiocinatur *additio ad Bartol. ibidem, & Surd.* eodem modo argumentatur in *cons. 88. num. 9.* tamen maior præsumptio est, quod quis certificetur ab vxore, & familia de citatione facta ad domum, quàm à ministris, seù seruientibus in apotheca, qui in solo mercaturæ negotio se occupant, & secreta domus, & familię habẽt ignota, & non ita de facili possunt, quod geritur in apotheca, ad latitantis absentisue Domini notitiam deducere, & verisi-

militer ignorare possunt, quo se receperit.

Et ad dictum *cons. Surdi* 88. aduertendum est, quod in suo casu probatum erat citationē ad apothecam factam deuenisse ad notitiā citati, quia fuerat dimissa in manibus vnius famuli apothecæ, quod eundem citatum extraiudicialiter confessum fuisse probatur; & ideò benè inferre potuit, quod defectus citationis purgatus fuisset per scientiam; non autem quod citatio in apotheca facta valuisset contra eum, qui habebat determinatam, & separatam domum habitationis ab apotheca.

369 In hospicio, seù diuersorio, & vbi quis paulisper hospitatur non potest fieri citatio: *Bar. in l.* 1. *§. permittitur, num.* 6. *ff. de liber. agnosc. Osasc. decis.* 71. *num.* 20. *Tiraq. de retract. consanguin.* §. 9. *gloss.* 2. *num.* 31.

370 Ad vineam, quando familia absentis, vel latitantis ibi non habitaret, citatio fieri nō posset; cùm non esset qui verisimiliter posset eum certiorare: *Angel. cons.* 186. *incip. statuto ciuitatis, num.* 1. *in fine, vers.* 2. *probatur; Dec. cons.* 460. *viso puncto, & dubijs, col.* 8. *ad med. vers. & debet quis citari, numer.* 29. *Rom. cons.* 454. *sub num.* 7. & 8. *& ibi Mandos.* in verbo *moratur*; *littera* 1. *Gratian. discept. forens. cap.* 541. *num.* 20. At si quis in vinea, vel villa habitaret, ibi deberet citari: *cap. ex parte, de for. compet. Cardin. in cap. final. col.* 2. *vers. quæro circa hoc, de eo, qui mitt. in possess. Gratian. in decis. Marchiæ decis.* 154. *num.* 5.

371 In domo defuncti potest fieri citatio contra hæredem, quando contra eum agitur super bonis in hæreditate relictis: *l. hæres absens in princip. ff. de Iud. Fulgos. cons.* 76. *circa fin. Mandos. cons.* 96. *sub nu.* 12.

372 In loco domicilij electo debet citari, siuè quando domicilium elegit forensis, in quo voluit citari non habens aliud domicilium, siuè quando incola elegit domicilium pro maiori commoditate citandi; & si alibi citetur citatio est nulla: *Bar. in constit. ad reprimen.* in verbo *per edictum, nu.* 15. *Specul. tit. de rescr. præsent. §. ratione autem causæ sub nu.* 8 *vers. quod si non discernatur; Soc. in trac. de cit. ar.* 17. *in fin. & art.* 25. *quæstione* 3. *sub num.* 2. *vers. consuluit; Rebuff. in tract. de domicil. elect. gloss. vn. n.* 1. & est

est tex. in l. nihil, ff. ad municipal. ibi *nihil est impedimento quominus quis vbi velit domicilium habeat.*

Et idem est, quando quis fuit citatus in aliqua domo, & comparuit, quia censetur illam domum elegisse pro domicilio: & proptereà ibi citari potest: *Coccin.decis.216. sub num.25.*

373 Forensis, qui certam habitationem non habet in loco iudicij, debet ad instantiam alterius partis cogi per Iudicẽ ad eligendum domicilium, quo possit citari; vel constituendum procuratorem reperibilem: *Specul. in tit. de rescr. præsent. §.rationem autem causæ, vers. quid si non discernatur, Bar. in extrauag. ad reprimen.* in verbo *per edictum, num.15. Socin. de citat. art.17. in fin. & art.25. q.3. sub num.2. Rebuff. de domicil.elect. glos.vn. nu.1. & seqq.* & si pars non instaret, & non citaret ad eligendum domicilium, Iudex non posset illum cogere; quia hæc debẽt peti à Iudice pro tribunali sedente: iuxta *tex. in l.4. §. hoc autem Iudicium. ff. de damn.infect. Ias. in l. vniuersa, num.2. C.de precib. imp. offer.*

374 Quando autem requisitus domicilium eligere recusat tunc Iudex, vel potest ei denegare audientiam: iuxta *l.fin. C. de bonis, quæ liber.* vel potest cõstituere domicilium, in quo omnes fiant citationes: ad *tex. in l.5. §. sed etsi proponis, ff. de iure dotium, cap. nullus, de iure patron.* vel etiam potest eum citare ad totam causam, & ei intimare, vt omnibus actibus intersit: *Bart. in extrauag. ad reprim.* in verbo *per edictum, Alex. & Ias. in l. qui ante Kalendas, ff. de verborum oblig. Socin. in tract. de cit. art.20. quæst.16. nu.39. Rebuff. de domicil. elect. art.vn. glos.vn. num.46. & seqq.* Sed in Curia quando citatus non eligit domicilium, nec constituit procuratorem reperibilẽ, & acceptantem contra eum decernitur processus per contradictas, tanquam contra forensem, & latitantem, de quo processu dictum est supra *cap.7. num.310. vers. de citat. per contrad.*

375 Modo quæro, an qui in vna causa elegit domicilium, possit in altera causa, & per alium ibidem citari: & respondendum puto, quod si loquimur de illo, qui certam habitationem habens in loco

iudicij elegit domicilium in vna causa, non debet in alia causa ad illud domicilium electum citari; sed ad domum suæ solitæ habitationis de tempore citationis: iuxta superius *dicta sub numero* 355. quia tunc electio domicilij censetur voluntaria, & facta pro maiori commoditate citandi: *Coccin. decis.* 216. *num.* 24.

Si verò loquimur de forense non habente determinatam habitationem in loco iudicij, qui citari, & vt supra cogi potest ad eligēdum domicilium, si elegit ad vnius instantiam in vna causa, & contingat, vt idem moueat aliam causam, poterit, vt puto, in eodem domicilio eundem citare, dum non constet de alio domicilio electo: immò, quando semel ad instantiam vnius, & Iudice cogente elegit domicilium, videtur quasi contraxisse cum parte: *l.* 3. *§. idem scribit, ff. de pecul.* ibi *nàm sicut in stipulatione contrahitur cum filio; ità in iudicio contrahi*; & proptereà non videtur, quod potuerit vel parte inscia, vel inuita domicilium semel electū mutare; & dicitur *in l. serui electione, ff. de legatis* 1. *Serui electione legata semel dumtaxat optare possumus*; & similiter dicitur *in l.* 1. *C. quando liceat ab empt. discedere*; quod consensu contractum est, contrariæ voluntatis adminiculo dissoluitur.

In contrarium dici posset electionem domicilij factam in vna causa non extendi ad aliam, sicut procuratoris constitutio in prima instantia non extenditur ad causam appellationis; & licet teneatur appellare, non tamen tenetur prosequi: *l. inuitus, C. de procur.* Respondendo dico, quod si electio domicilij esset restricta ad illam causam, non valeret citatio in alia causa executa in eodem domicilio etiā coram eodem Iudice; quia per restrictionem excluditur extensio; sed si non esset restricta, extenderetur ad aliam ex identitate rationis: *l. illud, ff. ad l. Aquil.*

Dum enim in prima instātia cogi potuit ad eligendum domicilium, tanquam forensis, eadem ratione cogendus fuisset in gradu appellationis. Hinc processus sūmarius cōcessus in prima instantia extenditur ad causam appellationis: *Bellam. dec.* 41. *Cassad. decis.*

decis. 8. *numer.* 5. *de rescr. Rot. diuers. decis.* 785. *par.* 3. *lib.* 3. & causa appellationis eadem dicitur cum prima: *Bald. in l. inuitus, num.* 6. *vers.* 3. *quaritur, C. de procur.*

376 Et propterea cēseo, quod licet is qui elegit domicilium probetur abesse, non tamen, docto etiam de eius absentia, validè posset procedi per contradictas; licet enim contra habentem certam habitationem propter eius absentiam procedatur per contradictas; tamen quia electio domicilij fit ratione futuræ absentię per forensem, qui non habet certam habitationem; ideò superueniente etiam eius absentia, debet in eodem loco domicilij electo citari, & ibidem citatus habetur pro personaliter citato ad instar eius qui citatur ad domum facta perquisitione eius personæ; iuxta superius dicta *num.* 328. & ita intelligo prædictam *decis. Coccini* 216. *sub num.* 22. & 24. addo rationem; quia si forensis tanquam non reperibilis citetur in domicilio per eum electo, præsumptio vrgens est, quod ipse debeat per habitantes in eo, de quibus confidit, certiorari de citationibus ibi contra eum factis: quæ præsumptio cessat, si non ibi, sed in audientia contradictarum citetur: quo in loco illi habitantes nō versarentur, & dum scientia citationis pręsumptiua haberi potest in loco domicilij electi; non est quærenda scientia verisimilis per edictum, quod fit pro vltimo subsidio: sic enim manifesta esset fraus in citando.

377 At si alter, ad cuius instātiam non fuisset electum domicilium, agere vellet, respondendum duco, aut ipse scit domicilium esse electum, & agit coram eodem Iudice, & in eodem foro vbi fuit electū, & tunc debet in illo citare, cùm duret eadem causa electionis domicilij; quia forensis; & duret autoritas eiusdem Iudicis, qui coegit ad eligēdum, & quia vtiliùs est ipsi citato, vt ibi citetur vnde resultat præsumpta scientia, quam quod citetur per contradictas, vnde resultat sola verisimilis notitia: aut citat coram diuerso Iudice, & in diuerso foro; & tunc puto, quod si forensis ibi possit reperiri, vel alibi, debeat citari ad eligendum domicilium stāte diuersitate Iudicis, & iurisdictionis; addicta

per *Rebuff. de elect. domicilij*, *d.gloss.vn.sub num.*30. *&* 31. aliàs si non eligat poterit citari per edictum, seù contradictas.

Si verò ignoret dictum domicilium; tunc potest contra illum procedere vti contra forensem non habentem domicilium in loco iudicij: non enim quis tenetur scire, & quærere, quæ inter alios gesta sunt.

378 Pone modo, quod citatus ad eligendum domiciliũ certa die, illud non eligat: & tunc certum est, quod decernitur processus per contradictas: an verò talis processus valeat quã do idem elegisset posteà in actis domicilium; & respondeo, quod licet ea, quæ sunt apud acta pars teneatur quærere, & scire: *Castr. in l.vn. n.*2. *C. de satisdan.* tamen quando quis citatur ad eligendum domicilium, seù constituendum procuratorem in actis certo tempore, tunc si illo tempore nõ reperiatur in actis electio, seù constitutio, non est vlterius necesse acta perquirere.

379 Sed pars quando extra terminum eligit, vel constituit, debet intimare; ita respondet *Rot. diuers. decis.*325. *num.*2. *par.*3. *lib.*3. dicens in hoc casu loqui *Bald. in l. eos*, *§. Apostolos*, *C. de appellation.* aliàs valet processus ad vlteriora: iuxta *tex. in Clem. causam, de elect. in fine*, ibi *nec causa per appellationem eandem censeatur deuoluta ad sedem prædictam*, *nisi ad appellatum eius plena, & certa notitia intra tempus prædictum aliter peruenisset*; & sibi debet imputare, qui procuratoris constitutionem, & domicilij electionem extra terminum factam non intimauit: *Rot. in nou. decis.*6. *de dolo, & contumacia*; & quod valeat processus per contradictas cœptus contra contumacem licet, eo cœpto, miserit procuratorium, quod per procuratorem parti non fuit intimatum: dixit *Rota coram Caputaq. decision.*102. *&* 135. *par* 3.

380 Et quod citatus in termino cadenti debeat facere id, ad quod terminus requirit, etiam quod pars aduersa non compareat: dixit *Rot. in ant. decis.*7. *de procur.*

381 Insuper quæro si partes in contractu conuenerint occasione cambiorum, vel alterius interesse, quod sufficiat vnica intimatio in loco contra-

tractus in certo domicilio per debitorem electo tàm facta contra se, quàm cõtra eius hęredes, an eo in loco facta cõtra hæredes ignorantes eos constituat in mora, & successiuè debitores cambiorum vel interesse, & puto quod sic; quia cõsidero ex parte creditoris, quod aliàs non fuisset contracturus, nolens in se suscipere onus intimandi, seù denunciandi aduersario, vel eius hęredibus personaliter, vel domi extra locum contractus; & ex parte debitoris considero, quod si non credidisset se, vel eius hæredes certiores reddituros fore, de quacunque intimatione ab eisdem habitatoribus, nequaquam elegisset illud domicilium, vt in eo intimatio fieret; & propterea creditor satisfecit formæ cõtractus ibidem intimando; & quatenus dicta intimatio vel ad eius, hæredumue notitiam non peruenisset, sibi debet imputare, cur non magis suis rebus inuigilauerit.

382 Ita in simili quando procurator in Curia moritur, licet antiquitus obseruatum fuisset, vt mors procuratoris intimaretur principali in partibus; iuxta *decis. Bellam.* 494. incip. *licet mors procuratoris:* tamen hæc decisio non fuit recepta in praxi, sed absque alia intimatione proceditur per contradictas cõtra principalem, & sententia exinde lata valida est; & obseruantiæ huius ratio est; quia is qui procuratorem constituit, rebus suis debet inuigilare: *Vestr. in praxi, lib. 4. cap. 5. sub num. 5. Rot. in recent. decis. 191. num. 6. par. 2.* & fuit dictum *in vna Feretrana parochialis* 22. *Maij* 1628. *coram Cardinali Virili*, post tractatum *Posti, de manut. decis. 236. num. 7.* & prædicta notanda existimo cùm possint in praxi cõtingere, & à nemine tacta, minusque discussa inuenerim.

383 Scholaris habitans domum in loco studij non censetur constituisse domicilium ibi, nisi habitauerit per decem annos, vt dicitur expresse in *l. 2. C. de incolis, lib. 10.* in ea tamen domo, quã habitat studij gratia poteſt citari: *Doc. in Clem. causam, de elect. Tiraq. de retrac. consanguin. §. 9. gloss. 2. nu. 30.* citatio enim debet fieri in domo habitationis, & non refert, an quis ibi constituerit domiciliũ, vel non: *l. lex Cornelia, §. ego puto, ff. de iniur.*

Ad

384 Ad domum vniuersitatis citatio facta, quãdo valeat. dic breuiter, quod vniuersitas debet citari quando est congregata in loco solito, seù in sua domo: *gloss. in l. non potest dolo carere, ff. de reg. iur.* ibi *in capitulo, vel arrengo:* Sed si non vult se congregare habetur pro latitante, & impediente se citari: *gloss. in cap. si capitulo, in verbo factam, de cõcess. preb. lib. 6.* ad instar eius qui latitat, vel impedit, quod citari non possit; sed & hoc casu quomodo debeat citari: *Bar. & Bal.* non conueniunt; nàm *Bar. in l. vltima, ff quod cuiusque vniuers. nomine* dicit, quod sunt citandi qui præsunt ciuitati, vel vniuersitati; per *tex. in l. municipibus, ff. de cond. & demonstrat.* ibi, *itaque iurabunt per quos municipij res regũtur. & in d. l. non potest dolo carere, ff. de reg. iur.* repetit idem, dicens quod debent citari illi, qui regunt vniuersitatem, & tunc perinde habetur ac si ciuitas, vel vniuersitas esset citata.

Sed latiùs explicat in *extrauag. ad reprimen.* in verbo *citatum corpus, vel collegium*; dicens quod in citatione, quæ fit per edictum, clarum est, quod sufficit propositio in loco publico; sed quando fit per Nuncium, vel per epistolam, quærit quem citabit Nuncius, vel cui litteras præsentabit; & respondet cum *Io. Andr. per eum alleg.* quod requiret eum qui habet conuocare tale Collegium cùm sufficiat quod illud congreget more solito, quod si se includeret, vel impediret ne fieret propositio, vel præsentatio perinde habetur ac si esset facta, addens etiam dici posse, quod sicut vnum hominem singularem quis potest citare, licet solum caput eius respiciat, sic etiam quis vniuersitatem potest citare citando caput eius, hoc est illos qui præsunt vniuersitati, vel collegio: subiungens posse etiam dici, quod sicut tutor potest citari in causa pupilli, ita hoc modo rectores in causa vniuersitatis: animaduertit tamen posse dubitari, quando commissio esset facta de citando pupillum, an sufficeret citare tutorem; & ideò consilium dat, quod fiat commissio de citando tutorem, & pupillum; & de citando rectores, & administratores, & vniuersitatem: quia tunc, vt inquit, sufficeret citare rectores:

Bal.

Bal. verò in *l.etiam, C.de execut. rei iud.sub num.*13. *verſ. ſed quæro quomodo citabitur*; reſpondet quod ſi vniuerſitas eſt congregata; perſonaliter citabitur; quia iſta congregatio eſt quaſi quædam perſona politica, ſi autem non eſt cõgregata ponetur edictum in loco vbi conſueuit cõgregari. Iuxta ea, quę ſuperiùs explicata ſunt concludo, quod in primis adhibenda eſt diligentia, vt congregetur vniuerſitas; vt latè dictum eſt ſupra *cap.7. verſ.de citatione vniuerſali, & particulari, num.*126. *&* 138. ſic enim priuata perſona, quæ perſonaliter citanda eſt debet perquiri; vt ſupra *hoc eodem capite, nu.*263. *& ſeqq.* & quia principali nõ reperto perquirendus eſt procurator; *vt ſupra* 298.benè dicit *Bar.* citandos eſſe Rectores, ſeù Syndicos vniuerſitatis, quando ea nõ vult ſe congregare; & tandem, quia nec principali, neque procuratore repertis citatio fit ad domum, vt ſupra *num.*330. *&* 337. benè etiam dicit *Bald.* quod ponetur edictum in loco, vbi conſueuit congregari, intelligendo eius dictum in ſubſidium, quando vel Rectores, vel Syndici non reperiuntur, vel quando in caſu de quo agitur, non haberent ſufficientem facultatem; vt enim benè diſtinguit *gloſ. in d.l.non poteſt dolo carere, ff.de reg.iur.* ea quę expediunt vniuerſitati vtique facere poſſunt Rectores, & Syndici; iuxta *tex.in l.*1. *in fin. ff. de acq. poſ.* ibi *Municipes per ſe nihil poſſidere poſſunt; quia vniuerſi conſentire non poſſunt; & in l. ſeq.* ibi *ſed hoc iure vtimur, vt poſſidere, & vſu capere municipes poſſint, idque eis, & per ſeruum, & per liberam perſonam acquiratur:* quæ autem vniuerſitati nocent, facere nequeant: iux. *tex. in l. ſed ſi ex dolo, §. ſed an in municipes, ff. de dolo malo,* ibi, *ſed an in municipes, de dolo detur actio dubitatur, & puto ex ſuo quidem dolo actionem non poſſe dari: quid enim municipes dolo facere poſsũt? ſed ſi quid ad eos peruenit ex dolo eorum, qui res eorum adminiſtrant, puto dandam*; vbi *gloſ.* in verbo *puto dandam,* reddit rationem; quia tunc videntur habere ratum, niſi reddant; & vt dicit *Bar. in dicta l. non poteſt:* denunciatio, ſeù citatio facta Syndico valet quantũ ad excuſandum vitium clandeſtinitatis, non quantum ad contu-

tumaciam inducẽdam in personam vniuersitatis: iux. *tex. in l. aut qui aliter*, *§. idem ait*, *ff. quod vi*, *aut clam*; & quod Syndicus solus non possit citari ad præiudicium vniuersitatis: dixit *Bal. cons.* 203. *par.* 1. adde *Soc. de cit. artic.* 17. *q.* 16. *num.* 54. *& Cagnol. in d. l. non potest dolo carere*, *ff. de reg. iur.*

Et quia Nuncius nõ potest sine Iudicis commissione expedire ea, quæ exigunt aliquã causæ cognitionem; *vt supra n.* 335. ideò bonum est prædictum consilium *Bartoli*, quod fiat commissio de citando rectores, & administratores, & vniuersitatem, quamuis etiam si Iudex mandaret simpliciter citari vniuersitatem, posset Nuncius citare Rectores, & Syndicos, ex quo Iudex censetur præfigere formam citandi, iuxta formam iuris; *vt supra sub num.* 336. & de consuetudine in ciuilibus præsumitur cõmissio Iudicis; *vt supra num.* 184. & maximè quando pro ea sunt coniecturæ vrgentes; *vt supra num.* 188. Quomodo autem conuocetur vniuersitas: *gloss. in l. aliud*, in verbo *refertur*, *ff. de reg. iur.* dicit *si publicè populus vocetur*, *scilicet per tubam*, *vel campanam*, *vel voce præconia*; & dicit *Bar. in l. fin. num.* 3. *C. de præd. decur. lib.* 10. se recordari inuenisse in quibusdam scriptis antiquis, quod olim consueuerunt vocari Decuriones ad sonum tabellæ, sicut facit Ecclesia in die Veneris sancti.

385 Ad domum procuratoris, an principalis possit citari: dico quod quilibet debet citari in domo, quam habitat de tẽpore citationis, aliàs non valet: *l. lex Cornelia*, *§. ego puto*, *ff. de iniur. cum alijs supra deductis*, *num.* 355.

Et quia citatio procuratori fit potius in subsidium, quando non potest citari principalis: *l. aut qui aliter*, *in princip. vers. & si fortè*, vbi *gloss.* in verbo *ad domum*, *ff. quod vi*, *aut clam*, *l. si dictum*, *§. si præsente*, *ff. de euict. cap.* 1. *qui matrim. accus. poss. Mandos. reg.* 34. *quæst.* 69. *num.* 5. *vsque* 9. ideò quando principalis potest citari ad domum suæ habitationis non videtur qua ratione possit aduersarius illum citari facere ad domũ procuratoris.

Et quando quis scit suum aduersarium habere procuratorem, illum procuratorem tenetur citare, quando principalis non reperitur, & antequam

quam fiat citatio ad domum: *Bar. in l.4. § Prætor ait, nu. 16. ff de damn. infect. Mobed. decis. 7. per tot. de Iud.* & dictum est superiùs *nu. 298.* ideò hoc casu potiùs debet citari idem procurator, quàm quod citetur principalis ad domum eiusdem procuratoris: & quãdo aliter fit nō videtur abesse suspicio calumniæ, vel fraudis in citando: *Rot. diuers. dec. 90. num. 3. par. 3. lib. 3.*

Et quando quis habeat sciẽtiam procuratoris, siuè specialis, siuè generalis in Curia debet illum citare, cùm in Curia possit inchoari iudiciũ cum procuratore, etiam generali: *Adden. ad Greg. decis. 127. num. 12. Vant. de nullit. ex defect. cit. num. 84.*

Puto tamen, quod citatio ad domum procuratoris posset sustineri, si procurator ad eandem citationem respōdisset, & defẽsioni causæ se obtulisset; vt enim citatio valeat sufficit, quod ad notitiam citati peruenerit: *gloss. in l. licet C. de repud. Doct. in l. consentaneum*, & ibi *Bald. C. quom. & quando Iud.* & dum procurator respondit ad citationem præsumitur, vel fecisse de cōsensu principalis, vel eandem citationem ad illius notitiam deduxisse; quod si non respondisset, ipsa citatio non afficeret principalem, qui domum habitationis haberet, & qui in domo procuratoris domiciliũ non elegisset; ex iam dictis.

DE CITATIONE PER edictum decernenda.

386 Decernere citationem per edictum nihil aliud est, quàm mandare, vt cedula, seù scriptura citationis cōtra absentem publicetur, & affigatur in loco publico, vt verisimiliter ad notitiã citati possit peruenire: *Clem. causam, §. quod si forsan, de elect. & Clem. 1. de Iud.*

387 Qui modus citãdi est subsidiarius in casu quo quis non possit personaliter citari, neque domi: *cap. causam quæ*, iuncta *gloss.* in verbo *ad domũ, de dol. & cont. l. 4. §. Prætor ait, ff. de damn. infect. Maran. de ord. Iud. par. 6. vers. rectè concip. citatio, num. 82.*

Quod si Iudex decerneret citationem per edictum contra eum, qui possit citari per Nũcium personaliter, vel domi per litteras, vtique eum grauaret, & daretur appellatio & Iu-

& Iudex appellationis processum annullaret: *Bar. in extrauag. ad reprimendum,* in verbo *per edictum nu. 2. Maranta vbi supra; Gail. lib. 1. obseruat. 57. in princ.*

388 Et hæc citatio censetur quodam modo famosa cùm nomen citandi proponatur in publicum, tanquàm sit persona, vel vagabunda, vel incerti domicilij, vel contumax, & fraudulentus absens: cùm huiusmodi edictum non proponatur in loco publico, nisi cõtra huiusmodi personas: *l. ad peremptorium, cum quinque sequen. ff de Iud. cap. ex tua, de Cleric. non resid. Petr. Greg. Tholos. in tract. de appellat. cap. 15. num. 10. lib. 2.*

389 Et qui habet domicilium non potest citari vti absens: *Rot. in recent. par. 2. decis. 466. n. 1.* & etiam quando in rescripto committitur facultas citandi absentem per edictum, intelligitur iuxta formam iuris communis: *cap. causam quæ, de rescr.* videlicet, vt per edictum citetur absens, quando nec personaliter neque domi citari potest: *Caput. decis. 263. num. 1. & seqq. par. 2.*

Et citationes per edictum sunt exorbitantes à iure communi: *Clem. 1. de Iud.* & ideò strictè tenendæ in suis terminis, & formis; *ad l. quod contra, ff de reg. iur. Rot. in nou. decis. vn. num. 2. de fer.*

390 Idcircò per edictum citari non potest absens, qui stat in loco propinquo, vbi de facili posset personaliter citari: *Mars. in singul. 260 incip. citatus semel:* Et magis generaliter, quod absens, qui scitur vbi est, non possit citari per edictũ; sed eo in loco personaliter citari debeat, vbi degit: ait *Caput. dec. 119. nu. 5. par. 3.* & de eo, qui aberat causa litis, quod non potuerit citari per edictum: dixit *Seraphin. decis. 146. num. 6.*

Quia igitur iste modus citãdi est à iure exorbitans, & rigorosus, dum ligat absentem, & ignorantem: *d. Clem. 1. de Iud. Vant. de nullit. ex defect. cit. num. 125.* & non inducit, nisi verisimilem notitiã: *Mil. in suo repert. in verb. citatio per edictum*; ideò non seruatur, nisi in subsidium, quando per citationem personalem non potest induci vera notitia, nec per citationẽ domi potest induci præsumpta; vt latè diximus *sup. cap. 7. vers. de cit. per edictum, num. 272. cum seqq.*

Quin-

391 Quando citatio fit personaliter, certum est citatum habuisse indubitatam scientiã citationis: *l. scire oportet, §. qui autem, ff. de excusat. tut. & curat. Vant. de nullit. ex defect. cit. num. 81. Rot. diuers. decis. 758. num. 3. par. 3. lib. 3.*

392 Quando quis citatur ad domũ solitæ habitationis præsumptio est, quod per familiares certificetur: *gloss. in l. ex consensu, §. vlt.* in verbo *eum qui cognouit, ff. de appellat.* & in *l. 1.* in verbo *notitiam, ff. quæ sententiæ sine appellatione rescindantur, & gloss. in cap. causam,* in verbo *ad domum, de dol. & cont.*

393 Quando verò citatur quis per edictum in locis publicis, verisimile est, quod certificetur per amicos, aliosue loca publica frequentantes, quorũ oculis edictũ citatoriũ subijcitur; *auth. qui semel, C. quom. & quãdo Iud. cap. rem nõ nouã, de dol. & cont. in extrauag. comm.* & quia huiusmodi citatio per edictum inducit quodam notorium, ideò lex reputat eam solemnem: *Bald. in l. consentaneum, C. quom. & quando Iud. num. 2.*

394 Vt autem hæc verisimilis notitia inducatur, debet Iudex decernere, vt affigatur edictũ in loco publico: si enim dumtaxat legeretur edictum in loco publico pauci audirent, cùm vox preconis paucis innotescat; *dict. auth. qui semel, C. quom. & quando Iud.* & pauci posset benè percipere quid publicum esset, cùm vox legentis statim euanescat: *Bald. in dict. l. consentaneum, num. 2. C. quomodo, & quando Iud.* sed quando affigitur omnes ibi conuersantes videre, & legere possunt, & verisimiliter ipsi citato referre: *d. cap. rem non nouam, de dol. & cont. in extrauag. com.*

395 Rursus quãdo affigitur edictum præsumptio est, quod tanto tempore steterit affixũ, quod ad notitiã citati potuerit peruenire, nec præsumitur sublatum; quia huiusmodi ablatio tanquam corruptio albi Prætoris est delictum: *l. si quis id quod, ff. de iurisd. omn. Iud.* & delictum nõ præsumitur: *l. merito, ff. pro socio, l. penult. C. de his qui sibi adscrib.* & quia nec etiam Princeps potest tollere citationem, & defensionem, quę est de iure naturę, vt aliàs diximus, colligitur graue esse delictum istorum, qui huiusmodi citationes affixas tollũt, dum

dum impediunt illas ad citati notitam deuenire, & eis auferunt defensionem.

396 Quo circa si probaretur edictum statim fuisse sublatum, citatio non censeretur legitimè, & competenter facta: *Felin. in cap. ex parte*; *Decani num. 7. vers. reuocatio procuratoris, de rescr. Rebuff. de citat. in præfat. num.* 104.

397 Vlterius debet Iudex decernere citationem per edictũ cum dilatione competenti, aliàs haberetur pro non facta, si fieret cum termino ita breui, vt ad citati notitiam non posset peruenire: *Clem. 1. & ibi gloss. & Imol. num. 41. de Iud. Caputaq. decis. 263. nu. 7. par. 2. Cassad. decis. 6. num. 3. de dol. & contum. Put. decis. 150. lib. 3.*

398 Et in edicto ita specificari, & exprimi debet nomen citati, vt facilè illud audientes, legentesue possint intelligere, quis sit is qui citatur, quod non facilè possent percipere, si citarentur nomine appellatiuo, vtputà filij, & hęredes N. nisi specialiter nominarentur: *Put. d. decis. 1. de dol. & cont. Virgin. Boccac. de litteris remissorial. cap. 10. n. 27. & latiùs dictum est supra cap. 9 vers. de exprimen. nom. citati, num. 223. & seqq.*

399 Locus publicus edictorũ apud Romanos erat album Pretoris, qui erat certus locus in muro palatij dealbatus, in quo Pretor faciebat scribi tale edictum: compareat N. die tali ad respondendum in quęstione tali: prout narrat *Specul. in tit. de cit. §. sequitur, nu. 13. vers. & nota secundum Vbertum circa fin.* & refert *gloss. in d. Clem. 1. de Iud.* in verbo *albo*; sed quod edictum, vel scriberetur in albo, vel proponeretur in charta, vel in alia materia: *tex. est in l. si quis id quod, ff. de iurisd. omn. Iud. in princ.*

Fuit etiam locus publicus apud Romanos templum Rostrorum vbi leges tabulis eburneis proscriptas composuerunt, vt dicitur in *l. 2. §. ex actis deindè regibus, ff. de orig. iur.* & inferiùs *in §. eodem tempore*; legitur quod magistratus, vt scirent Ciues de quaque re quisque dicturus esset seque præmunirent, edicta proponebant.

Extra Curiam locus publicus edictorum, quæ emanant à Iudicibus sæcularibus, sunt fores, seù valuæ eorum palatij, & alia etiam loca secũdum sta-

statuta, vel consuetudines locorum: eorum verò, quæ emanant à Iudicibus ecclesiasticis sunt valuæ, foresue Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, vel aliàs maioris eius loci, vbi debent publicari: *Bal.in l.consentaneum, num.2. C.quom.& quando Iud.* adde *Rebuff. de cit. in præfat. num.100.*

In Curia Romana plura sunt publica edictorum loca, ea enim leguntur in officio cõtradictarum, affiguntur in valuis Basilicæ Sancti Petri, & in foribus Tribunalis Auditorũ Rotæ tempore quo ius redditur, de tempore autem vacantiarum edicta affiguntur in valuis Cancellariæ, & in Banco Cursorum in acie campi Floræ: *Clem.1.* & ibi *gloss.de Iud.Vestr. in praxi lib.1. cap.5. num.3.Vant.de nullit.ex defect. cit.num.131. Boccat. de litteris remissorial. cap.10. num.3.*

400 Cùm igitur non possint citari per edictum, nisi in subsidium illi, qui nec personaliter, neque domi reperiri possunt, sequitur vt citatio per edictum sit decernenda, vel contra vagabundos, vel contra incertos interesse habentes, vel contra latitantes in loco iudicij, vel contra contumaces, vel contra degentes in loco, ad quem non patet tutus accessus.

401 Contra vagabundum certam domum, locumue permanentem nõ habentem decernitur citatio per edictum, affigendum, si est laicus, in palatio Curiæ, vel in platea publica; etsi est Clericus in foribus Ecclesiæ, in ea scilicet Ciuitate, vel eo in loco vbi solitus est conuersari; ita quod verisimiliter possit ad eius notitiã deduci, quasi per viam notorij: *Bar. in const. ad reprimendum*, in verbo *per edictum*, *Bal. in l.consentaneum, n.2.C.quom. & quando Iud. Maran.in spec. vers. rectè concipiatur citatio, num.83.* & latiùs dictum est *supra cap.7. vers.de citatione vagabundi, num.346.* & supra *hoc eodem capite sub vers. de decreto citationis ad domum, n.327.*

402 Contra incertos, qui possunt habere interesse, & cõtradicere, decernitur citatio per edictum affigendum in solitis locis publicis: *cap.fin.de elect. in 6.l.si eo tempore, C.de remiss. pignor.l.sed etsi pupillus, §.præscribere, ff.de instit.act. auth. si omnes, C.si minor ab hæred. se abstinuerit; Abb.in cap. cùm in sua, qui matr. accus. Felin.in*

cap. quoniam frequenter, §. porrò, col. 2. vers. considera in primis, vt lit. non contest. Maran. d. vers. rectè concipiatur citatio, num. 89. Gail. dicta obseruat. 57. num. 6. lib. 1. sed alia de hac citatione contra interesse putãtes *vid. supra cap. 7. vers. de citat. per proclama contra interesse putantes, num. 349.* & alia loco suo dicemus *cap. 14. qui sunt citandi, vel non.*

Quæ tamen citatio non valet, quoad eos qui sunt certi, vel de facili prosunt certificari: *Felin. in cap. cognoscentes, num. 21. de constit. Maran. vbi sup. Menoch. de recup. poss. remed. 8. num. 102.* & dictum est *supra cap. 7. num. 350.* & qui censeantur incerti dictum est *ibidem num. 351.* adde dicta etiam in *cap. 9. vers. de exprim. nomine eius qui citandus est, num. 222. & vers. seq. expressio citãdorum per quem fieri debeat, num. 253. cum quattuor sequen.* citandi sunt etiam cõsanguinei per edictum, cùm non agitur de earum præiudicio aliàs non: *Put. decis. 6. nu. 2. lib. 2.*

403 Contra latitantem in loco iudicij decernitur citatio per edictum: *Mantic. decis. 232. num. 6.* quod decernitur affigendum in ostio domus eius habitationis, si in ea stat clausus, nec patitur se videri neque citetur: *Alex. in l. plerique, num. 9. ff. de in ius voc. Maran. d. vers. rectè concipiatur citatio, num. 86.*

Sed si nescitur an in domo vel alibi lateat, seù impediat se citari decernitur citatio per edictum affigendum in ianuis propriæ domus, si ibi illam habet, nec non in alio loco publico, & consueto pro affixione edictorum: *cap. Romana, §. contrahentes, de for. compet. in 6. Clem. 1. de Iud. Maran. d. vers. rectè concipiatur citatio, num. 84. Gail. d. obseruat. 57. nu. 1. lib. 1.* inconueniens enim esset, vt latitatio impedimentumue vnius alteri noceret: *l. vt perfectiùs, C. de annal. except.*

In Curia autem contra eũ, qui latitat in Vrbe, committitur citatio per diligentias, de qua nonnulla diximus supra *cap. 7. vers. de citatione per diligentias, num. 341.*

404 Cõtra cõtumacẽ etiã decernitur citatio per edictũ, quod extra Curiã affigitur ad valuas palatij, vel publicatur, vel per prçconẽ iuxta statuta, & consuetudines locorum.

In

405 In Curia autem contra citatum, & effectum contumacem decernitur processus per contradictas, vbi citatio, seù edictum legitur, & publicatur per Notarium eiusdem officij; & hoc modo cōtumax ibi citatur ad omnes actus necessarios, quasi per pręconem, cuius vice fungitur Notarius, qui legit in eadem publica audientia; in qua etiam publicantur omnia, quæ publicatione indigēt: *Vestr. in praxi lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 1. *vsque ad* 5. ibi enim tanquam in audientia publica vtiq; pręsumitur quod quilibet habeat procuratorē, per quem possit citatio ad citati notitiam peruenire: *Rot. in nouis, decis.* 1. *num.* 2. *de ser. & decis.* 2. *de libelli oblat.* de hac citatione per contradictas. plura dicta sunt supra *cap.* 7. *vers. de citatione per contradictas, nu.* 310. sed hic strictè dicemus.

CITATIO, SEV PROcessus per contradictas quando possit decerni.

406 Contra præsentem, cuius præsentiam citans non ignorat, processus per contradictas decerni non potest, qui enim citari potest personaliter, vel domi, non est citandus per edictum: *Bellam. decis.* 155. *Rot. in recentiss. decis.* 365. *num.* 5. *par.* 1.

407 Contra illum qui comparuit, & posteà recessit, non potest decerni processus per contradictas, nisi probata eius absentia, aliàs citationes fierent nulliter: absentia enim cùm sit quid facti, debet probari: *l. in libello, §. facta, ff. de capt. & post lim. reuers. Vestr. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. *Rot. in recentior. decis.* 486. *numer.* 3. *par.* 2.

408 Probata absentia, & decreto validè processu per contradictas, si posteà absens reuertatur ante finitum processum, nihilominus actor potest prosequi dictum processum, & per contradictas citare ad sententiam, quæ non poterit dici nulla, nisi probaretur, quod actor habuisset sciētiam de reditu, & accessu eius, quē citauit per contradictas: *Seraphin. dec.* 1352. *num.* 4. satis est enim, quod de tempore decreti processus is verè esset absens, & absentia legitimè fuisset probata: *Crescent. dec.* 1. *de sententia, & re iud.* docto enim

de absentia rectè proceditur per contradictas: & idem dicendum est de procuratore constituto, qui dùm præsens est, debet ipse citari, non autem dominus per contradictas. *Caualer. decis.35. num.3.* Sed docto legitimè de eius absentia decernitur processus per contradictas; non enim soli assertioni partis creditur: *Rot. in recent. par. 2. d. dec.486. num.3.*

Mortuo verò procuratore, antiquitus mors intimabatur principali in partibus, vt posset alium constituere, sed hoc amplius non seruatur, & absq; alia intimatione mortis, docto de obitu procuratoris, decernitur processus per contradictas, vt per *Vestr.* in praxi *lib. 1. cap.5. num.4. Rot. in recentior. par. 2. decis. 191. num.6.* & post *tract. Posti de manutenen. decis. 236. num.7.* & superius etiam dictum est.

Quando autem siuè principalis, siuè procurator, qui recessit, reuertitur, curare debet, vt eius præsentia, & redditus deueniat ad notitiam partis, vel Notarij causæ, comparendo, aliàs sibi imputet, quia adhuc benè citaretur per contradictas.

Sic qui fuit citatus personaliter, si non comparet, fit cõtumax, & contra eum decernitur processus per contradictas; & si posteà mittat procuratorem ante sententiam, nihilominus proceditur per contradictas, & sententia posteà contra eum lata non dicitur nulla ex defectu citationis, quia imputandum est ei, qui omisit producere in tempore mandatum, quod habebat: *Rot. in nou. dec. 6. de dol. & cont. Caput. dec. 102. & 135. par.3.*

409 Sic denique forensis non habens in loco iudicij domicilium, quando citatur ad illud eligendum, seù constituẽdum procuratorem infra certum terminum, aliàs videndũ mandari procedi per contradictas; si in termino illud non eligit, seù procuratorem non cõstituit decernitur processus per contradictas, & non est necesse vlterius acta perquirere. & quando pars aduersa extra terminum, vel domicilium eligit, vel procuratorem constituit etiam in actis, debet intimare, & ad notitiam partis deducere, aliàs processus per contradictas valet: *Rot. in ant. decis.7. de procur. & in nouis, dicta decis.6. de dolo, & con-*

contum. Rot. diuerſ. deciſ. 325. *num.* 2. *par.* 3. *lib.* 3. & dictum eſt etiam ſuperius.

410 Contra abſentem, qui nō fuit perſonaliter citatus non poteſt decerni proceſſus per contradictas; quia tunc non conſtat de vera contumacia: *Seraph. deciſ.* 972. *n.* 4. *& deciſ.* 1100. *n.* 5. & ſine vera cōtumacia non poteſt procedi per cōtradictas: *Rot. in ant. dec.* 12. *de dol. & cōt. Oldrad. conſ.* 130. *n.* 9 *Caualer. deciſ.* 410. *num.* 2.

411 Nec ſufficit, quod abſens fuerit citatus perſonaliter, niſi legitimè citatus fuerit, ſicut enim contumacia nō inducitur ſine citatione: *Bal. in l. fin. n.* 5. *ff. de reſtit. in integr. Corn. conſ.* 17. *n.* 3. *lib.* 1. ita nec inducitur cum citatione illegitima: *gloſſ. in cap. de cauſis*, §. 1. in verbo *venire, de off. deleg. Afflict. deciſ.* 366. *num.* 16. *Rot. in recent. deciſ.* 685. *num.* 6. *par.* 2.

412 Ad hoc autem, vt contra abſentem perſonaliter, & legitimè citatum poſſit proceſsus per contradictas decerni, plura requirſitur, nempè vt ſit abſens de lōginquo, quia ſi abeſſet in loco propinquo, vbi poſſet facilè citari perſonaliter, non poſſet citari per cōtradictas; & ſi citaretur ſententia exinde lata eſſet nulla: *Io. And. in addit. ad Spec. tit. de cit.* §. *viſo in addit. incūbit, ſuper illo verbo; Caſtr. in l. ad peremptorium, num.* 6. *ff. de Iud. Felin. in cap. quoniā frequenter*, §. *porrò vt lit. non conteſt. Marſil. in ſingulari* 260. *incip. citatus ſemel perſonaliter*.

Item vt fuerit citatus perſonaliter, & peremptoriè tribus edictis, vel vno pro omnibus: plures .n. citationes idcircò fiunt, vt conuincatur cōtumacia citati non cōparentis: *l. cōtumacia*, §. *cōtumax, ff. de re iud.* ibi *contumax eſt, qui tribus edictis propoſitis, vel vno pro tribus, quod vulgo peremptoriū appellatur, litteris euocatus præſentiā ſui facere contemnit*.

Itē vt valeat proceſſus per cōtradictas neceſſe eſt, vt perſonaliter fuerit citatus ad totā cauſam, cum comminatione, quod procedetur ad ſētentiā, quod ſi non citaretur ad ſententiam incluſiuè, nō poſſet citari ad ſententiam per contradictas, quia ad illum actum, ad quem non fuit perſonaliter citatus, non poteſt fieri contumax: *gloſſ. in cap.* 2. in verbo *& ſi nec veneritis, de teſtib. cog. Rot. diuerſ. dec.* 199. *n.* 6. *par.* 5. *Veſtr. in prax. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 4 *& lib.* 4

cap.2.n.6.& vid.*sup. c.7. vers. de cita generali ad tot. caus. nu. 113.& seq.& cap.9.num.409.*

413 Sed quãdo comparet vel per se, vel per procuratorem in termino, tunc debet citari sigillatim, ad quoscunque actus: *Bar.in extrauag. ad reprim.* in verbo *super dicto crimine, Vant.de nullit.ex defect. citat. num.*113.

414 Et quando comparet post terminum lapsum,& post cœptum processum per contradictas, & ante sententiam debet audiri refectis expensis: *l. sancimus. C.de Iud.*ibi *si quãdo absens persona citata postea apparuerit, non aliter ei iudicialem aditum reuelare, sed omnem claudere ei iudiciorum copiam, nisi prius omnia damna restituat ex huiusmodi vitio aduersarijs eius inflicta*; & ibi notat *Bal. & alij*.

415 Sed quid si citatus per contradictas compareat post sententiam latam, distingue, aut fuit verus contumax; quia fuit citatus personaliter, & tunc si comparet infra decendium ad appellandum auditur appellans, post verò non; *l. ex consensu*; *& ibi gloss. & Doct. ff.de appellat.*

Aut fuit fictus contumax quia non fuit citatus personaliter, sed vel ad domum, vel per edictum, & distingue aut fuit citatus vel ad domum, vel per edictum, quia per vim impediuit se personaliter citari; & tunc tanquam verus contumax non auditur appellans post decendium: *Felin. in cap. quoniã frequenter, §. porrò, num.* 19. *vt lit. non contest.*

Aut nõ impediuit per vim personaliter citari, quia solùm latitauit, vel stetit in loco non tuti accessus, & tali casu, decreto contra eum processu per contradictas, si comparet post sententiam auditur appellans à die habitæ notitiæ infra decendium: *Felin. ibidem, Rot. decis.*2. *&* 16. *de dol. & cont. in nou.*& ita intelligenda vidẽtur, quæ dicit *Caput. dec.*118. *lib.*1.

416 Verum quia prędicta procedunt in reo citato, & contumace, quid dicemus quãdo actor citans non comparet: dico quod actor postquam citari fecit reum, siuè compareat, siuè non, vtroque modo fit contumax, & contra eum potest decerni processus per cõtradictas ad instantiam rei citati: nàm iniustè recusat agere, qui paratus aduersarium suum

suum ad iudiciū vocauit;ideò que actor cœptum negocium vsque ad finem litis cogitur exercere; *§.omnem verò, auth. de litigiosis*; *& in auth. qui semel, C. quom. & quando Iud.*

417 Si actor comparuit, & reproducta citationis executione recessit procuratore non dimisso; tunc reus citatus; si vult prosequi causam, docto de absentia actoris, obtinebit processum per contradictas. Sed si non comparuit & citatio executa non fuit reproducta; tunc potest reus comparens instare cōtra actorem, vt decernatur processus per contradictas, pręstito per eum iuramento, quod citatio contra eum fuit executa,& quod ideò ipse comparuit; & consueuit palatium, licet sibi de executione non constet, credere assertioni iuratæ eiusdem Rei, propter præsumptionem,quæ ex eius comparitione oritur; vt latè per *Vestr. lib.4. cap.4. num.2.*

418 Sed contra reum non potest Iudex decernere citationem per contradictas, quando de executione sibi non fuerit facta relatio, nisi vel sit periculum in mora, vel nisi ex aliqua violenta præsumptione potuisset credere illum fuisse citatum: *Vestr. d.cap.4. nu.5. lib.4.*

Et quia processus per contradictas non decernitur, nisi contra cōtumacem, vt supra; ideò aduertendum est, quod si quis citatus fuerit vigore clausulæ, cum facultate citandi N. omnesque alios sua interesse putantes, vel si nominatus fuisset in citatione, non tamen simpliciter, sed cum conditione quatenus sua interesse putauerit, & non compareret, non posset reputari contumax, neque citari per contradictas; quia illa est citatio monitoria, non autem arctatoria: *Innoc. Host. & alij in cap. dilecti, de except.* & processus per contradictas, tanquam fundatus in contumacia corrueret, cùm nulla contumacia in sic citatis existat: *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constit. cap. inter quattuor, de maior. & obed. Vestr. d. cap.4. num.8. lib.4.*

Sed benè poterit citatus quatenus sua interesse putauerit comparere,& contra actorem, qui eum citari fecit, processum per contradictas obtinere: ex iam dictis.

419 Hic quæro an processus per

per contradictas ita sit necessarius, vt si vna citatio, vel fuerit omissa, vel nulliter executa, reddat siuè decretum, siuè sententiã nullã; Hãc quęstionem superiùs tactam, quia nonnulla occurrunt, hic breuiter resumo.

Aduerte in primis, quod *sup. in cap. 7. nu. 328.* vbi posui fundamenta partis negatiuæ, nempè quod contumax vlterius non est citandus, & quod citationes per cõtradictas fiũt ex vrbanitate, scriptum fuit per errorem pro affirmatiua, & sub *nu. 330.* vbi posui fundamentum partis affirmatiuæ, nempè quod defectus citationis per contradictas annullat processũ, quia est de stylo quẽ Iudex vult obseruare, quando eundem processum decernit, & per errorem fuit scriptum pro negatiua, qui tamen error cùm sit euidens lectoris mentem confundere non potest.

420 Resumens itaque eandẽ quæstionem, dico quod de iure contumax non est vlterius citandus; quia ad sui pręiudicium habetur pro præsente: *auth. qua in prouincia, C. vbi de crimin. agi oportet,* ibi *quia contumacia eius pro præsentia est*; & vt dicitur *in l. properandum, §. fin autem, C. de Iudic. Litigatoris absentia, Dei præsentia repletur*; & quoniam *in l. de vno quoque, ff. de re iudic.* dicitur de vno quoque negocio partibus præsentibus iudicari oportere: *gloss.* declarat *præsentibus verè, vel interpretatiuè; quia contumaces.* Hinc cõtumax absque alia citatione pluribus modis coercetur: *l. contumacia, vbi gloss. & Doct. ff. de re iud. Maran. de ord. Iud. vers. aduertatur circa contumacias, per tot.* Quod non sit necessaria alia citatio ad effectũ vt cõdemnetur contumax in expensis dicunt Doctores hac ratione; quia hoc notorium est Iudici, & parti; vt per *Bal. in l. sancimus, num. 16. vers. 10. quæritur, C. de Iud.*

421 Et sicut is, qui citatus dixit nolle venire, fit contumax, & non est vlterius citãdus: *cap. cũ qui, vbi Franc. n. 5. vers. 21. limit. de dol. & cont. in 6. Gabr. de citat. concl. 1. n. 429. Rot. in recent. dec. 567. nu. 6. par. 1.* ita & multò minus citandus est vlterius, qui personaliter, & legitimè citatus, nec per se, cõparuit, neq; per aliũ, vndè clarè constat, quod noluit venire, & in claris nõ est opus coniecturis: *l. continuus, §. cùm ita in fine,*

fine, ff. de verborum obligat.

Sed ex eo, quod aliquis citatus dixisset nolle venire, nõ videretur talis esse cõtumax, vt vlterius non esset citandus; quia posset pœnitere: *Rot.post conf.Farinac. decis.307.num.4. par.2.* sic etiam si quis respondisset nolle venire; quia Iudex eum citans est solus Iudex eorum, quæ sibi cõmittuntur in litteris Apostolicis: quia non indistinctè declinasset eius iurisdictionem: ideò vlterius esset citãdus; quia perindè esset ac si recusasset iurisdictionem; nisi si & in quantũ: *Rot.diuers. decis.415. nu.1.par.1.*

422 Ita etiã si quis citatus coram aliquo Iudice responderet nolle contradicere, non ideò censeretur approbare actum per Iudicem faciendum; ita vt illum amplius reprobare non posset; quia prædicta respõsio posset intelligi, quod nolebat contradicere, scilicet corã illo Iudice, non autem corã alio: *Rot.in recentiss.decis.365.nu.6. par.1.* adducens hanc rationẽ; quia hęc est species renunciationis, quę strictè est interpretanda, vt præiudicet minus quàm possibile sit: *ex allegatis per eam.*

423 Et quod cõtumax notoriè non sit vlterius citandus; procedit in eo, ad quod fuit citatus, non autẽ in eo, super quo contumaciam non contraxit: *cap.ad nostram, de iur. iur.not. Bal. in l.vt perfectius, C. de annali except.num.6.vers. primo, quod etiam.*

424 Item procedit quando is, qui citauit accusauit cõtumaciam citati non comparentis; nàm ille, qui citatus non comparet non dicitur contumax; nisi aduersarius accuset eius contumaciam: *l. properandum, §.& si quidem*, ibi *actoris absẽtiam incusante, C. de Iud.* vbi *not. Bal.num.4.* adde *Rot. in recentioribus decis.490.num.2. par.1.*

425 Et propterea etiam contumax debet citari, si ipse ita velit, & instet citari: *Put.decis. 281.nu.4. lib.2.* ad hanc materiam adde dicta per *Soc. de cit. art.27. nu.28.& seqq.& Gabr. de cit. conclus.1. nu.432.*

426 Iudex potest contra cõtumacẽ procedere eo aliter nõ citato: *cap.2.de dol.& cont.in 6 cum ibi not. per Doct.*

Sed idem Iudex ex vrbanitate potest vel eum expectare, etiam actore inuito: *cap. consuluit*, & ibi *Felin. num.1.de off. deleg.*

Vel

427 Vel si quid contra eum decreuit potest mandare, vt ad eius notitiam deducatur, & intimetur, vt in termino intimationis possit comparere, & se defendere: *Rot. in recent. decis.725. num.9. part.2.* & ideò quādo Iudex facit decretum cum intimatione, si ea non fieret decretum remaneret nullum: *Put.dec.174.lib.1. Greg.decis.31.num.8.* atque si facta non reproduceretur, Iudex ad executionem decreti nulliter procederet: vt *not.Bar. Bal. & alij in l.multũ interest, in fin.ff.de cond. & demonstr.Vant.de nullit.ex defect. citationis, num.146. Seraphin. decis.1100. num.9. Rot. in recent. dicta decis. 725. num.8. par.2.*

428 Vel denique Iudex ex vrbanitate potest mandare, vt contumax, qui fortè aliquo casu impeditus non comparuit, debeat iterum citari: potest enim Iudex etiam contra contumacem alteram citationem adhibere: *Cardin. in Clem.1.de dol. & cont.Crescent. decis.11.de dol. & cont.*

429 Et tali casu, quando Iudex declarauit nolle vti potestate procedendi sine citatione cōtra contumacem, si iterum contumax non citaretur, Iudex nulliter procederet: quia actus quando non valet, vt agitur, nec sustinetur eo modo quo potest, si agens nolit: *Abb.in cap. cùm super, in fin.de off.deleg. Felin. in cap. cùm ordine, col.2. in fin. de rescr. Ias. in l.vinum.ff. si cert. pet.Crescent. d.dec.10. de dol. & cont.*

430 Et quod prædictam vrbanitatem possit Iudex exercere contra cōtumacem puto verũ in casu, quo contumax possit de facili citari, vel in personã, vel ad domum; & considero tunc vtile esse tàm parti, quàm Iudici, vt iterum citetur; quia actor procedens contra reum contumacem non potest obtinere, nisi missionem in possessionem ex primo, & deinde ex secundo decreto: *cap. fin.§.in alijs, vt lite non contest. gloss.in cap.consultationibus, & ibi Doct.de off deleg. l. si finita, §. Iulianus, ff. de damn. infect. Rebuff.de cōtum.art.9. gloss.vn. num.4. Maran. de ord. Iudic. par.6. vers. & aduertatur circa contumacias, num.12. Speculat. de 1. & 2. decreto.*

Sed quādo pars comparet, potest faciliùs obtinere, vt condemnetur reus in eo, quod sibi debet.

Iudex

Iudex etiam faciliùs potest in contradictorio partium, quod iustum est decernere; quia causarum merita partiū assertione panduntur: *l. fin. C. si per vim, vel al. modo, cap. tàm litteris, de integr. rest.*

Sed quando contumax lõge abest non esset vrbanitas Iudicis si vellet iterum eūdem personaliter, vel ad domum citari in præiudicium actoris; & ait *Imper. in l. nec auus, C. de emancip. lib. Nec in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere moris est nostri.*

431 Et ideò opinor ego, quod processus, & citationes per contradictas in Romana Curia fiant quidem ex vrbanitate, sed non ad fauorem contumacis, vt multi putant, sed solum ad fauorem citantis.

In Curia enim non videtur esse in vsu mittere actorem in possessionem siuè ex primo, siuè ex secundo decreto ratione solius contumacię; sed dūtaxat Reum cõdemnare in eo, quod debet.

Quando autem Iudex vult condemnare contumacem ad id quod actor petit, illud facere non potest, nisi actor probauerit; liquere enim debet Prętori antequam condemnet: *l. hac autem, §. 1. ff. quibus ex causis in possess. eatur*; & Iudex, cui nihil constat, nihil decernere potest: *l. 1. vbi gloss. C. de bon. poss. secundū tabulas*; alioquin esset in potestate actoris extorquere ab absente indebitam summam, & malitijs hominum obuiant iura: *l. in fundo, ff. de rei vendic.*

Et Iudex censeretur in dolo, si aliquem condemnaret nullis præcedentibus probationibus: *Bal. in l. vn. num. 23. C. de his quæ pœn. nom. Alex. cõs. 131. incip. in causa, num. 11.* & esset eradicare naturalem iustitiam: *Alex. cons. 2. numer. 3. vers. & est ratio, lib. 2. Vant. de nullit. ex defect. process. nu. 37. & 38.*

Ad effectum igitur, vt actor possit probare suum ius in cõtumacia rei longe absentis, puto introductum fuisse modum procedendi per contradictas, vt ita ex eo processu possit Iudex causæ cognitionem adhibere, & reum condemnare: & teneo quod huiusmodi citationes per contradictas non sint ita necessariæ, vt illarum defectus possit decreta, & sententias annullare, quamuis Rota hodie aliud sētiat.

Et

432 Et moueor primo, quia probationes non sunt de substantia iudicij; sed de iustitia. Quibus omissis sententia non redditur nulla, sed iniusta, & cõtra ius litigatoris: *Bellam. decis.* 73. *incip. sententia, Alex. cons.* 105. *incip. pondera*, *lib.* 5. *cum alijs per Vant. de nullit. ex defect. process. num.* 38. cùm igitur processus per contradictas fiat ad fauorem actoris, vt possit cum aliquo ordine facere suas probationes: Sequitur, vt quemadmodum defectus probationum non inducit nullitatem, ita nec defectus processus per contradictas.

433 Secũdo quamuis processus per contradictas videretur inductus ad magis conuincẽdam rei contumaciam.

Et ita videatur importare dilationem ad fauorem rei; tamen quia dilationes siuè petitæ sint, siuè non: attamen non sunt de substantia iudicij; sed de iustitia: & possunt per Iudicem reuocari: *Vant. de nullitate ex defect. processus*, *num.* 42.

434 Imò ex stylo Rotæ ante publicationẽ sententię omnes dilationes censentur reuocatæ ad effectum validitatis sententiæ: *Greg. decis.* 327. *nu.* 12. *Rot. diuersor. part.* 5. *decis.* 192. *num.* 6. Ergò dilationes huiusmodi potiùs censerentur reuocatæ, quàm quod nullitatẽ sententiæ possent inducere.

435 Tertio quia citationis solemnitas est necessaria, vt actus, qui in præiudicium absentis fieri petitur, deueniat ad eius notitiam, vt contradicere, & se defendere possit: *l. diffamari, C. de ingen. manumiss.* ibi, *vt contradictionem faceret, si defensionibus suis confideret*; *& ibidem not. Bald. Vant. de nullit. ex defect. cit. num.* 81.

436 Sed citationes, quæ fiunt per cõtradictas nullatenus possunt deuenire ad notitiam citati, ergò earum solemnitas nõ est ita necessaria, vt ea omissa corruere debeat decretum, seù sententia.

Probatur minor; quia modus citandi per contradictas est subsidiarius, & in tantum habet locum, in quantum citandus est longè absens, & nõ potest commodè citari in singulis actibus, & non seruatur in eo, qui potest citari commodè, vel personaliter, vel domi, vt quando degit in loco non multum remoto: *Io. And. in addit. ad Specul. de cit. §. viso,*

vers.

verſ. item licet num.4.in addit. incip.incumbit ſuper illo verbo, Caſtr. in l. ad peremptorium, *nu.6. de Iud. Felin.in cap.quoniam frequenter, §. porrò, n.20. vt lit.non conteſt.* & dictum eſt etiam ſuperius: ergò citationes per contradictas nõ poſſunt venire ad notitiam citati; quia vt plurimum fiunt ad p. d. ſeù ad alium breuem terminum, in quo impoſſibile eſt; vt deferantur ad locum, ſeù notitiam citati.

437 Quarto quia, eo ipſo quod quis legitimè citatus fuit ad totam cauſam, cenſetur plenè ſatisfactum defenſioni naturali, & tollitur nullitas, quæ procedere poteſt ex defectu citationis: *Seraphin.deciſ. 455.num.8. Minſign.obſeruat. 71.ſub num.1.cent.3.* & ſi non comparet, fit contumax in omnibus actibus, & vlteriùs nõ eſt citãdus: *Put.dec.282.n.1 lib.2.* & habetur pro præſente ad ſui præiudiciũ: *auth. ſi qua in prouincia, C.vbi de crim. agi oportet*; & qui præſens eſt ſiuè verè, ſiuè fictè non eſt citandus: *gloſ.1.in l.de vno quoque, ff. de re Iud.*

438 Quinto licet verum ſit, quod ſtylus poteſt inducere modum, & formam citandi, quæ ſi non obſeruetur annullat actum, cùm ſtylus pro lege habeatur: *cap.quàm grauis, de crim.falſi, cap. ex litteris, de conſuetudine; Caput. deciſ 331. par.3.* & dictum eſt *ſupra cap.8. num.127.* tamen hoc intelligo procedere, quando ſtylus inducit formam citationis, quæ ſit pro futura, quæ fiat ad effectum defenſionis, vt citatus poſſit comparere, contradicere, & ſuas defenſiones parare, ad quem effectum ius naturale gentium, & ius ciuile ſtatuerunt neceſſarium eſſe citationem, ex his quæ latè deducta ſunt *ſupra cap.8. num.1. cum pluribus ſeqq.*

Aliàs enim ſicut citatio, quę non eſt profutura, non eſt neceſſaria de iure: *Put.deciſ.348 num.3. lib.1.* & quę nõ poteſt parere effectum comparitionis, & contradictionis, prout eſt in contumace, qui dum nõ comparet, oſtendit nolle contradicere, qua ratione iura nolunt eum de neceſſitate citari: *l.de vno quoque,* & ibi *gloſ. ff. de re iud.* ita etiam videtur, quod de ſtylo non poſſit fieri neceſſaria citatio per contradictas cõtra contumaces; cùm non maior ſit potentia ſtyli, quàm legis.

Sexto

439 Sexto licet verum sit, quod Iudex etiam contra cõtumacem, possit citationem nouam adhibere, & eam facere necessariam; vt per *Crescent. decis.* 11. *de dol. & contumacia*; tamen hoc intelligo verum, vt iam dixi, quando cõtumax de facili potest citari, & ita citatio profutura est, & potest parere effectum comparitionis, & defensionis; secùs autem quando contumax abest de longinquo, & citatio quæ fit per contradictas nõ potest in termino ad eius notitiam peruenire, vt iam dictum est.

440 Septimo, & vltimo quia, quod stylus Curiæ introduxerit modum citandi per contradictas ita necessarium, vt earum citationũ defectus induceret nullitatem decreti, vel sententiæ, antiqui patres non tradiderunt. Immò testati sunt introductum fuisse ex sola vrbanitate, & actus non vitiare, vt infra.

Nàm *Rota in ant. decis.* 4. *de dol. & contum.* ita loquitur, tres vel quattuor citationes, quæ fiunt in Curia, quæ fiunt per audientiã, non sunt de substãtia causæ; sed solùm de benè esse.

Et *Rota in nou. decis.* 8. *de testib.* ait citationes, quæ fiũt posteà in Curia per audientiã, potius sunt, vel fiunt de quadam vrbanitate, quàm de necessitate, seù rigore iuris.

Et eadem *Rota in nouis decis.* 10. *de re iud.* docet, quod pars absens citatur ad totam causam, & singulos actus vsque ad audiendum sentẽtiam diffinitiuam inclusiue, & sic nõ est necessarium, licet sit honestum, & de more citare absentem per audientiam ad singulos actus de nouo.

Et *Papazzon. in addit. ad decis.* 8. *de dolo, & contumacia in nou.* idem attestatur dicens, si citatus ad Curiam die assignata non compareat, fit citatio in audientia publica, vel præconizatio, vel in albo Prętoris conscriptio; & tales citationes sunt potius declarationes primarum citationum, quàm propriæ sint citationes.

Put. decis. 381. *num.* 4. *lib.* 2. inquit; licet in Rota sit de more non comparente reo citare eum per contradictas, illud est de vrbanitate, & non de necessitate.

Rota diuersor. part. 3. *lib.* 3. *decisione* 332. *num.* 3. attestatur, quod citationes per contradictas dicuntur fieri ex vrba-

banitate non ex necessitate.

Et *Rota diuers. par.4.dec.65. num.4.* dicit, quod licet termini substantiales sint omninò seruandi, tamen quando proceditur per contradictas, non sunt necessariò seruandi.

441 *Crescent.in supra allegata, decis.11. num.3. & seqq. de dolo, & cont.* dum dicit, quod Iudex, qui declarauit velle contra cõtumacem procedere cum citatione, si procedat sine, nulliter procedit, loquitur in casu suo, in vna Aquen. Abbatiæ, & de Iudice de partibus, qui pronunciauerat visa citatione, &c. non autem in processu per contradictas, qui fit in Romana Curia.

Addentes ad Greg.decis.430. num.6. referunt Rotam ita etiam censuisse citationes in Curia per cõtradictas fieri de vrbanitate, non autem de necessitate; *in Carthaginens. & Abulens. Beneficiorum, 4. Iunij 1607. coram Cardinali Sacrato, & prius in Lamacens. administrationis, 12. Iun. 1599 coram Corduba.*

442 Sed in contrarium dixit *Bellam. decis.310. incipit. fuit citatus intrusus*, quod si quis citatus personaliter, vt centesima die compareat coram Auditore de iustitia responsurus, auditurus, facturus, & recepturus, quod dictauerit ordo iuris, potest procedi per audientiam ad omnes actus.

Et si aliquis ipsorum esset omissus non vitiaretur propter hoc processus, subiũges, licet hodie multum inualuerit stylus obseruationis terminorum per audientiam.

Quem sequutus *Vant. de nullit.ex defect. processus, n.60.* dixit quod quãdo à principio causæ reus ad totam causam generaliter citatur, termini substantiales non dicuntur de substantia, sed ad bene esse, ex quo contra taliter citatum vsque ad sententiam diffinitiuam inclusiuè de iure procedi potest; & subiungit quod nihilominus propter stylum, etiam tales seruandi sunt.

443 Sed admitto, quod debeat seruari iste stylus, cùm vt supra dixi, putem fuisse inductum ad fauorem actoris, vt ordinatim possit probare, & suum processum facere: sequendus enim est stylus: *l. Labeo. ff. de stat. lib.* ibi *more agentium sequi debemus*; & seruanda est consuetudo fori: *l.3. in fin. ff. de testib.* ibi *iudicantis est explorare, qua consuetudo in*

ea

ea prouincia, in qua iudicat fuerit; *Vant. de nullit. ex defectu citat. num.* 80. sed nego, quod talis sit stylus, vt ad fauorem contumacis inducat actorum nullitatem, vt dixi.

444 Et idem *Bellam. decis.* 559. loquens in terminis; *cap. statuimus, de elect. lib. 6.* dicit, quod citatio iuris non citat ad istum actum, vel ad illum, nec ad istam diem plusquam ad illam; sed arctat ad totam causam, & arctat ad procedẽdum in Curia, quandocũque per audientiã citationes emanabunt, sine quibus de stylo Palatij esset processus nullus.

Cæterum *hæc decisio* non applicatur, cùm loquatur de citatione iuris, nos autem de citatione hominis: & ex diuersis non fit illatio. vulg. *l. Papinianus exuli, ff. de minor.*

445 Hic aduertẽdum est, quia *Rota diuers. part.* 5. *decis.* 240. *num.* 1. annullauit sententiam Rotalem per contradictas latam, ea de causa quia fuit lata sub eadem die, sub qua fuerat decreta citatio.

Et *in dec.* 268. *eadem par.* 5. *diuers.* stetit *in decisis.*
Et deinde *Rot. in vna Romana cens. scut.* 10000. *mil.* 14. *Ian.* 1630. *coram R.P.D. Merlino*, declarauit nullam subhastationem tanquam factam sine citatione, ex quo citatio per cõtradictas facta fuit ad viden. mandari adiudicari ad p.d. & in die, qua fuit executa, emanauit decretum, & sic nulliter.

Et non affertur alia ratio, nisi quod dum Iudex mandat citari per contradictas, signum est quod contra absentem cõtumacem non vult procedere absque citatione; sed intẽdit sequi laudabilem, & honestũ stylum Curiæ, vt pars citetur ad singulos actus: & tunc nõ sustinetur actus eo modo quo potest, quando non valet vt agitur; addicta per *Crescent. dicta decis.* 10. *de dolo, & contumacia.*

446 Quę ratio ex iam dictis nõ stringit; quia *Crescentius, & alleg. per eum*, loquuntur in casu, quo citatio contumacis potest fieri vel in personam, vel ad domum, & potest operari effectum comparitionis, & defensionis, non autem in casu, quo fieri debeat citatio per contradictas cõtra absentem de longinquo, ad cuius notitiam citatio, quæ fit in dicto officio contradictarum cum breui termino, nõ potest de-

deuenire ad eius notitiã, quo casu defectus citationis non potest vitiare cùm defensionẽ non auferat, sicut auferret defectus citationis siuè personalis, siuè domi.

447 Prædictis addo, & concludo, quod quando citatio non est necessaria, non arctat, & tanquam facta ex abundanti non facit nullitatem: *Rot. in nou. decis.* 15. *num.* 2. *de dol. & contum.* & in *recent. part.* 1. *decis.* 365. *num.* 4. *Rom. consil.* 497. *num.* 5. & ibi *Mandos. in addit.* in verbo *non vitiat, Felin. in cap. cùm ordinem, nu.* 3. *circa med. vers. & ad hæc adde, de rescr.* vbi vide exempla *Gratian. discept. forens. cap.* 321. *num.* 3. vbi alios cumulat.

448 Quod autem citationes per contradictas non sint necessariæ, sed ad bene esse, & ex vrbanitate: post *Archidiac. cap.* 1. *super verbo de iure, de electiou. lib.* 6. dixit *Rot. in ant. decis.* 4. *de dol. & cont.* & sequitur *Rot. in nouis, decis.* 8. *de testibus, Put. decis.* 381. *num.* 4. *lib.* 2. *Rot. diuers. part.* 3. *lib.* 3. *decis.* 332. *num.* 3. & quod sint magis propriæ declerationes aliarum citationum, quam citationes, ait *Papaz. in addit. ad decis.* 8. *de dol. & contum. in nou.* & quod termini substantiales de necessitate non sint seruandi in processu per contradictas; sensit *Rot. diuersor. par.* 4. *decis.* 65. *& prout superiùs dictum est num.* 440.

Et verè citationes illę, quæ fiunt per contradictas non possunt censeri substantiales, cùm non ita fiant, vt etiam verisimiliter possint deuenire ad citati notitiam, *ex dictis superiùs num.* 435. *& seqq.* prout ad substantiam, & validitatem citationis requiritur; *l. diffamari, C. de ingen. manum. Clem.* 2. *vt lit. pend. Vant. de nullit. ex defect. citationis, nu.* 81. *&* 141. *Bellam. decis.* 188. *Decius cons.* 460. *num.* 28.

Et si huiusmodi stylus citãdi per contradictas fuisset inductus cum tanta necessitate, & tãto rigore annullandi actus nullatenus stylus permisisset, vt solus Notarius ex se, inscio auditore, extenderet citationes, & decreta, vt dictum est *supra cap.* 7. *num.* 332. *& seqq.* sed postquam *Rota* nostris tẽporibus residet in præfata opinione, de qua *superius nu.* 445. cautiores sint curiales, & diligẽter aduertant ad executiones, & extẽsiones decretorũ, vt benè fiãt per Notarios

Rr in

in audientia contradictarum. & de his hactenus.

449 Contra degentem in loco non tuti accessus si causa agitur extra Curiam, Iudex ordinarius contra eum decernere debet citationem per edictum, affigendum in loco publico, & consueto intra limites suę iurisdictionis.

450 Si verò causa agitur in Curia, tunc contra eum decernitur citatio per edictum legendum in officio contradictarum, & affigendum in alijs locis publicis in Curia, & extra Curiam in alijs duobus locis, vicinis loco vbi citandus commoratur, in locis tamen Status ecclesiastici; iuxta formam *Clem. dudum, de Iud.*

451 Qui modus citandi competit soli Papæ, & ei, cui hanc facultatẽ idem Papa expresse committit; vt in *extrauag. rem non nouam, de dolo, & cont. & Clem.* 1. *de Iud.*

Sed quæ est ratio? *Soc. in tract. de citat. artic.* 4. *num.* 11. tangens hanc difficultatem, quare solus Papa ita citet, vel eius sola authoritate fiat hæc citatio: vt per *gloss. in dicta Clem.* 1. *de Iud.* in verbo *Papa,* & in verbo *ex certa scientia*, dicit posse responderi, quod illa *glossa* loquitur de citatione, quæ fit in Curia, vel secũdum aliquos procedit de iure Canonico: quæ responsiones apud me nihil valent; quia in Curia, & de iure Canonico citãtur etiam per edictum vagabundi, incerti quorum interest, latitantes, & contumaces, vt supra.

Sed *Rebuff. de citat. in præfation. numer.* 97. videtur pertransire, dicens quod pauci sunt, qui dictam *Clem.* 1. *benè intelligant.*

452 Animaduerto igitur non posse dari casum, quod quisuis alius possit citare in loco, ad quem non pateat tutus accessus; nisi solus Papa. Nàm quilibet Iudex ordinarius extra suum territorium non valet citare, propter defectũ iurisdictionis: *l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud.* non autem propter non tutum accessum: in suo enim territorio nõ potest vllo modo considerari non tutus accessus, cùm ibi nullus eum possit impedire: *l.* 1. *ff. si quis ius dic. non obtemper.*

Si quis autem ibidem, vel dolosè latitet, vel impediat etiam per vim se citari; tunc idem ordinarius citat illum per edictum, tanquam latitãtem,

tem, impedientem se citari, non autem ob non tutum accessum.

Idem est in Principe, qui in suo dominio semper habet tutum accessum, & in eo per edictum quemlibet citat latitantem, vel impedientem citationem ad se deuenire, ratione scilicet impedimenti, nõ autem ratione non tuti accessus.

Extra suum dominium pariter non potest considerari non tutus accessus; sed solus defectus iurisdictionis, & potestatis: *Clem. pastoralis, de re iud. & not. Bar. in l. 1. S. Praesidens, num. 3. ff. de requirendis reis.*

453 Papa vero, qui est Vicarius illius, cuius est terra, & plenitudo eius, orbis terrarũ, & vniuersi, qui habitant in eo, & quia vniuersis præesse dignoscitur, potest authoritate Apostolica quascunque personas citare vndecunque, vbicunque sint, cuiusuis dignitatis, & præeminentiæ; vt legitur *in d. extrauag. rem non nouam, de dolo, & contum.*

Sed quia in dominio temporali Principum aliquãdo officiales consueuerunt impedire citationes authoritate Apostolica emanatas, & earum executores malè tractare.

Ideò ratione solius Papæ potest considerari non tutus accessus, vt ipse solus, & non alius possit citare in locis, ad quæ nõ pateat tutus accessus; quod nullatenus potest considerari in statu ecclesiastico, in quo omnia loca sunt tutissimi accessus.

Hanc facultatem citãdi per edictum ob non tutum accessum Papa non censetur alicui concedere, nisi illam committat specialiter, & ex certa scientia; vt *in d. extrauag. rem non nouam, de dol. & contum. & gloss. in dicta Clem. 1. de Iud.* in verbo *specialiter*, & in verbo *ex certa scientia*.

454 Et ea est ratio; quia rigorosus semper fuit hic modus citãdi; nàm *in dicta extrauag. rem non nouam*, statuit *Bonifacius Octauus*; quod ita citetur quæcunque personæ, præsertim si impediant, vel faciant per se, vel per alios quoque modo, ne citationes ipsæ ad eos perueniant, ex quacũque causa, faciendo, vt citãdorum domicilia, siuè loca tutè, vel liberè non possint adiri.

Verùm quia dictionem illã,

præsertim, putabant aliqui stare ampliatiuè, scilicet vt omnes, & præsertim, idest maximè illi.

Alij verò putabant stare taxatiuè, vt tantum illi, non autem omnes: ideò *Clemens V. in dicta Clem. 1. de Iud.* illam dictionem declarauit stare taxatiuè, & eiusdem constitutionis rigorem temperauit, & restrinxit tantum ad illos, qui faciunt vel procurant per se, vel per alios quoquo modo, ne ad eos possit citatio peruenire, vel quorum domicilia, siuè loca nō possunt tutè, liberèue adiri.

Sed adhuc iste modus citandi remansit rigorosus, vt in remotis degentes, & impedientes per se, vel per alios, ne eorum domicilia, vel loca tutè, & liberè adiri possint, haberētur pro personaliter citatis executa contra eos dumtaxat in Curia vbi possint, esse omninò ignoti, & nullus esse possit eorum amicus qui ad eorum notitiam possit huiusmodi citationem defferre, ad dicta per *gloss. in d. Clem. 1. in verbo restringimus, de Iud.*

Et ideò non est mirum, si tàm rigorosum citandi modū Papa sibi reseruauit, in tantum, vt nec etiā Legatus de latere possit eo modo citare: *Gambar. de offic. delegat. lib. 2. cap. 3. de casibus reseru. per iur. Sext. & Clementin. num. 385. vers. decimus octauus.*

456 Quando autem illam specialiter concedit prout passim in commissionibus apponitur clausula, & cum potestate citandi, etiam per edictum constito summariè, & extraiudicialiter de nō tuto accessu: sic etiam cum hac clausula eandē facultatem expresse concedit A. C. vt in eius facult. §. 16.

Quæ clausula facit conditionem omninò implendam, & iustificandam: *Vant. de nullit. ex defect. citationis, nu. 126. & seqq.*

457 Sed quomodo fieri debet hæc iustificatio? dic eam fieri debere per testes: *dict. Clem. 1. de Iud. Rot. in ant. decis. 22. de dol. & cont. Felin. in cap. quoniam frequenter, §. porrò, n. 17. vers. tertio nota, vt lit. non contest.*

Nec sufficit attestatio, seù relatio officialis, Notarij videlicet, vel Nuncij, quod non esset tutus accessus: quia eis non creditur in præiudicium alterius; vt not. *Bald. post alios in l. si qua per calumniam, C. de Episc.*

*Episc. & Cleric. Dec. consl.*460. *num.*26. neque etiam sufficit iuramentum partis: *Rot. in ant. decis.*22. *de dol. & cont.*

458 Sed quomodo possunt sufficere testes, stante quod in hoc casu non tuti accessus nõ potuit pars citari, & clausula cõstito requirit partis citationem: *gloss. in Clem. præsenti*, in verbo *constiterit, de censibus.*

Et testes non probant, nisi pars citata fuerit ad vidẽdum illos iurare: *l. si quando, C. de testibus, cap.*2. *eodem tit.*

Dic quod testes, stante impossibilitate citandi partem, benè sufficiunt pro informatione, quam debet Iudex assumere super non tuto accessu, vtrum scilicet adsint qualitates requisitæ, vt debeat decerni citatio per edictũ: *Arg. l. de ætate, ff. ad Trebell. Bar. in dicta constit. ad reprimen.* in verbo *per edictum, num.*4. *Soc. de citat. art.*23. *quæst.*5. *nu.*5. *Rebuff. de citationib. in præfat. num.*98.

Et pro verificatione clausulæ constito, potest omitti citatio partis, quando altera pars non audet eam citare, propter eius potentiam, vt per *Felin. in cap. quoniam frequenter, num.*7. *vt lit. non contest.* vbi ponit plures casus, quibus citatio potest omitti.

459 Atque clausula constito nõ requirit partis citationem, quando nõ apparet quis sit citandus: *Ancharan. consil.*297. *num.*9. *Felin. in cap. vlt. nu.*22. *vers. item amplia, de præsumpt.* cum alijs per *Rot. in recentiss. decis.*628. *num.*12. *part.*2. & vbi non est tutus accessus impossibile est partem citare, & quæ sunt impossibilia habentur pro non adiectis: *l. ea quæ dandum, ff. de reg. iur.* & paria sunt non esse, & fieri nõ posse: *l. mulcta, in princ. ff. de cond. & demonstr.*

Et quando quis petit à Papa, vt mandet citari aliquem per edictum, exprimit in necessarium antecedens, impossibile esse illum citare siuè in personam, siuè ad domum, & ideò dùm Papa rescribit cum illa clausula, constito etiam summariè, & extraiudicialiter de non tuto accessu, hoc solũ committere videtur Iudici, vt se informet; & Iudex pro sui informatione non tenetur citare partem; *Felin. in cap. cùm olim, de re iud. sub num.*11. *Put. decis.*432. *lib.*2.

460 Maximè stante clausula extraiudicialiter, quo casu nõ

 re-

requiritur citatio partis, aut alia solemnitas; iuxta ea quæ dicta sunt *supra cap. 2. num. 29. & 40. Rot. post cons. Farinac. par. 2. decis. 50.* quæ resoluit, stante facultate se informandi extraiudicialiter, quod Iudex potuit se informare ex alijs testibus aliàs coram alio Iudice examinatis, quia sufficit vt illi quouis modo constet de non tuto accessu: *Ferret. cons. 82. num. 2. lib. 1. Mandos. in reg. de annal. quæst. 71. in dicta decis. alleg.*

461 Sed quot testes requirantur: *Marches. de commiss. appellat. in Romana Curia, par. 1. cap. 5. num. 277.* dicit quod nõ tutus accessus probatur per vnum testem, quod dictum apud me verum non est: quia *Achil.* & alij per eum allegati, hoc non dicunt, & vox vnius vox est nullius: *l. iuris iuran. C. de testibus*, ibi *Sancimus, vt vnius testimonium nemo Iudicum in quacunque causa facilè patiatur admitti, & nunc manifestè Sancimus, vt vnius omninò testis responsio nõ audiatur, etiam si præclaræ curiæ honore fulgeat.*

At *Rot. in antiquis dec. 22. de dol. & contum.* dicit quod Auditor debet facere hanc informationem super nõn tuto accessu cum tribus testibus, quam sequitur *Felin. in d. cap. quoniam frequenter, §. porrò, num. 17. vers. tertio nota. vt lit. non contest.*

Sed nullam pro hoc reddunt rationem; puto id Rotam dixisse ad abundãtiorem cautelam: cùm enim hæc informatio fiat parte absente, & nõ citata, Iudex debet accuratè sustinere partes absentis, vt post alios notat *Felin. in dicto cap. quoniam frequenter, vt lit. non contest. num. 7.*

Itaque dicendum est, quod tàm de iure, quàm de stylo sufficiunt duo testes; vt *in formul. terminorum Rotæ, tit. quãdo citatio decernitur per edictum circa med.* ibi *tunc actor summariè duos testes examinari petit, & facit super non tuto accessu ad Ciuitatem N. Mandos. in reg. 34. de annali, quæst. 71. num. 8.* dicit satis esse, quod Notarius solus examinet duos testes absq; interrogatorijs; sic etiam ad probandum metum, vel inimicitiam duo testes requiruntur, *Bald. in l. nostram, num. 10. C. de testam. Bar. in l. fin. nu. 14. ff. si quis aliquem test. probib.*

462 Debent ne huiusmodi testes

ſtes per Notarium examinari vnico contextu? dic, quod non: ſed ſeparatim. aliàs non probarent: *l. nullum, C. de teſtibus*, ſecretò enim ſiuè ſigillatim teſtes examinandi ſunt, ſicut Daniel ſecretò, & ſeparatim examinauit illos Sacerdotes, qui accuſabant Suſannam: aliàs enim vnus inſtrueret alium, & alter dictum alterius ſequeretur.

Quod obſeruandum eſt nedum in examine iudiciali, ſed etiam in extraiudiciali: *cap. quia propter, de elect.* & ibi *gloſ.* in verbo *ſecretè, & cap. venerabili, de teſtib.* & ibi *gloſ.* in verbo *examinare ſigillatim*.

463 Sed quid in hoc caſu teſtes concludere debent? Dicit *Rota in ant. deciſ. 22. de reſcr.* ſufficere teſtes de credulitate, nempè quod credunt, quod vel impoſſibile, vel quod non ſit tutum eos citare in illo loco; & idem dicit *Caſſad. deciſ. 2. num. 2. de dol. & cont.* & quod ſufficiat etiam ſi teſtes dicant, quod propter metum vel perſonarum citandarum, vel officialium, ſeù dominorũ locorum, vbi ſunt perſonæ citandæ, non auderent talem executionem facere pro quauis re de mũdo, vel pro quauis magna mercede. annuit *Bellam. deciſ. 624. num. 1.* ante medium, atque quod ſatis ſit ſi teſtes dicant citandos eſſe diffamatos de eis quæ dicũtur ait *Rot. in ant. deciſ. 17. de dol. & cont.* & ſufficere etiam ſi dicant non poſſe exequi ſine litteris Vice regis dixit *Achil. deciſ. 22. de probat.*

464 Sed pleniùs dicamus non tutũ acceſſum conſiderari poſſe vel ratione loci, vel ratione perſonæ *d. Clem. 1. de Iud.*

Ratione loci, vbi ſcilicet citandus degit: quãdo domini, vel Iudices ſæculares, ſeù alij officiales non ſinunt ibi citationes à Curia emanatas executioni demandari: *Achil. d. deciſ. 22. de probat. Mandoſ. de commiſſ. form. 4. verſ. etiam per edictum publicum*; vel quãdo eſt locus hoſtium, vtpotè quando eſt bellum inter Principem, qui mandat aliquem citari, & Principem, vel Superiorem loci vbi citandus reperitur: *Vital. in Clem. 1. de Iud. n. 52. Boccac. de litt. remiſſ. cap. 10. num. 6.*

Item quando locus, in quo eſt perſona citanda eſt rebellis; nõ enim tutè mittitur Nũcius ad locum inimicum: *Bar. in extrauag. ad reprimen.* in ver-

verbo *per edictum, num. 3. Ancharan. in dicta Clem. 1. de Iud. num. 3. in 3. not. vers. item cùm locus.*

Item quando loca, per quę transeundum esset, non forent tuti accessus, quo tamen casu si accessus ad aliquem locum est multiplex, nō sufficit probare vnum accessum non tutum, sed necesse est probare, quod ex nulla parte accessus sit tutus, ad hoc vt probatio sit concludens: *Soc. de citat. art. 18. nu. 6. vers. adde tamen*, & in hoc sufficiunt testes de credulitate; *Tiber. Dec. cons. 18. num 88. lib. 1. Boccac. de litteris remiss. d. cap. 10. nu. 10.*

Sed quomodo testes probare possunt, quod quis degat, seù reperiatur in aliquo loco non tuti accessus; dic sufficere, vt deponant de fama, vel de vulgi opinione, quod quis in certum locum abierit, & ibi commoretur: *§. illud in auth. de reis exhib. & in auth. qui semel, C. quom. & quando Iud. Anchar. in d. Clem. 1. nu. 3. post medium, versic. & ex eo quod.*

465 Ratione autem personæ citandæ tutus non dicitur accessus quando esset citandus tyrannus, siuè rebellis, vel dominus terribilis, vel citanda esset aliqua Ciuitas, vel multi Ciues vnius Ciuitatis: *Bart. in dicta constitutione ad reprim.* in verbo *per edictum, num. 3. Ancharan. dicta Clem. 1. de Iud. num. 3. in 3. not.* vel quando alio modo probaretur iustus timor, seù metus, *cap. fin. de appellat. Bellam. decision. 624. num. 1.*

Secùs si deponerent de vano timore; eius enim nulla est consideratio: *l. vani timoris, ff. de reg. iur.* atque metus debet considerari secūdum qualitatem personæ, cui illatus est, adeò quod, licet non caderet in constantem virum satis esset si caderet in personam vilem; vndè minor metus sufficit in fœmina, quàm in masculo: *Dec. in dicta l. in omnibus causis in facto, num. 3. & ibi Cagnol. num. 2. ff. de reg. iur.*

466 Quærit *Boccac. in dict. tractat. de remissorial. cap. 10. n. 12.* quid si esset citanda aliqua mulier nobilis existens in castro forti; & existimat quod non probaretur non tutus accessus ad illam, etiam si testes deponerent scire, quod executores ibi malè tractantur, & credere quod nullus auderet exequi talem citationem: & mo-

mouetur duplici ratione, vna quia, ait ipse, non est verisimile, quod mulieres sint terribiles, & aptæ impedire executiones citationum, quæ à Curia, & Sede Apostolica emanant. vnde censeretur potius vanus timor nullatenus cõsiderabilis: *l. metum, ff. quod met. causa*.

Altera quia *Bar. in d. const. ad reprimendum*, in verbo *per edictum, num. 3.* exemplificat non tutum accessum, quando esset citanda aliqua Ciuitas, vel Dominus terribilis, aut multi Ciues, aut rebelles, non autem in muliere.

Opinor ego, quod dicti testes benè probarent; quia per edictum citantur non solùm, qui per se, sed qui per aliũ quouis modo procurant, & impediunt ne citentur: *d. Clem. 1. de Iud.* esto igitur, quod mulieres per se non essent aptæ ad impediendum executionẽ, & malè tractandum executores, sunt tamen aptæ per alios ad id agendum, quando possunt imperare, quamuis minus valeãt quàm homines: ait *Imper. in l. quisquis, §. ad filias, C. ad l. Iul. maiest.* mitior circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus.

467 Quæ verba non excludũt audaciam à fœminino genere.

Dixit *Seneca tragicus in Octauia*.

Mulier dedit natura cui pronũ malo animum,
Et ad nocẽdum pectus instruxit dolis,
Sed vim negauit.

Et iratæ mulieris sęuitiam benè descripsit *Ouid. lib. 2. de arte amandi*.

Sed neque fuluus aper medio iam seuus in ira est
Fulmineo rabidos dum rotat ore canes.
Nec Lea quum catulis lactantibus vbera prabet.
Nec breuis ignaro vipera lesa pede.
Fœmina quàm socij deprẽhẽsa pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum, flammasque ruit, positoque decore
Fertur, vt Aonij cornibus icta Dei.

Apud Græcos fuit in adagio Ignis, Mare, Mulier, tria mala: sæuit enim iratum mare, formidabilis est ignis impetus.

Sed nõ minus sæuiũt iratę mu-

mulieres, non minus formidabilis est earum impetus.

Quod imperent sine ratione, testatur *Iuuenalis sat.6.*

Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Imperat ergo viro.

Et exclamauit *Plautus in milite.*

Quid peius muliere, atque audacius? quasi dixerit nihil, nō esset ergo vanus timor potentis mulieris, quando irata ad libitum imperaret.

Citationes odio habēt mulieres, & ægrè ferunt citari; & vt ait *Put.decis.279.lib.2.* mulieres non sine difficultate possunt citari.

Quod autem *Bar.* non ponat exemplum in muliere, non releuat quādoquidem exempla non restringunt regulam: *l.1.* §. *quod vulgo, ff. de vi, & vi arm.*

468 Sed quid si duo testes super nō tuto accessu essent singulares? regula est, quod testes singulares non probant: *cap. licet causam,* §. *quanquam, de probation.* tamen fallit, quādo testes concordant in eundem rei finem; vt per *Bal. in l. de quibus, num.37. ff. de legib.* vbi ponit theoricam philosophicam in decem prędicamētis satis ingeniosè. vide, & quādo testes singulares sunt concordes in effectu rei, licet sint singulares in verbis, probant: *l. qui sententiam, C. de pœnis*; ibi *in vnum conspirantes concordantesque rei finem*; & dicitur *in cap. nihil, de verborum signific. Nihil obstare narrandi diuersitatem, & quemlibet Euāgelistarum eo ordine dixisse quo voluit Deus*; & ibi *gloss.* in verbo *diuersitas* notat bonum esse argumentum pro testibus diuerso modo narrantibus; & est *text.* cum *gloss. in cap. penult.* in verbo *substantia, de conuers. coniug.* quod nihil refert narrandi diuersitatem vbi eadem dicuntur, & testes diuerso modo narrantes non sunt singulares, dummodo in substantia facti non discordēt: Et ad rem nostram *Achil. decis.22. de probation.* refert dominos voluisse satis esse probatum non tutum accessum per duos testes singulares, quorum vnus dicebat non posse exequi citationes in Regno Neapolitano sine litteris Viceregis, & alter dicebat se perquisiuisse, & non inuenisse.

469 Probato non tuto accessu quoad vnum, an Iudex poterit citare etiam alios per edictum stan-

ſtante facultate data in reſcripto citandi N. & N. omneſque alios etiam per edictum, conſtito ſummariè, & extraiudicialiter de non tuto acceſſu: Reſpondet *Caſſad. deciſ. 2. de dol. & contumacia*, *num. 1.* quod non. ea ratione, quia de vnius metu, & acceſſu non tuto, non infertur ad aliū; ne aliàs vnus pro alio puniretur: cùm pœna non egrediatur delinquentem, vt per eum.

Facta tandem præfata informatione Iudex decernit citationem per edictum ea, vel ſimili forma, quā ponit *Vant. de nullitat. ex defect. citat. nu. 131.* & reſumit *Boccac. de litt. remiſſor. cap. 10. num. 3.* & *Saluſt. in praxi A.C. in fin. fol. mihi 370.* & quod Nuncius formā in decreto citationis poſitam ſeruare debeat, dicemus in *ſequenti cap. verſ. de executione citationis*.

FINIS.

INDEX
LOCVPLETISSIMVS EORVM,
QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO
CONTINENTVR.

A

Acta

In-

Com-

C

Ces-

Ci

Nisi

Ci-

d

Quia

Cu-

D

ca-

De-

&

Dila-

Decis.

E

f 2 de-

vsque

Ex-

gare

ven

exe-

G

sola

I

pe-

ab

Iu-

Lis

cilij

Mu-

Nun-

O

Ori

à Prin-

Et

In

Pro-

Q

Re-

Re-

Re-

Sta-

Tem-

T

Tem-

po-

V

Vni-

F I N I S.

Si qui sint Præli Lector Tu Corrige lapsus:
In re vult quauis Error habere locum.

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr
a b c d e f g h i k l m n.

Omnes ſunt Duerniones, præter †, quod eſt folium, & R r, folium cum dimidio.

ROMÆ, Typis Ludouici Grignani. MDCXLI.

SVPERIORVM PERMISSV.